

John Bailey Langhorne.

ORATORES

ATTICI

ET QUOS SIC VOCANT

SOPHISTÆ

OPERA ET STUDIO

GULIELMI STEPHANI DOBSON A.M.

REGIÆ SOCIETATIS LITERARUM SOCII

TOMUS DECIMUS TERTIUS

LONDINI

EXCUDIT J. F. DOVE

(APUD QUEM ETIAM VENEUNT)

A. S. MDCCCXXVIII.

ANTIPHONTIS

ANDOCIDIS

ET

LYSIÆ

INTERPRETATIO LATINA

LONDINI

PROSTANT APUD J. F. DOVE

A. S. MDCCCXXVIII.

TABULA

EORUM QUÆ CONTINENTUR

IN

TOMO DECIMO TERTIO.

INTERPRETATIO LATINA.

ANTIPHON.

ANDOCIDES.

LYSIAS.

ANTIPHONTIS

INTERPRETATIO LATINA.

*** ANTIPHONTIS mei partem haud minimam excudendo jam profligaverant operæ, cum nondum animum Interpretationi Latinæ conscribendæ adjecissem. Tandem intelligens necessitatem rei, cessi ei, publicisque commodis aversionem animi mei ab ejusmodi opera servire coegi. Subito concitatus impetu, initio mensis Martii, paucos intra dies, quos ipsos scholæ publicæ, et necessitas folia a prelo madentia perlustrandi et a mendis typographicis purgandi (ut alia negotia taceam), nimis etiam coartarunt atque interpellarunt, Antiphontis conscripsi Latinam Versionem hanc, quam nunc, quo tempore hanc præfatiunculam exaro, operis rursus ad pensa redeuntibus, per nundinarum æstum intercepta, recognoscere et elimare, neque vacat, neque juvat. Totam enim hanc æstatem indicibus Demosthenicis conficiendis, qui statim hoc volumen octavum consequentur, consecravi, et hac una in cura defixus, a me impetrare non possum, ut ad alia mentem detorqueam. Quare lectores, cum lapsus quosdam interpretis festinantis hic deprehendent, etiam atque etiam rogatos volo, ut festinationi ignoscant. Prima in oratione reddenda fui passim locorum paulo copiosior; in reliquis operam dedi, ut pressior atque adstrictior essem. Scripsi d. 4. Iunii 1773. REISK.

ANTIPHONTIS

NECIS VENEFICIO PATRATÆ

ACCUSATIO.

ARGUMENTUM.

PHILONEUS quidam, concubina utens, patris hujus oratoris amicus erat. Hic, concubinæ redarguens, illi minatus est in lupanar traductorum. Pater oratoris, ejus uxore mortua, novercam filio superinduxit. Quæ cum scorto familiaritate contracta —erant enim vicinæ—, et, quia non admodum a marito diligebatur, utrique propositum est veneno viros tollere. Cum itaque dies festus esset, et ipsæ præparatæ, jamque viri communiter libarunt—amici enim erant—, ambobus venenum in poculo propinant. Philoneus, qui plus hauserat, statim enectus est; pater autem oratoris hujus minus hauriens in morbum incidit, ex eoque mortuus est. Quocirca filius novercam veneficii accusat. Hoc argumentum est. Causa status, conjecturalis: judicium vero, quia servos ad torquendum dare noluit.

---

1. VALDE me sollicitum animique suspensum et consilii inopem habet hæc causa, in quam fatalis quædam necessitas me conjecit, a qua causa agenda cum alia me absterrent tum rursus alia ad eam acriter urgendam multo etiam acrius impellunt; nam non modo adolescentulus adhuc sum causarumque adeo forensium per ætatem

prorsus rudis, sed ea quoque hujus est causæ natura, utramvis in partem impedita, ut sive omittam sive persequar, iniquissimo atque durissimo loco me conclusum videam: scelus fuerit, in mandatis exsequendis cessare patris ejus qui necis suæ pœnas ut ab auctoribus repeterem expirans mihi delegavit; at rursus tamen peracerbum accidit hoc, quod ista mandata patris exsequens facere non possum, quo minus simultatibus bellisque cum iis implicer, cum quibus odia suscipi omnium minime decebat, cum fratribus puta communi mecum patre usis et cum eorum matre noverca mea. Ea nempe est adversæ meæ sortis scævitas eaque improbitas adversariorum cum quibus certandum mihi est, ut et ab illius perversitate et ab horum pertinacia coactum me videam in hoc certamen descendere, quos consentaneum erat et perempto ultores succurrere et vindici sanguinis paterni auxiliatum venire. At enim vero, contra quam oportebat, evenerunt omnia. Hi enim ipsi adversus me fratrem suum pugnant et patris sui parricidas se gerunt, cujus parricidii ego eos eadem constantia nunc verbis ore prolatis insimulo, qua verbis in formula libelli accusatorii scriptis jam insimulavi. Quare, si planum fecero matrem horum [fratrum meorum, seu novercam meam] necem ei patri, qui mihi cum fratribus communis est, nefandis artibus conscivisse, quas artes ea non semel sed crebro in patris pestem factitans deprehensa fuit, tum rogo vos, judices, ut primum quidem leges vestras vindicetis, quas a diis et a majoribus vestris per manus traditas nacti tanti facitis, ut ante condemnationem reorum, in eas inspiciatis, causaque cognita demum, pœnas ab iis præfinitas, perinde atque majores fecerunt, condemnatis irrogetis; deinde rogo vos, ut patri perempto, unaque mihi quoque qui solus ab omnibus derelictus causam ejus ago subveniatis. Ad vos receptum habeo: vos mihi nunc loco necessariorum estis. Nam quos oportebat sublato ultores, mihi autem socios esse, hi necis in illo patratæ reatu se obligant et in judicio causam meam infestis animis armisque impugnant. Ejusmodi loco conclusus ecquos ad alios accedat socios, auxilium rogatum? ecquo alio perfugiat, quam ad vos, judices, et ad jus æquum?

2. Miror, qua tandem mente frater causam meæ adversariam tuendam sibi ceperit; et num in hoc solo pietatem erga parentes cerni autumet, si filius commoda matris prodere nolit. Ego vero multo atrocius hoc esse aio impietatis exemplum, si filius insuper habeat paterni sanguinis per nefas effusi ultionem in homicida exsequi, præsertim in tanta disparitate sortes perempti et peremptricis intercedente. Ille enim effugere mortem non potuit, quam toleravit invitissimus, ex insidiis clandestinis, quas prævidere et evitare non poterat, comparatam; hæc vero sponte sua, a nemine coacta, necem ei dedit, non furioso ardore iracundiæ repentinæ in-

citata, sed lentis et pertinacibus consiliis et conatibus præmeditatis crebroque iteratis. Neque licet fratri hoc excusare, probe se nosse a matre sua peremptum non esse patrem nostrum; nam de contrario ejus certissime ipsi constare produnt ejus cœpta. Nam, si dubitasset, poterat certissimam rei notitiam, dummodo voluisset, e servorum tormentis petere; atqui viam hanc probatissimam et unicam pæne veri indagandi aspernatus est: ubi autem quærens indagare nil poterat, ibi juvit eum quærere; atqui sponsionem meam de servis ad quæsitionem dedendis amplecti debuerat, strenueque hoc agere, ad quod eum cohortabar, ut rei gestæ veritas in apertum proferretur, ad pœnas dandum ream citando. Servi enim si sub tormentis aut non eadem inter se aut a meis prædicationibus discrepantia edidissent, tum licuisset ei matris causam ex certa scientia salvaque conscientiæ integritate agere mihique honeste fidenterque obloqui, id quod nunc ei minus licet; et mater ejus hoc pacto illo crimine fuisset liberata. Jam vero cunctatus rei gestæ rationem illa, quæ una patet, via indagare, ecqui potest ea certo nosse, quæ explorare recusavit? Ecqui ergo consentaneum sit, judices, eum vera dicere, aientem, ea se probe cognita atque perspecta habere, quorum veritatem percontari nunquam animum induxit? Ecquid opponet mihi perjurii eum insimulanti? Servos ad quæsitionem si admitteret, certo norat salutis omnem viam præclusam matri esse; unica ergo ratio eam servandi hæc erat, ut declinaret et eluderet quæsitionem per tormenta servorum: nam hoc solo modo sperabant se consecuturos, ut res gesta in occulto maneret. Ecqui ergo censeri poterit salva fide et religione jurejurando id confirmasse, quod in formula contrajuramenti scripsit, *se probe nosse*, id nempe, quod summa percontationis diligentia ad liquidum adducere noluit, cum ego vellem hac in causa modo inquirendi eo uti, qui est omnium æquissimus et probatissimus. Ecqui autem hic modus est quem proposui illis detrectantibus, et quæ mea æquitas? Flagitabam ipsis coram illa mancipia torqueri, quæ norant mulierem hanc, matrem horum meorum adversariorum, jam antea quoque toxicatas coxisse potiones quibus patrem nostrum de medio tolleret, et, a patre nostro cum in flagrante delicto esset deprehensa, haud infitiatam esse facinus, sed excusatum et lenitum isse atrocitatem ejus, prætexendo non necis ergo herbas illas a se coctas esse, sed solummodo illiciendi atque devinciendi amoris. Hoc ego de facto postulabam mancipia dedi, et exhibebam illis schedam, in qua summa capita criminum perscripseram, quorum illam mulierem insimulo. Non mihi arrogabam ut ipse per me servos interrogarem aut torquerem, sed ea utebar æquitate ut ipsis interrogandi et torquendi negotium permitterem eosque moderatores severitatis hujus ipsos facerem, dummodo coram me scrutinium fieret; nolebam enim committere, ut illi, me ipso pro lubitu meo quicquid

in buccam veniret interrogante, cogerentur ad quæstiones meas respondere, sed sufficiebat mihi meos adversarios servos super illis solummodo capitibus interrogare quæ in scheda scripseram: Vel ex hoc solo documento æquitatis meæ constet, nisi fallor, et me causa mea fidere et illos suæ diffidere; ecqui tandem istæc æquitas et civilitas atque simplicitas dubium adhuc ullum de honestate et probabilitate meæ contentionis, sanguinem paternum ulciscendi, relinquat? et poteram utique fidenter ad illam sponsionis æquitatem descendere. Nam si aut prorsus infitiarentur servi factum aut prædicationes eorum inter se discreparent, certus esse poteram magistratum, penes quem æqui juris est administratio, servis eos esse stimulos admoturum, qui eos cogerent veras rei gestæ rationes aperire, quantumvis veritatem falsis indiciriis obumbrare conarentur. Fac contra evenisse atque evenit, non me illis sponsionem de mancipiis dedendis detulisse, sed illos mihi; fingamus itaque tantisper illos, ut primum fama ad se allatum accepissent me parare actionem in homicidam patris, actutum mecum congressos mihi mancipiorum deditionem obtulisse, me vero accipere detrectasse: quid tum? usi nempe hoc fuissent evidentissimo omnium atque firmissimo documento ad vincendum, culpa cædis omni se vacare. Nunc vero, ego enim stimulos, etsi partes meas inter torquendum eis ipsis delego, servis admoveri peto; nunc, dico, mihi hæc ipsa testimonio sunt, culpa cædis se non vacare. Certe enim, si ipsi quidem mancipia tormentis affici obtulissent, ego vero negotium detrectassem, res ipsis falsæ insimulationis testimonio fuisset. Liceto mihi quoque meæ causæ veritatem hoc ipso argumento docere atque approbare, qui servos dedi postulaverim ab his dedere recusantibus. Grave profecto et indignum facinus! Hi vos rogant, judices, ut se absolvatis, et a vobis precarium jus velut emendicantur, qui, si dedere servos voluissent, jus ipsi sibi pro arbitrio suo dicere, hoc est, causæ suæ probitatem atque legitimitatem certis et irrefragabilibus documentis approbare vobisque absolutionem vel invitis extorquere potuissent. Jam ergo non amplius obscurum est, cur eum modum, quo rei gestæ veritas erui et ad liquidum perduci poterat, defugerint. Norant nempe, huic discrimini si se committerent, futurum esse ut patesceret malum domi suæ penes se residere; quare omni contentione in hoc incumbebant, ut servorum quæsitio omitteretur eoque mali vera sedes tacita et ignota maneret. Vos autem judices, certus enim sum vestræ sapientiæ atque æquitatis, hoc ipsorum exemplum non imitabimini, sed potius ulcus hoc denudabitis. Sed hæc hactenus: transeo nunc ad alteram partem muneris mei, totam rei, ut vere gesta fuit, seriem coram vobis enarraturus: justitia cursum orationis meæ actionisque eventum gubernato.

3. Superius domus nostræ tabulatum Philoneus, quoties in urbe

ageret, incolere solebat, vir honestus et frugi, quo pater familiarissime utebatur: erat illi Philoneo pellex, quam decreverat in lupanari prostituere. Mater fratris [seu noverca mea] cum quærendo intellexisset, cuja esset, consuetudinem cum ea contrahebat. Sic factum, ut cum noverca sensisset quam atrocem injuriam Philoneos pellici suæ oblatum iret, pellicem ad se arcesseret: veniebat pellex: inter sermones aperiebat noverca pellici quam insignem injuriam Philoneos ei pararet injungere, unaque de patre meo querebatur; ab eo se duriter et indignis modis haberi: sed in promptu sibi esse arma ambos ulciscendi, vel potius artes se tenere, quibus amborum erga se animi ita mutarentur, ut cum Philoneus ipsi [pellici], tum pater meus sibi [novercæ], placaretur atque reconciliaretur, modo illa [pellex] in sua [novercæ] potestate esse vellet; suam fore inventi gloriam, ipsius fore partes famulandi et jussa exsequendi. Tune ergo, ait, mihi ministrare voles? Velle ait altera, nil hæsitans, ut facile est existimatu. Discessum tum fuit super his pactis condictis. Haud multo post incidebat et Philoneo necessitas, ut sacris interesset quæ Jovi Ctesio in Piræeo publice fiebant, et patri iter per mare ad insulam Naxum suscipiendi. Convenientissimum itaque videbatur Philoneo, cui semel ex urbe in Piræeum esset descendendum, eadem opera, per compendium itineris ejusdem, patrem quoque meum, profectionem illam maritimam ingredientem et ad portum pariter tendentem, amicitiæ et benevolentiæ ergo testandæ prosequi, et sacris peractis, lautis epulis cohonestare. Pellex Philoneum eodem prosequebatur necessario sacrorum causa, ut iis epulisque necessaria ministraret: jam erant ambo in Piræeo, jam, ut par erat sacris operabantur. Sacris peractis, jam incipiebat pellex secum deliberare, qui et quando potionem venenatam ipsis præberet; num ante epulas, an post. Placuit tandem post epulas dare, quod ita præceptis novercæ meæ, nobilis illius Clytæmnestræ, esset obsecutura. Quæ illo in convivio evenerint, mihique longum atque tædiosum sit enarrare vobisque audire: ea vero, quæ nosse refert, quomodo nempe datum fuerit venenum, paucissimis exsequar. Dapibus igitur amotis, libabant diis, et thura super se quisque aræ imponebant, id quod eos facere par erat, quorum alter una Jovique Ctesio sacra faceret amicumque solennibus epulis exciperet mox iter ingressurum, alter apud amicum epularetur, cui vale dicere pararet mox cum nave discessurus. Libationes infundens, veluti ministra, pellex, illis vota facientibus atque deos surdos ea rogantibus, quæ non essent exitum habitura, venenum immiscebat; et Philonei quidem poculo portionem veneni multo spissiorem ingerebat, in quo ipsa sibi mire placebat, veluti commento quodam a se sollerter et callide excogitato — sperabat enim futurum ut, quo plus potionis

hujus exsecrabilis hauriret Philoneus, eo acrius in amorem sui, pellicis, exardesceret: nondum enim tum norat a noverca mea se circumventam esse, id quod tum demum comperit cum jam in faucibus exitii hæreret —, patri autem nostro portionem veneni multo parciorem infundebat. Defuncti libationibus illi sicarium suum pro amica per ignorationem veri habentes, sermonumque atque jocorum facetiis et amplexationum per vices crebritate inter se jactantes, extremam tandem potionem exhauriebant. Et Philoneus quidem in continenti e vestigio exspirabat; pater autem noster in valetudinem incidebat, quæ eum quoque tandem, die vigesimo post, sustulit. Hujus tanti sceleris præmium illa quidem, quæ operam ministerialem solummodo perpetrando præstitit, facinore dignum jam abstulit — nam rotæ imposita et tum carnifici tradita supplicium extremum toleravit, quamquam imprudens aliena magis quam sua culpa peccaverat —, quæ autem fœmina et scelus ipsa prima mente concepit et venena a se cocta manibus suis famulæ administravit et per eam bibenda miseris viris præbuit, ea, si cum diis vos quoque voletis, præmium mox aufferet.

4. Reputate vobiscum quanto sint, quæ ego vos rogo, æquiora, quam quæ frater rogat. Ego quidem vos rogo, ut perempti necem, hoc est, injuriam ei datam æternam nulloque pacto reparabilem, ulciscamini. Ille vero patris quidem, insuper habita deorum omni religione, flagitiosissime, summo cum dedecore, præmature, ab iis, a quibus omnium minime decebat eum malum accipere, sublati, ne mentionem quidem ad vos faciet, cujus casum miserabilem vos et commiseratione prosequi et ulcisci par est; pro ea autem fœmina supplicans, quæ maritum impium fraude sustulit, preces vobis ingeret, infandas, detestabiles, quas et vos ab auribus vestris rejicietis, judices, et dii rejicient, neque committent unquam, ut earum reus fiat: rogabit nempe vos, ut verum credatis esse id quod illa jactans studet vobis persuadere, tametsi ne ipsa quidem sibimet credit, scil. eam nulla mala fraude hoc in negotio esse usam. Atqui vos homicidarum non estis protectores, sed vindices peremptorum a præmeditata fraude, præsertim si fraus illa profecta fuerit ab iis, quos par erat vitam eorum non exstinguere, sed modis omnibus tueri et salvam conservare. Jam penes vos est, judices, statu causæ a me bona fide coram vobis exposito, ex æquo et vero causam disceptare: id quod etiam facietis. Spectato quæso disparitatem nostrarum rogationum. Frater quidem vos mox rogabit, ut matris suæ vitam salvam esse velitis, ejus, quæ maritum, furioso impetu, juris omnis divini oblita, de medio sustulit; hoc est, contendet oratione sua vobis persuadere si possit — quamquam non videtur futurum, ut possit —, ut vos matri pœnas meritas facinorum ab ea commissorum remittatis: ego contra vos rogo, ut nullo pacto vos patiamini flecti, quo illa patri meo minus det pœnas manibus ejus debitas: vos enim, quo scelerosi

pœnas dent meritas, eo et ad judicandum convocamini et judices appellamini, hoc est, justi atque injusti arbitri dignorumque facinoribus præmiorum dispensatores. Porro cædis hujus machinatricem ego in jure persequens, hoc ago, ut eam supplicio afficiam quod merita est, tum ut patrem nostrum vindicem ejusque manes hostilis sanguinis libatione placem, denique ut juris vestri civilis auctoritatem atque majestatem tuear; et sunt hæc, ni fallor, tanti momenti, ut vos deceat, quotquot considetis, omnes, mihi præsto esse causamque meam superiorem reddere, si æquitatem et veritatem ejus oratione vobis approbare potuero: ille ex adverso hoc agit ut, quæ mulier leges vestras sprevit, pœnis eam eripiat illis, quibus eam scelus suum obstrinxit. Atqui, utrum, quæso vos, æquius est, præmeditatæ necis ream sceleris pœnas dare, an nullas dare? utrum æquius est, misericordia duci per nefas interempti, an ejus mulieris quæ illum sustulit? Ego equidem illum utique vestra digniorem commiseratione censeam. Convenientius enim id sit et humanis et divinis juribus. Quapropter æquum et factu necessarium arbitror, ut illa pari severitate vestraque et juris æqui sanguinem ejus expiet, quem illa caninæ frontis mulier, truculenta manu ferreisque præcordiis, nullo humanitatis sensu repressa, sustulit. Quam enim necem maritus, invitissimus, per vim sibi oblatam atque ingestam, toleravit necessario, eam mulier ei, sponte sua, a nemine coacta, rationibus diuturna deliberatione probe subductis propositoque obfirmato, obtulit atque ingessit, quo tempore miser insultui haud proviso maxime pateret. Nam in procinctu stans cum nave peregre proficiscendi, et apud amicum hominem secure epulans, hausit imprudens venenum a pellice amici sibi datum, quod venenum noverca pellici illi, perinde nescienti, mittens, per nuncium mandaverat ut patri meo bibendum propinaret: quam potionem mors patris consecuta est. Ecqui jam infitiari ausit, hanc necem patri per violentiam invito et reluctanti oblatam et ingestam esse? ejusmodi belluæ ulla, aut vos aut alium quempiam duci, seu commiseratione seu reverentia, ecqui conveniat, judices? quæ pectus ipsa suum adversus omnem mariti sui commiserationem ita obdurarit, ut eum impie atque flagitiose necare nil vereretur. Decet utique judicum animos molles esse atque misericordiæ patulos, verum erga miseros involuntariis infortuniis oppressos; erga reos autem scelerum data opera designatorum oportet duros et sævos esse. Ut illa thori sui consortem sustulit, neque deos neque semones hujus patrii soli præsides neque cives reverita, sic et illa rursus æquissimo jure tractabitur, si vestraque et juris æqui sententia morti damnata, sine commiseratione sine reverentia sexus ulla, nulla cunctatione pereat.

5. Hic facere non possum, quominus fratris me aiam mirari audaciam: ecqua demum is mente in contrajuramento affirmavit, se

certum esse probeque tenere matrem suam tantum scelus non patrasse? Ecqui tandem ea probe tu teneas, quibus, cum gererentur, haud interfuisses? nam profecto neque aiat frater se veneni coctioni interfuisse, neque credibile est eum ei rei adhibitum fuisse. Neces enim qui aliis comparant, hi ad clandestinas suas molitiones non advocant testes, sed machinantur fraudes suas quam possunt occultissime, seduloque cavent ut mortalium nemo resciat: quo fit, ut quorum capitibus hujusmodi fraudes consuuntur, hi nihil horum omnium ne suspicentur quidem, neque prius pestem sibi objectam sentiant quam in ejus faucibus jam hæreant; tum demum noscitant pestem suam, quum negatum ipsis est eam devitare. Ejusmodi calamitate oppressi, quibus quidem per mortis lentorem liceat — nam aliis hoc negatum est quos citum auffert exitium —, convocatis amicis atque necessariis exponunt de luctuosi sui casus miserabilitate, nominatim appellantes exitii sui auctores, jubentque eos coram judicio de hac sua auctoritate testari ultionemque injuriæ suæ ipsis exsequendam demandant; id quod idem pater quoque meus erga me, quamvis tum adhuc puerum, fecit, ex illa suprema et luctuosa valetudine cubans: sin autem periculi rapiditas hac cautione animam agitantes excludat, literis mandant ea quæ verbis ad amicos edere per temporum angustias negatum est, et antestantur servos suos, nominatim homicidas suos ad eos edentes. Pari modo pater quoque meus me, ut tum adhuc puerum, per literas, voluntatis atque sensuum suorum interpretes, et de casu suo certiorem fecit et ad ultionem a scelerata repetendam cohortatus est, me, inquam, judices, non servos suos.

6. Jam docui vos totam rem; succurri, quatenus potui patrique defuncto jurique civili, cui hoc facinore insignis oblata est contumelia; defunctus sum partibus meis: jam vestrum est, de vestri muneris partibus, quæ vobis agendæ supersunt, vobiscum dispicere et jus æquum dicere. Et si vel vos quoque vobis defueritis, quamquam haud videmini tantum dedecus ad vos admissuri, dii tamen inferi, de quo nullus dubito, inultum haud transmittent tantum scelus, a cujus atrocitate majestas eorum violata fuit.

ANTIPHONTIS TETRALOGIA I.

1. Accusatio cædis voluntariæ.
2. Defensio cædis ejusdem.
3. Accusatio posterior ejusdem cædis.
4. Defensio posterior ejusdem cædis.

1. ACCUSATIO CÆDIS VOLUNTARIÆ.

ARGUMENTUM.

Ubique Antiphon innatam suam vim dicendi ostendit, maxime vero in sequentibus quatuor orationibus, in quibus secum ipse pugnat. Duas enim orationes pro accusatore recitans, et duas pro reo habuit, in ambabus æque probatus. Hæc enim oratio similis est orationi Lysiæ ad Micinem scriptæ. Argumentum ejus hoc est. Quidam, a cœna rediens, cum comite occisus inventus est. Post cujus mortem quidam ex affinibus suis inimicum ejus accusat, ut hujus homicidii reum: ille inficiatur. Unde conjectura status imperfecta, ex una tantum persona constans. Divisio orationis hæc est. In procemio constitutionem oratio non habet, quia nondum oratio dicendi impensa erat: contentionem namque incipiens primum accusationis confutatione utitur, qua ostendit neminem ex debitoribus ne cogitatione quidem interfecisse. Deinde causam urget, ostendens ex insidiis interfectum esse. Denique ad propositum transit, indiciorumque petitionem servi testimonio refellit. Deinde digressio et peroratio sequitur.

Quæ quidem fraudes ab hominibus contemnendis comparatæ fuerint, eæ sunt ad coarguendum non admodum difficiles: fraudes autem si quæ constructæ fuerint ab hominibus nobili loco natis rerumque civilium usu tritis, et id ætatis agentibus quo quisque ad prudentiam valentissimus atque excitatissimus est, ejusmodi veteratores et noscitare et coarguere perquam est arduum. Discriminis enim probe tenentes magnitudinem, in quod induunt caput, e longinquo cautionem insidiarum quas parant meditati, prius operi manum non admovent quam suspicioni omni aditum ad se diligentissima circumspectione occluserint. Quorum vos gnaros atque memores oportet, o judices, vel minimum quemque radium suspicionis allabentem cupide captare eique certam fidem adhibere. Nos autem hunc reum hujus cædis agentes volumus vobis accusatores idonei atque religiosi videri; neque sumus ex eo genere accusatorum, qui

sontem elabi sinentes insontem persequuntur: neque probabile est nos tam iniquos et improbos esse, ut nobis ipsis magis quam aut vobis aut ulli alii noceamus, qui probe teneamus, cum homicidii reatus totam civitatem polluat atque teneat piaculo constrictam, donec homicida demonstretur, futurum, ut reatus ille a civitate in nos solos relabatur, si pro sonte insontem plecti curemus; et, vos judices, si falso nostro decepti indicio in dicendo jure erraveritis, pœnam omnem illius erroris in nos solos esse coorituram, qui falsa docendo vobis imposuerimus. Certi itaque cum simus omne hujus homicidii piaculum in nos solos esse relapsurum, si verum dedita opera conturbemus atque dissimulemus, conabimus ex iis, quæ probe cognita atque perspecta habemus, quam poterimus liquidissime demonstratum dare, cædem hanc ab hoc homine, quem ejus insimulamus, peractam esse. Neque enim probabile est eam a latronibus peractam esse; quia ambo, et herus et servus cum eo peremptus, non spoliati vestibus, sed adhuc amicti suis vestibus, reperti sunt: latro autem si eos peremisset, profecto non fuisset commissurus ut sine illo compendio discederet, cujus adipiscendi causa caput ipse suum discrimini objecisset; quamvis prædam illam jam paratam nulloque sudore rapiendam inter manus haberet. Porro ne per rixam quidem inter pocula coortam confossi sunt: statim enim fuisset ejusmodi homicida a reliquis compotoribus et agnitus et comprehensus; nostrum autem peremptum, qui occiderit, nemo novit. Non magis jurgium atque convitium ei necem contraxit: cecidit enim nocte intempesta et in loco deserto; atqui ejusmodi tempore locoque nemo alii cuipiam convicia ingerit. Denique etiam hoc prætexi nequit, fuisse nescio quem, qui jaculo alium nescio quem petens, telo aberrante hunc confoderet: nam si conjectus error hunc sustulisset, non profecto idem telum a destinatione sua abberrans, unius erroris incredibili constantia ambos, herumque servumque una, sustulisset; sed ambo jacent una confossi. Atqui negatum est præter has quas commemoravi excusationes, ullas alias quodammodo probabiles comminisci. Refutatis igitur his excusationibus et occlusis his subterfugiis, nil superest, quam ut aiam hunc peremptum ex insidiis inimici cecidisse; id quod ipsum quoque mortis genus clamat. Sed ei insidiatum esse ecquemnam sit credibilius, quam eum, cui post magnas clades olim a perempto acceptas adhuc multo majores ab eodem essent inevitabiliter metuendæ? Quæ est conditio hujus hominis a me rei facti. Hic enim, a longinquo jam cum esset infestus perempto, multas quidem ei capitales causas in foro dicendas objecit, in quarum nulla eum condemnavit; contra vero a perempto criminibus exagitatus et numero pluribus et atrocitate pœnarum horribilioribus, e nulla unquam discessit absolutus, quo factum est ut res ejus familiaris cladem insignem acceperit: vetustas illas tacebo simultates

eorum mutuas; novissime adhuc peremptus reum sacrilegii accusavit, lite duobus talentis æstimata. Quid ejusmodi in loco facturum fuisse credibile est eum reum, qui criminis incusati sibi esset conscius, accusatoris facundiam et in rep. potentiam nosset, neque injuriarum oblitus esset ab eodem accusatore pridem acceptarum; eritne dubitationi locus, quominus hic, tot stimulis actus, et agitaret de inimico tollendo consilia et data opportunitate exsequeretur? Et ardor vindictæ occœcabat mentem ejus, discriminumque in quæ se demissurus esset recordationem obliterabat, et metus malorum ab eo, si diutius in vivis superesse sineretur, imminentium, ita exsternabat, ut hoc calidius manum facinori adjiceret, ludibriis hujusmodi spei præterea ductus. Hominem si sustulero, sic ille secum cogitabat, facile fiat ut facinoris auctor in occulto maneam; et semel exstincto illo, nihil jam est quod de causa sacrilegii male metuam: sublato enim accusatore nemo alius illam causam persequetur, sed jacebit deserta, accusatore in judicio non comparente: at fac tamen esse qui causam illam prosequatur, fac me damnari, fac denique me fortunis omnibus ipsoque spiritu mulctari; acerbum quidem id erit, verumtamen cum idem illud me maneat supplicium, si hunc diutius vitalibus auris vesci patiar, multo est gloriosius, si cadendum mihi sit, me non inultum, sed inimicum una quoque mecum letali ictu a manu mea prostratum cadere: ignavum fuerit segnem et imbellem mortem accipere jugulo ultro oblato. Sic reus hic secum proculdubio agebat. Certum autem eum fuisse, crimen hoc de sacrilegio ipsi capitale fore neque ullo pacto evitabilem hunc ictum, id ex eo constat, quod per actionem causæ de homicidio, ut cum minore periculo conjunctam, effugere conatus est necessitatem crimen sacrilegii purgandi. Nam nisi persuasum sibi habuisset, posse fieri ut cædem quodammodo purgaret, nullo autem pacto fieri posse, ut crimen sacrilegii defenderet, cædem non commisisset. Hæ sunt illæ necessitates, quæ eum ad committendam cædem adegerunt. Foret jam idem e testimoniis quoque testium approbandum; et producturi quoque nubem testium essemus, si iis abundaremus; verum in solitudine cum cædes peracta sit, qui poterimus testes multos producere? producemus ergo testes eos, qui testem unicum in re gesta præsentem — nam præter eum plures non aderant, cum insultus fieret —, pedissequum puta perempti, de homicida herique suique indicantem audiverunt. Nam spirans adhuc ille pedissequus a supervenientibus repertus et sublatus fuit: is a nobis de homicida interrogatus respondit, de toto globo grassatorum, a quibus oppressi fuissent, se alium neminem noscitasse præterquam hunc unum quem cædis postulo. Tenetur itaque convictus, cum argumentis e probabilitate ductis, tum testimoniis eorum qui aderant pedissequo, inter exspirandum cædis hunc insimulanti: ejusmodi

reum nullo prorsus modo vobis licet, judices, absolvere. Nam si faciatis, et jus æquum sitis violaturi et in publicaque privataque vestra commoda peccaturi. Nam sic grassatori cuique veniam detis capitibus fortunisque quorumcunque impune insidiandi, si arma corrumpatis ea, quibus grassatores impugnari et ad confessionem scelerum adigi possunt: nam si neque argumenta e consentaneo petita, neque testimonia eorum qui rebus gestis interfuere, penes vos valent, nemo grassatorum omnia jam poterit unquam convinci: carebunt ergo injuriis oppressi vindice: quod est summum nefas. Sed etiam haud expedit hunc impurum, humano cruore madentem, incesto pede limina deorum calcantem, sanctimoniam fanorum polluere, aut assidentem iisdem mensis convictores, quamvis insontes, spurcitie sua respergere: exsistunt enim inde annonarum caritates terrarumque sterilitates, pecora cum mulieribus parere desinunt, negotia omnia sinistris fortunis intercedentibus sufflaminantur atque conturbantur. Decet ergo vos, existimantes hujus cædis ultionem vestram esse provinciam, pœnas homicidii in scelerati hujus caput, sic meriti, retorquere; punientes enim hominem unum, dabitis vos quidem huic uni malum, sed illud malum et ei proprium atque privatum erit neque ad plures dimanabit, et eodem illo malo privato publica mala relevabitis, totam civitatem repurgantes atque expiantes.

2. DEFENSIO EJUSDEM CÆDIS.

ARGUMENTUM.

Accusatus fatetur quidem antiquam inimicitiam, quæ illi cum interfecto intercesserat, homicidium tamen negat, et indicium facit se eum non interfecisse inimicitiam. Dicit enim, inimicus cum sim, omnino scivi mihi causam contrariam eventuram; propterea tamen sane eum non interfeci. Refellit et testimonium servi, utpote a dominis subornatum: non enim incredibile dicit, grassatores, qui illum interfecerint, non prævenisse, ut illum pallio spoliarent.

Non videor mihi peccare, existimans me hominum natorum omnium esse infelicissimum, ut cui fortuna nascenti contigerit implacabiliter irata et infesta. Cæteri quidem si qui adversa cum fortuna conflictentur, finem tamen aliquando tandem malorum suorum inveniunt, ut procellis jactati, rursus succedente tranquillitate maris et cœli serenitate recreantur atque conquiescunt: valetudine gravi oppressi et in vitæ discrimen adducti, convalescunt et cubili resurgunt salvi: quæcunque aliæ calamitates alios perculerint, succedentes contrariæ illis prosperitates illas depellunt et obliterant. Mihi vero hic homo [peremptus] fataliter et superstes adhuc fundi mei fuit calamitas, quem funditus evertit; et nunc vivis exemptus in capitis me conjecit discrimen, quod etiamsi effugero, relinquet tamen mihi mœro-

rum atque sollicitudinum satis superque. Tam me gravis urget sors ut non satis ad salutem mihi sit, me ipsum pietatis ergo deos jurisque civilis observantem præstitisse; sed etiam, nisi homicidam, a quo hæc cædes patrata fuit, investigaro atque coarguero, quem ipsi investigare atque demonstrare non possunt hi, qui fusi sanguinis ultores se gerunt, ego ipse in periculum veniam, ne falsa cædis suspicione oppressus contra jus et fas impræsentia extremo supplicio damner. Subtilem hi me quidem acremque verbis faciunt disputatorem et callidum insidiarum architectum, eoque ægerrime laqueis convictionis irretiendum; at iidem tamen rursus ea me patrasse aiunt, quæ si patraro, necesse sit omnium hominum me tardissimum atque vecordissimum esse: facinora enim mihi imputant contra me de cæde manibus meis peracta testantia. Mirabilem enimvero inconstantiam atque repugnantiam! Quamquam facinus non commisi, nunc tamen, illo vere sublato, suspicione facinoris premor, ob simultatis acerbitatem quæ mihi cum vivo olim intercessit: noram, ergo, si hic a quoquam alio jugularetur, futurum ut suspicio cædis in me statim incumberet. Egone manibus ipse meis cruri meo hanc securim impingerem? Non erat multo magis consentaneum, me, si quem alium nossem ejus vitæ insidiantem, operam dare, ut eum a proposito illo revocarem facinorique intercederem, quam me facinus id patrare, per quod in suspiciones incurrerem, haud dubias illas et ultro arcessitas? Prorsus hoc abhorret. Nam si fecissem, necesse erat cædis auctorem aut innotescere aut ignotum manere: si innotuissem, funditus perieram, ipsa facinoris atrocitate me jugulante; sin autem facinus meum clam mansisset, certus tamen eram suspiciones hominum omnium in me esse incubituras. Injuria mihi utique fit indigna et miserabilis, qui cogar, non modo me purgare, sed etiam homicidas quos ignoro indicare: quod tametsi perarduum et pæne negatum est, conabor tamen hoc quoque facere. Necessitas enim, ut in proverbio fertur, telorum omnium est acerrimum. Accusatorem alio modo repellere non possum, quam argumentum ejus invertendo. Concludebat sic: fieri nequit, ut exanimatum aut latrones aut rixosus quidam compotor aut alius aliquis importunus convitiator aut denique jaculator a meta aberrans peremerit; ergo, inquit, hic peremit, me demonstrans, et ipsum mortis genus clamat, hunc fecisse. Invertam argumentum hoc, sic concludendo: si necesse est, ut ego homicida sim ideo, quod illos haud probabile sit fecisse, necesse rursus erit me crimine vacare, si planum fecero, illos probabili suspicione facinoris urgeri. Negant hi probabile esse, quod ego aio vel maxime probabile esse, ut cæsus, dum nocte intempesta vagaretur incertus quo iret, a manticulariis confoderetur, vestium cupiditate illectis. Nam quod vestibus spoliati jacentes non fuerint, ex eo nihil colligi potest: potuit fieri, ut homines intervenientes ipsis, otio eos excluderent vestes jacentibus destringendi, quorum homi-

num intervenientium metu, si jacentes una cum vestibus reliquerunt et fuga salutem quæsierunt, utique non desipuerunt, sed vel maxime sapuerunt, salutem lucello præhabentes. Sed fac peremptum hunc, non a manticulariis vestium causa peremptum esse: quid tum? num ideo magis ego feci? annon facile factu fuit, ut hic cæsus, videns nescio quos malum aliquod et capitale facinus patrantes, ab his occideretur, metuentibus atque caventibus ne sui facinoris ille index fieret? Ecquis non hosce, meos accusatores — qui multi erant — novit non multo minore peremptum odio prosecutos, quam fuit meum illius odium? Nonne igitur magis fuit probabile eos ipsos, quam me, eum sustulisse? quid me impediat hoc suspicari? Norant, hic si a quocunque tandem tolleretur, futurum, ut cædis in me suspicio incumberet: quid tum? occidebant eum, certi, se in occulto mansuros, et me culpam ipsorum luiturum esse. Pedissequi testimonium ecqui tandem credibile sit? a quo, discrimine exsternato, noscitatum fuisse homicidam ita parum est credibile, ut contra credibile est, eum ab hominibus, quorum in potestate non esset, interrogatum, ad omnia quæ illi vellent statim assensum esse. Universe fides servorum omnium in edendis testimoniis sublesta est — nam ni esset, cur eos tormentis subjiceremus? —, ecqui ergo par erit huic servo fidem haberi aienti herum suum a me peremptum esse? Argumenta porro solummodo probabilia me gravantia si quis censeat paris esse ponderis cum veris et certis, eum velim rursus in contrariam partem hoc secum reputare argumentum a probalitate ductum me sublevans: in parandis insidiis consentaneum est me securitatem et cautionem secutum esse; quam si secutus sum, multo est verosimilius, me cavisse, ut a cædis executione abessem, quam ut interessem, eoque me meis oculis de veritate cædis certum redderem. Nego porro hoc, quo nunc teneor, actionis forensis de homicidio discrimen mihi visum fuisse expeditius atque tutius, atque alterum istud de sacrilegio; contra vero aio me, si non plane desipui, prius illud multis modis duxisse formidabilius, quam hoc posterius: id quod nunc demonstratum eo. Nam si causa sacrilegii caderem, futurum erat ut fortunis solummodo mulctarer; jus civitatis et spiritum mihi nemo erat erepturus; salva autem vita mihi relicta, etiamsi causa cecidissem et fortunas omnes amisissem, non tamen ideo fuissem ad extremas incitas deventurus, quia satis erat amicorum, qui stipe collectitia mihi necessaria alimenta præbituri viderentur: homicidii autem in causa hac victum me quænam manebant? supplicium mortis certum et inevitabile, præterea ignominia nefandi sceleris quam liberis pro patrimonio eram relicturus; aut si fuga mortis supplicium prævenirem, forent tamen mihi, homini seni et extorri, præter exsilium mendicitatis molestiæ atque dedecora toleranda. Planum itaque feci, nullam criminationum ab accusatore in me intortarum esse credibilem:

sed fac tamen probabile videri, eam cædem a me patratam esse, in eaque patranda me humanum quid passum, quod ab humana natura exspectari eique ignosci consentaneum sit, quamquam eam cædem reapse neque patravi et patratam a me esse pernego, vel sic tamen quoque par foret me absolvi. Nam injurias ab inimico mihi oblatas si ejus sanguine ultus essem, ingentes illæ atrocesque erant injuriæ; nam nisi tales essent, non possem videri fecisse facinus cum humanæ naturæ infirmitate consentiens; homicidas enim, et non qui homicidium justitiæ consonum patraverint, jure condemnaritis. Quicquid est, quocunque vos me pacto absolveritis hoc crimine, non polluam deorum sanctimoniam in eorum fana ingrediens, et contendens vobis persuadere ut me absolvatis, nefanda non facio. Nefanda contra faciunt et pestes vobis multifarias consciscunt hi, qui, omisso vero homicida, me insontem homicidii reum agunt: hi auctores vobis fiunt, ut impietate numina deorum lædatis: hi digni denique sunt, qui eadem omnia patiantur ipsi, quæ me aiunt meruisse, supplicia. Hujusmodi hominibus, tam impuris, denegate, judices, fidem vestram ipsorumque fidem parum fidam ducite: me autem e moribus et factis ante actæ omnis meæ vitæ spectate; quod cum facietis, tum deprehendetis, me neque vitæ cujusquam insidiari neque bona aliena appetere, sed contra, multasque spissasque contributiones contribuere, ingentes æris summas in trierarchatus, eosque crebros, insumere, splendida munera choregalia edere, multis succurrere gratuitis de meo largitionibus, pro multis, quibus me de nominibus haud contemnendis prædem præstitissem, luere solitum, rem auxisse non litium forensium sordibus, sed honesti quæstus exercitatione, crebra diis offerre sacrificia, civilemque me et æquum erga cives gerere, legibusque convenienter ætatem degere. Talis cum sim fuerimque, nolite me criminis impii turpisque condemnare. Quod si peremptus hic adhuc in vivis superesset, non satis haberem me purgare, sed etiam eum, unaque hos, qui sub prætextu ulciscendæ injuriæ huic a me oblatæ latentes emungere me nummis conantur, demonstrarem, per summum nefas me criminum eorum omnium insimulare, quorum nunc ab his insimulor. Verum majore etiam, quam erga eos decebat, æquitate atque facilitate utar; transmittam hæc: unum hoc vos rogabo, qui summæ rerum estis arbitri atque compotes, ut sinatis vos ab infelicitatis meæ immanitate ad misericordiam flecti vulneribusque ab ea mihi impositis salutarem vestram manum admoveatis; nolite, juncta cum his infesta opera, protervo pede jacenti mihi ventrem quasi conculcare, neve committite ut hi me pessumdent modo turpissimo legibusque divinis pariter atque humanis repugnantissimo.

3. ACCUSATIO POSTERIOR EJUSDEM CAUSÆ.

ARGUMENTUM.

Quæ a reo dicta sunt, in hac oratione Antiphon refellit, quando neque servi testimonium infidele et incredibile est, neque quanquam dives esset et nobilis improbabile eum homicidium fecisse, propterea bonis periclitaturum. Propositiones vero per inversionem diluit: illo namque dicendo, infelix sum, invertit, dicens calamitatem sibi ipsi damno esse.

Injuriam utique hic facit infelicitatis numini, quod ille prætendens piaculare suum facinus obumbrare conatur; neque vestra dignus est, judices, misericordia, qui cum peremptum calamitate perculit quæ eum invitum et repugnantem de medio sustulit, tum semet ipse in discrimen conjecit ultro arcessitum. Superiori oratione planum feci, peremptum nostrum procul omni dubio ab hujus rei ferro cecidisse: nunc autem planum facere hac altera mea accusatione conabor, crimen hoc ab eo non ita, ut par erat, depulsum esse. Age itaque argumenta ejus libremus. Fac ergo verum esse, quod ait, a latronibus eos fuisse jugulatos, illosque latrones, a spoliandis cadaveribus impeditos interventu quorundam quos ad se advenire vidissent, fuga salutem quæsivisse, nil curantes vestimenta illis detrahere. Esto. Invenerint hi intervenientes herum jam exanimatum: atqui famulum tamen inveniebant adhuc spirantem et sui conscium; hunc certe diligenter interrogassent de homicida; famulus veros cædis auctores indicasset bona fide; hi, re comperta, nomina sceleratorum ab illo edita ad nos retulissent, et sic liber a culpa reus hic mansisset. Non placet hoc? Fac ergo, peremptum alios quosdam in facinore malo videntem, ideo fuisse ab his sublatum ne facinoris hujus index fieret: atqui sic cædes horum, heri famulique, non sine istorum facinore innotuisset. Qui præco cædem promulgasset, idem una quoque facinus sceleratorum promulgasset, et sic in hos incubuisset suspicio, non in hunc reum. Porro fac perempto alios quoque fuisse inimicos, sed minoribus ab illo injuriis affectos neque in tantum capitis fortunarumque discrimen adductos, atque hic reus a perempto fuit. Age cædem ejus his imputemus: atqui mente comminisci non possum, qui potuerint minore in discrimine versantes animum inducere, ut magis hujus perempti vitæ insidiarentur, quam hic, cui majus periculum ab ejus vita, si diutius extraheretur, impenderet. Huic neque metus periculi ab homicidio commisso so manentis, neque recogitatio injuriæ atque atrocitatis et fœditatis qua se esset hac cæde patranda commaculaturus, sitim sanguinis effundendi satis exstinguere poterat; illorum autem simultatem atque vindictæ

sitim satis restinguere et manus reprimere atque ad continentiam compescere poterat, et cogitatio periculi subeundi et ignominiæ contrahendæ, etiamsi revera aliquando cædis committendæ aliqua lubido eos incessisset. Sed famuli testimonium elevat? Non recte is quidem. Nam optimæ illud erat certissimæque auctoritatis, ex eo genere testimoniorum, quæ edentes servi, non modo non tormentis subjiciuntur, sed vel libertate quoque donantur. Torquentur utique servi in causis herorum. Sed quibus? cum aut conscii consortesque heris fuerunt in furando aut furta herorum infitiando celare conantur, tum equuleo eos imponimus eaque necessitate veri confessionem ex iis exprimere studemus. Etiam hoc nego verum esse, quod ait, verosimilius esse, a cæde patranda se abfuisse, quam ei interfuisse. Verum quidem hoc fateor esse, si abfuisset, minus periculum eum fuisse aditurum, quam si adfuisset. Fac enim sicarium ab eo immissum, in facinore deprehensum, in hunc contulisse culpam, ab hoc se dixisse emptum et immissum esse. Quis crederet? qui prædicationi suæ mercenarius fidem faceret? Verum rursus, si abfuisset, verendum ei erat, ne facinus minus patraretur; segniores in exsequendo futuræ fuissent operæ: nemo non eorum omnium, absente instigatore et gubernatore facinoris, cunctantius atque reformidantius id esset aggressus. Verum negat periculum, quod sibi a causa sacrilegii imminuisset, si perempto hanc accusationem persequi per fata licuisset, gravius atque horribilius fuisse, quam periculum causæ hujus quam de homicidio nunc agendam habet. Etiam hoc falsum eum dicere, docebo. Discrimina et condemnationis et absolutionis in utraque causa ponamus paria. At non perinde certum erat, fore, ut causa homicidii in judicium adduceretur, atque certum erat, alteram causam sacrilegii esse inducendam, si vita inimico diutius prorogaretur; ne sperare quidem ullo pacto poterat, inimicum, quoad superesset, sibi veniam actionis de sacrilegio esse facturum: hanc autem homicidii accusationem, ut effugeret, erat sperandi causa probabilis; fieri enim poterat, ut in occulto maneret, a se cædem fuisse aut jussam aut patratam. Porro, postulans, propterea quod suspicio cædis non improbabilis in se incurrat, non ideo statim ab illius suspicionis tota mole opprimi, non recte postulat. Nam si metus suspicionis et ignominiæ publicæ, quam in se incubituram videbat, si cædes committeretur, satis hunc a proposito avertere valuit, necessario consequeretur, insidiatum vitæ perempti neminem fuisse. Ergo peremptus non fuit. Nemo enim non eorum, qui minus sibi, quam hic reus, a perempto metuebant, censendus est, minus inimici capiti fuisse insidiatus, quam hic est, qui omnium maxime sibi ab eo metuebat. Contributiones autem et largitiones in rempublicam suas jactans reus, et choregatus,

quibus functus est, nil magis proficit: indicia quidem hæc sunt lautæ et beatæ vitæ; verum, ut documento sint, ab homine tam locuplete cædem commissam non esse, tantum abest, ut potius contrarium approbent. Nam illa ipsa fortunarum amplitudo metum ipsi injiciebat, ne per hunc peremptum eam amitteret; quam si vellet retinere, necessario de medio submovendus hic inimicus erat: impium quidem facinus, quis neget? consentaneum tamen erat, audaciam atque cupiditatem hominis scelerosi ab eo sibi non fuisse temperaturam. Urget porro locum hunc, a jure civili homicidas haberi atque appellari eos qui cædem reapse manibus suis perpetrarint, non autem istos qui tantummodo speciosa quadam ejus suspicione premantur. Foret de hoc recte admoniturus, si homicidæ, hujus cædis patratores, nobis certo cogniti essent atque deprehensi: verum donec illi demonstrentur, reus hic argumentis summæ probabilitatis coargutus, recte habebitur homicida, et præter eum nemo alius. Cædes enim, non coram testibus, sed in occulto patrantur. Palam itaque jam constat, hunc reum per ipsam suam defensionem prodere, cædem hanc a se patratam esse: rogans itaque vos, ut se, qui homicida sua ipsius confessione sit, tamen absolvatis, quid agit aliud, quam ut vos roget, ut piaculum suum a se in capita vestra transferre iisque spurcitiem suam affricare velitis. At quanto major est orationis nostræ æquitas, qui, si neque probabiles notæ quibus hic obruitur, neque testimoniorum auctoritates quibus hic confoditur, satis ad coarguendum valent, negamus unum quemquam esse omnium, quantumvis magna suspicionum mole oppressorum, qui convinci queat. Quodsi ergo hunc absolvatis — quod si feceritis, per summum nefas feceritis —, defuncti manes nobis quidem pacati erunt, qui, quantum in nobis esset, egimus omnia ad eos placandos facientia; vobis autem, valde vereor, ne tempus veniat quo manes illi sollicitudines metusque et conscientiæ cruciatus injiciant. Constat inter omnes hunc miserum peremptum esse: vestigia cædis omnia ad hunc unum reum deferunt: famulus defuncti exspirans hunc homicidam appellavit: ecquo tandem vos jure hunc, undique septum et laqueis convictionis constrictum, absolvatis? Ignota hæc vobis non sunt, sæpius inculcata: quare, tenentes ea memori mente, succurrite defuncto, punite homicidam, repurgate civitatem a piaculo. Quod cum facietis, triplex simul bonum hoc uno facto consequemini: minuetis numerum maleficorum, alienis fortunis atque spiritibus insidiantium; augebitis numerum hominum religiosorum; maculam impietatis ipsi vestris a manibus abstergetis.

4. DEFENSIO POSTERIOR EJUSDEM CÆDIS.

ARGUMENTUM.

Ecce inquit ego, et ærumna mea. Demostrative dicit, seipsum innuens. Ipse ego, inquit, meipsum et infortunio meo et istorum malitiæ trado. Argumentum se homicidium non fecisse præbet reus, quod nusquam ea nocte progressus fuerit; et propterea omnes servos ut torqueantur offert.

Ecce ego me infelicitati, quam hi a me aiunt per nefas accusari, in manus potestatemque ultro trado, unaque horum simultati, reformidans quidem atrocitatem invidiæ qua hi me respergunt, rursus tamen vestra fidens voluntate et veritate cœptorum meorum. Contendunt hi quidem ipsa adeo facultate calamitates meas coram vobis lamentandi me excludere; at quonam alio me confugere oportebit, si portus hic salutis meæ, sinus vester, occlusus mihi fuerit? Inaudito exemplo — nisi potius me dicere par est modo nequissimæ improbitatis turpissimo —, hi, qui se mei una accusatores peremptique ultores ferunt, omnem suam orationem in exaggeranda vi probabilitatis exhauriunt, dum interim ab ipsa veritate aberrant: verum homicidam quod demonstrare non habent, ideo me contendunt homicidam esse; partibus insuperhabitis iis, quæ demandatæ ipsis sunt, invadunt in alienam provinciam; me per nefas de medio sublatum eunt, non sanguinis effusi vindicias quærunt, quas quærere jussi sunt. Jam oportebat me quidem aliud nihil agere quam ut famuli testimonium enervarem, quo facto insistere et acquiescere poteram: index enim homicidarum non magis sum, quam coargutor; nihil aliud jure flagitari a me potest, quam ut crimina mihi objecta refutem. Audebo tamen nihilominus etiam ulterius procedere, quo et hos, inimicos meos, capiti meo insidiantes, omnibus propugnaculis atque latebris expellam, omnemque omnino maculam suspicionis a fama mea abstergam. Infelicitatem itaque meam, cujus nomine hi mihi invidiam creare contendunt, oro quæsoque, ut, mutata natura, mecum reconciliata, felicitatis induere personam velit: vos autem rogo judices, ut absolvendo me beatum reddere malitis, quam condemnando miserabilem. Accusatores si audimus, nemo non eorum, qui cædi dum perageretur intervenerunt, quæsivit, quinam essent homicidæ, cognitoque, ad domum peremptorum renunciavit: hoc factum esse multo aiunt esse probabilius, quam alterum, ut nempe intervenientes cædi, cognitis homicidis, viam suam pergerent et de re gesta homicidisque ad necessarios cæsorum renunciare insuper haberent. Ego vero, multum illis dissidens, nego quenquam tam calidis animis tam ferrea fronte futurum fuisse, ut derepente, nocte intempe-

sta, incidens in corpora contrucidata, adhuc palpitantia, in homicidas inquireret eoque ipse suam vitam in discrimen daret; videtur enimvero ille multo citius retro pedem retulisse citamque in fugam se conjecisse. Quod si ergo latrones in hoc quoque perempto eadem fecerunt, quæ hujusmodi homines in simili loco atque tempore facere par est, locus utique est suspicioni, grassatores nescio quos vestium causa etiam in hos insultum fecisse; injuria itaque fuerit, eos a suspicione hujus cædis absolvere. Num autem una cum cæde ab his latronibus patrata, alia quoque similia facinora aliorum grassatorum voce præconis indicata fuerint, nec ne, quis novit? Nemo enim tanti fecit id quærere. Obscurum autem cum sit præconium, ne ab his quidem grassatoribus peremptum fuisse nostrum hominem incredibile est. Famuli autem testimonio ecqui oporteat majorem auctoritatem fidemque attribuere, quam testimonio ingenuorum? famulo utique major erat impunitas mentiendi, quam his. Ingenui, si qua de re in judicio testati falsi dicti testimonii convicti sint, infamia notantur et pecuniis mulctantur: famulus autem hic nullo tolerato examine, nullis admotis fidiculis, exspiravit. Ubinam ergo nunc dabit pœnas? Scrutinium ecquod subibit? Nil itaque mirum est, si homo, cui nullum propositum esset e mendacio periculum, impulsus ab inimicis meis, quorum in potestate esset, falso me indicavit. Famuli ergo testimonium mihi adversum, fide omni cum sit indignum, facinus utique feceritis impium et nefandum, si me propter ejus auctoritatem, quæ nulla est, occideritis. Porro aiunt minus esse credibile, me a cædis patratione abfuisse, quam ei interfuisse: ego vero quod aio me ab illa cæde abfuisse, id non ratiociniorum probabilitate, sed rerum veritate testatum faciam. Quotquot enim mihi sunt utriusque sexus mancipia, illa omnia vobis dedam ad quæsitionem per tormenta: quorum e prædicatione si constiterit, me illa nocte domo abfuisse, aut vel limina modo domus meæ transisse, confitebor me homicidam esse. Neque obscura parumque memorabilis est illa nox, sed vel maxime insignis eoque ad recordandum facilis; homo enim noster Diipoliis cecidit. Quod ad opulentiam attinet, cujus amittendæ formidine me exsternatum hi aiunt necem ipsi dedisse, longe secus est quam hi prædicant: debebat illa mihi potius caritate sui constringere manus atque reprimere a facinore. Pauperibus quidem conducit, novandis rebus et capessendis consiliis desperationis plenis aleam fortunæ jacere, aut melioris adipiscendæ aut præsentis deterioris ipsa cum vita exuendæ; spes enim ipsis non prorsus nulla est, mutata rep. suam quoque infelicitatem alium vultum esse induturam: fortunatis autem hominibus expedit, quanta maxima cum cautione conquiescere immotos et parta quiete tueri. Rebus enim conturbatis et inversis, e fortunatis fiunt mendici et

miseri. Pugnant adversus me armis probabilium solummodo argumentorum, et nihilominus tamen illinc summam colligunt, quam non jam probabilem sed certam et veram contendunt esse: non probabiliter, sed vere et certo certius me homicidam esse asseverant. Atqui demonstratum dedi, illa omnia eorum argumenta a probabili petita pro me militare. Nam testem cujus testimonio premor, fide carere planum factum est: scrutinio res caruit: indicia pro me facere, et contra adversarios, declaravi: vestigia cædis non ad me deferunt, sed ad eos quos adversarii oratione sua absolvunt. Planum itaque a me factum cum sit, omnia meæ accusationis capita infida et fide cassa esse, verendum utique non est, ne id eveniat, quod hi eventurum aientes vano vos metu territatum eunt, ut nempe, si ego absolvar, nullus posthac maleficorum omnium maleficii convinci possit; sed hoc potius exsistet multo horribilius, ut insontium nemo posthac satis evidentem et gravem inveniat rationem sui purgandi, si ego nunc reus peragar. Quanquam hi me tam perspicua et manifesta cum injuria reum agentes, ipsi impietatem summam committant, per quam sanguinem meum effundere conantur, puros tamen se ferunt et a piaculo intactos: me vero impium facinus agere in eo, quod vos ab impia cæde mei dehorter, persuadere vobis laborant. Ego vero, qui me aio purum et intactum ab omni crimine mihi objecto esse, veluti in articulo mortis constituti remanentibus ultima præcepta mandant, sic vobis quoque hæc præcipio atque injungo, ut summa diligentia caveatis, ut in reverentiam hominibus sanctis et crimine vacuis debitam ne offendatis: quoniam vero vobis opera quoque danda est, ut manes perempti ultione placentur, sævitiem deæ vobis ad animum revocans ejus cujus hæ sunt partes, ut cum alia quæque scelera tum inprimis homicidia pœnalibus iris prosequatur et exagitet, hortor vos ut insontem pro sonte ne puniatis, eoque in causa sitis ut vere sons inultus elabatur; id quod fiet, si me culpa vacantem peremeritis; eo enim facto, nemo de quærendo vero homicida amplius cogitabit. Hæc itaque mala caventes atque devitantes, absolvite me; quod facientes primum divinisque humanisque juribus convenientia facietis; deinde non errore ruetis, eoque carebitis pœnitentia quæ agnitionem erroris insequi solet: hujusmodi enim in causis pœnitentia nil proficit, errore commisso medicinam respuente.

ANTIPHONTIS TETRALOGIA II.

1. Accusatio cædis involuntariæ.
2. Defensio cædis involuntariæ.
3. Accusatio posterior ejusdem cædis.
4. Defensio posterior ejusdem cædis.

1. ACCUSATIO CÆDIS INVOLUNTARIÆ.

ARGUMENTUM.

Pueri duo in gymnasiis jaculabantur: accidit unum perite jaculari, alterum vero in impetum sagittæ currentem vulnerari. Mortuo puero, pater ejus eum qui sagittam emiserat homicidii accusat: qui culpam ictus in currentem transfert. Unde quidam statum causæ recriminationem, alii transpositionem nominant.

Causarum quicquid in confesso et extra controversiam positum, est, de eo jam dudum edixerunt atque sanxerunt leges, et hi qui leges illas suis suffragiis ratas esse jusserunt; nam penes hos summa rerum potestas in rep. est: si quid autem incidat controversiæ obnoxium, de eo vobis demandatum est, ut dignoscatis. Quare cum causa hæc, quæ mihi cum hoc reo est, prioris sit generis, plana et aperta, venio ad vos, judices, rogatum ut edictum legum exerceatis; neque enim videtur reus hic adolescens, quod obloquatur, quicquam esse habiturus: nam, tametsi fateor, eum, non volentem, sed invitum fecisse, certum tamen hoc est eum, in gymnasio jaculo certantem, filii mei latera illo jaculo transfixisse; quo a vulnere confossus in continenti exspiravit. Verum tamen mihi, qui perempti pater sum, eo, quod invitus fecit, non minorem conscivit calamitatem, quam si data opera fecisset; neque eo minus perempto fatum ante tempus acceleratum, ipsi sibi conscientiæ atque pœnitentiæ cruciatus et civibus in vita relictis piaculi spurcitiem contraxit. Quare vos rogo, ut occisori imperetis, ut sese abstineat a frequentatione locorum illorum omnium, quorum aditu lex homicidis interdicit: quod facientes, demonstrabitis, vos commiseratione duci et patris infelicis filio orbati, et filii ante tempus rapti, neque sinetis ab hoc adolescente adspersam toti civitati maculam ei insidere.

2. DEFENSIO CÆDIS INVOLUNTARIÆ.

ARGUMENTUM.

Pater ejus, qui sagitta alium interfecit, dicit, eum qui interfectus fuit sibi ipsi causam cædis fuisse. Jaculo namque misso, ad scopum cucurrit: unde sui occisorem habendum esse. Status causæ criminis translatio est, non, ut quidam interpretantur, veniæ deprecatio.

Nunc tandem uso meo comperi, solere infortunia rerumque necessitates ipsos adeo quietæ et a turbis causarum forensium abhorrenti vitæ deditos in certamina rixarum committere, pudentesque atque pacatos cogere, ut alia multa facere ab illorum ingeniis moribusque aliena, sic in foro quoque dicere. Ego enim, qui talis, tam modestus et sedatus esse, non modo in primis studeam, sed etiam sim, nisi mea me de me multum fallit opinio, tamen ab adversa mea me fortuna eo redactum video necessitatis, ut, inconvenienter cum reliquæ meæ vitæ more, causa mihi sit defendenda, cujus et ægre perdidici veras rationes, et multo adhuc impeditiorem mihi invenio rationem eas oratione coram vobis demonstrandi. Quare ad clementiam et commiserationem vestram, judices, non minus ego quoque, quam accusator meus, confugio rogoque vos ut, si vobis videbor subtilius quam pro reliquo meo more disputare, quod ipsa necessitas a me invito extorquebit, ne minus ideo æquis auribus defensionem meam accipiatis, neque, opinationis speciositate magis quam veritatis certitudine ducti, sententiam pronuntietis: nam opinatio quidem rerum gestarum secunda iis est, qui facundia rebus induere facies quascunque volunt valent; veritas autem stat a partibus hominum justitiæ atque religioni operantium. Sperabam itaque ego equidem, operæ me meæ fructus esse percepturum, quam in hoc filio meo artibus iis erudiendo ponebam, quibus cum resp. universa ornatur, tum nos ambo privatim nobis videbamur commodi nonnihil percepturi; verum evenit mihi prorsus contra atque sperabatur et designabatur. Nam adolescens hic, non impetu quodam arrogantiæ in contumeliis lascivientis actus, neque levitate petulantiæ, sed in gymnasio una cum aliis æqualibus sub magistro jaculum intorquere discens, vulnus quidem lethale misero puero, accusatoris filio, intulit, verum tamen non ideo statim dicendus est eum sustulisse, si rem gestam, non externa specie in oculos incurrente, sed rerum veritate, quæ diligentia meditationis exigitur, metiaris: ipse puer in semet peccavit, et per hanc alienam culpam filius meus in criminationes impegit, quas ut sibi conscisceret ei nunquam in mentem venit. Nam si jaculum, extra terminos ejus cursui præfinitos evectum, in puerum incurrisset, eumque stravisset, nulla nobis relicta foret excusatio qua incusationem cædis depelleremus: atqui

puer jaculo intra spatia sua manenti, ultro semet venienti obtulit, corpusque suum ei objiciendo impedivit jaculum quo minus ad metam pervenire posset; puer eo quod sub teli conjectum venit, et ipse sibi vulnus lethale contraxit, et nobis infamiam ad nos prorsus nil pertinentem. Patet ergo adolescentem injuria cædis insimulari, qui neminem eorum omnium feriit, qui procul a meta loco suo et tuto constiterunt. Puer itaque, si pariter loco suo stans mansisset, procul omni dubio ictus non fuisset; res est perspicua: sed multo adhuc magis est perspicuum, cum non alieno errore, sed suomet cecidisse; nam si quietus et immobilis stans in statione sua perseverasset, ictus non fuisset. Erroris itaque pœnas si eum dare par est qui erravit, constat jam, a qua parte error sit: ambos enim contra voluntatem suam fecisse, id quod fecerunt, alterum ferientem, alterum sub ictum venientem, de eo mihi cum accusatore convenit. Sed adhuc evidentius arguatur homicida hoc quærendi modo. Qui, cum animo suo proposuissent aliquid facere, id efficere non possunt, sed ab instituto atque spe sua aberrant, hi habentur atque appellantur effectores rerum involuntariarum; qui autem sponte sua aut agunt aliquid aut affectioni cuidam se objiciunt, in hos merito et actiones illæ voluntariæ et voluntariæ clades, ut in auctores, conferuntur. Jam adolescens meus neque hominum quenquam voluntarie læsit neque in re quapiam voluntate sua peccavit. Exercebat artem jaculandi, non interdictam sibi, sed imperatam; non jaculabatur in area luctantibus consecrata, sed in ea, ubi jaculantes operi suo vacant; neque intorsit jaculum alio quam versus metam; non a via recta detortum ad procul a meta distantes jaculum in puerum incurrit: recte itaque omnia peregit adolescens, quæ agenda sibi proposuerat; quo fit ut nihil omnium fecerit præter voluntatem suam, sed ipsi haud exspectanti et invito casus adversus objectus fuit, ut jaculum ejus interventu pueri a metæ contactu prohiberetur. Puer autem, præter metam transcurrere volens antequam jaculum veniret, errabat in æstimando temporis spatio, quo licuisset alicui salvo transcurrere, qui rectiore et feliciore æstimatione momenta temporum mensus fuisset; incidebat itaque in malum involuntarium: peccavit ergo in semet ipsum, etiamsi contra voluntatem suam; habeat ergo sibi et ferat inultus pœnam erroris sui: cladem hanc ipse sibi jumento suo accessivit; pœnas dedit; ipse semet ultus est; desistatur ergo ab ultione aliunde petenda: nollemus factum, cui profecto non illætamur, sed potius ingemiscimus. At in culpa tamen nos non sumus erroris qui ei pestifer fuit, sed culpa penes eum est qui errorem commisit; malumque ex errore natum, in erroris auctorem relabens, cum nos a criminatione absolvit, tum in ipso committendi erroris articulo meritas a commissore pœnas exegit. Verumenimvero, non sola rei natura, sed jus quoque civile nos absol-

vit, quo fidens hic me reum agit. Jus quid edicit? Neque per fas, neque per nefas, h. e. nullo pacto, nullo prætextu, quocunque tandem, quemquam occidi. Atqui filius meus hac lege non tenetur; prorsus enim non occidit, neque volenter, neque præter voluntatem; error enim perempti filium meum ipsius adeo involuntariæ cædis crimine absolvit; et accusator ipse negat eum cædem voluntariam commisisse; absolutus itaque adolescens utriusque cædis crimine, lege illa non tenetur. Planum sic feci, et e rei gestæ veritate, et e legis formula illius cujus obtentu rei nunc agimur, culpa nos omni vacare, ideoque pœnam esse nullam meritos. Sed et reliquæ nostræ vitæ rationes moresque tantam pœnarum acerbitatem a nobis procul arcent, quantam hic accusator nobis irrogatum it; atrox enim filio meo injungatur injuria deorumque vindicta digna, si cogatur alieni erroris pœnas luere; ego vero, tametsi, non magis quidem, quam filius, sed solummodo pariter atque ille, culpa vaco, in calamitates multo acerbiores incidam, quam ille: nam ille quidem, si fatale fuerit, cita morte aufferetur; ego vero, quod reliquum mihi vitæ tempus est, id haud vitale exigam; orbus enim, filio carens, vivus adhuc, potero haud secus, atque fatis defuncti, pro sepulto haberi. Penes vos itaque et hujus infantis calamitas culpa vacans, et miserabilitas sortis, quæ me miserum senem, ut repente oppressit, ita minatur mœrore molestiisque confectura, tantum valeto vestramque commiserationem tam valide commoveto, ut caveatis condemnationis vestræ severitate nos extrema mergere infelicitate, ut potius absolutionis sanctitate religionis erga deos justitiæque famam tueamini. Nil est quod vereamini, ne nos absolvendo sanguis perempti inultus maneat: ultor ei suus jam obtigit: fert lapsus sui pœnas is, qui lapsus est: nos eas cum illo una perferre, haud convenit; ita meriti non sumus. Reverentes itaque lædere eos, qui hoc in negotio neque divina neque humana jura ulla ex parte læserunt, absolvite nos, id quod vos facere ambo illa jura flagitant: miserrimum par hominum, patremque filiumque, calamitatibus ante tempus acceleratis ne demergite.

---

3. ACCUSATIO POSTERIOR EJUSDEM CÆDIS.

Videtur hic reus mihi, non jam oratione solummodo, sed ipsa quoque re, atque re magis etiam quam verbis, declarare, eam esse necessitatis vim, ut, ubi inciderit, neminem non cogat præterque ingenium et præter morem nihil non et loqui et agere. Omnium enim minime profecto hic reus in tota superiore vita cum fuisset impudens vel audax, nunc a calamitate sua percitus ea prolocutus est, quæ ego equidem nunquam sperassem esse prolocuturum. Næ ego stultus

et bardus eram, existimans eum nil esse oblocuturum; id enim si prævidissem futurum, quod evenit, ut ille accusationi meæ defensionem opponeret, non satis habuissem crimen ejus indicare, neque defunctus sola altera parte orationis, altera memet ipse defraudassem: et rursus hic, si debita usus modestia contra hiscere ausus non fuisset, non altero tanto mihi præstaret, quo nunc præstat, ausus obloqui; non enim solummodo meam accusationem sua defensione excepit, sed etiam præterea me criminibus ultro ingerendis obrutum ivit, quibus, utpote non prævisis, in accusatione ego occurrere non potueram. Verumenimvero, quamquam tanta parte nos actionis superat, rebus ipsis tamen adhuc multo pluribus me passibus anteit, vobis persuadere laborans, se culpa vacare, eoque precibus a vobis contendens, ut, clementer atque benevole audita defensione, se absolvatis, me damnetis, qui nulla mala fraude commissa, præter illa priora mala misera atque infanda, adhuc multo etiam indigniora rebus et non verbis probra atque damna accipiam: quare ad portum clementiæ atque misericordiæ vestræ, judices, confugiens, quibus hoc est muneris datum, ut impia facinora animadvertatis ab iisque recte et præclare facta dignoscatis, vos rogo ut, facta coram oculis videntes certa et nulli controversiæ obnoxia, fallacis et captiosæ facundiæ præstigiis ne vos detis ludendos, neve credatis ei persuadere vobis contendenti, falsa esse atque ementita ea quæ vere evenisse inter omnes constat: nam si fucata illa eloquentia plus valet mentes imposturis illaqueatas ad assensum pertrahere, veritate tamen caret: veritas autem, tametsi minus diserta est et a pompa eloquentiæ vanæ denudata, simplicitate sua tamen et integritate potentior est. Quare possem quidem hactenus, justitia causæ meæ fretus, contentionem omnem defensoris securus ridere: verumtamen duritia atque sævities sortis meæ, a qua nihil non infestum metuere debeo, metum mihi injecit, ne, præterquam quod commodis carendum mihi sit, quæ poteram a filio percipere, nunc a fato ejus præmaturo intercepta, insuper etiam hoc obrutus dedecore abeam, ut videam filium a vobis homicidii insimulatum, ultro ab ipsomet in se admissi. Eo enim processit defensor audaciæ atque impudentiæ, ut filium suum, a quo illud jaculum intortum fuit, cujus vulnere meus filius exanimatus est, neget vulnus imposuisse, neget occidisse; contraque eum, qui jaculum ne manibus quidem contigit, et ne in mentem quidem sibi venire passus fuit ut jaculum intorqueret, quod jaculum neque solum neque ullum aliud corpus feriit, tamen aiat ipsum suis manibus illud jaculum per latus suum transadegisse. Cujus prædicationis tam evidens et tam palpabilis est repugnantia, ut audeam affirmare, videri mihi minus laborandum fore in assensu impetrando, si contendam, filium meum ab hoc adolescente, voluntate ipsius et data opera esse peremptum, quam huic erit laborandum, volenti persua-

dere, puerum a se neque ictum neque exanimatum esse. Filius meus tum temporis, quum adolescens hic jaculum expediret, a pædotriba jaculantium tela excipiente et colligente vocabatur: interea dum puer accurrit, adolescens festinationis et temeritatis intemperantia infestum intorquebat jaculum, quod, incurrens in filium meum, miserrimo necis genere sustulit insontem, a quo nemo quicquam læsus esset: adolescens autem, eo quod in æstimando laberetur illo tempore quod insumi solet jaculis colligendis, non accepit injuriam a filio meo, eo quod filius meus intercesserit quominus jaculum ipsius ad metam perveniret, sed potius filio meo insignem et luctuosam ipse dedit injuriam, eo quod metam non illam propositam quo collimare debebat, sed aliam quam non debebat, misero modo mihique peracerbo, feriit: sic volens quidem filium meum non occidit, imo vero volens neque feriit neque occidit, at invitus nihilo tamen minus occidit, quam si volens fecisset. Negans itaque puerum a se interemptum, negat quoque se lege teneri illa, quæ cæde omni destricte interdicit sive justa sive injusta. Atqui si hic homicida non est, in quemnam culpa cædis relabetur? in spectatores ergo, an in pædagogos? atqui horum quidem nemo quenquam ulla ex parte incusat. Ergo a nemine peremptus est filius meus? Atqui, non obscura, sed vel nimis etiam certa et in propatulo posita cædes ejus est. Ego itaque recte urgeo legem, quæ mihi recte præcipere videtur, ut homicida puniatur. Nam etiamsi invitus occiderit, non ideo tamen absolvendus erit pœnis præter voluntatem contractis: et peremptus, nil ideo minus læsus, quod a nolente peremptus sit, quam si a volente peremptus esset, injuriam utique acciperet, si sanguis ejus inultus manare sineretur. Erroris utique infelicitate lapsus est homicida: at non ideo tamen propter illam erroris sui infelicitatem absolutione dignus est. Nam, sive error is mere humanus fuit sive etiam numinis irati intervenit adversitas, paret eum erroris pœnam haud posse effugere; sive enim infelicitate quadam usus est, a qua numen divinum prorsus abfuit, peccavit tamen, et qui peccavit, pœnas peccati dare commeruit: sin autem insuper divina quædam macula homicidæ insederit, numine impium iracundiæ suæ pœnis exagitante, nefas sit homines natos intercedere velle verberibus divini flagelli. Verum opponunt, haud decere malis affici homines frugi, honestati deditos; nos autem, qui morum nostrorum haud minus approbaverimus sanctitatem, mortis immeritæ et improvisæ luctu cruciari ecqui conveniat? Sed culpa se ait vacare; calamitates iis postulat relinqui qui peccaverint, non autem in insontium capita detorqueri: verum, ea dicens, pro nobis dicit. Nam filius meus culpa vacat, neminem ulla in re offendit; quod si ergo sanguis ejus inultus maneat, ab hoc adolescente præter meritum effusus, injuriam utique accipiat: et ego, qui magis etiam, quam

filius meus, culpa vaco, infanda patiar, si a vobis excludar fructu beneficii, quod lex mihi contribuit. Ex illis ipsis autem quæ hi disputant consequi, adolescentem ne ab illo ipso quidem defectu voluntatis atque propositi in cæde committenda absolvi, sed illa ambo, errorem puta atque pœnam, ambobus, tam filio meo quam istius filio, communia æquis partibus esse, planum faciam. Nam si filius meus ideo homicida suimet habebitur, quia non constitit quietus, sed venienti jaculo ipse semet obtulit, ne istius quidem filius omni culpa est liberandus, qua vacaturus esset, si filius meus illo quiescente nullumque telum intorquente concidisset. Cæde itaque ab ambobus pariter peracta, necesse est ut pœnam quoque ambo participent: et filius quidem meus errorem suum in semet admissum majore etiam pœna quam pro modo erroris luit, quam ipse sibi pœnam dedit — morte nimirum luit —, qui ergo par sit impunitum discedere eum, qui se illi consortem et adjutorem delicti in eos, quos non decebat eo delicto lædi, præbuerit? Ex ipsa horum defensione constat adolescentem hujus cædis participem esse: ecqui ergo vos, judices, ullo pacto eum salvo divino humanoque jure absolvatis? Nobis certe, quos horum duum communis error funditus afflixit, injuria offeratur, non modo cum jure divino non consentiens, sed vel maxime etiam ei repugnans, si homicidæ habeamur atque declaremur esse: quod si fieret, deberemus extremum supplicium tolerare: quod supplicium in nobis exsecuti, si iis a locis non arcerentur, quibus arceri impuras convenit, non recte fiat, si modis iis, quibus homines pios excipi par est, excipiantur ab iis, qui alias impios sint exstirpaturi. Macula piaculi, quæ alias ad universos erat permanatura, sic vobis solis foret insessura; quapropter summa cautione hac in causa vobis utendum erit. Nam si homicidii reum hunc adolescentem pronunciaveritis eique locis sanctis interdixeritis, vacabitis crimine: sin autem eum absolveritis, ipsi vestra capita piaculo supponetis. Vestræ itaque ipsorummet pietatis ergo legumque tuendarum, abducite hunc foro, ultra fines deportate, et sic punite; sic enim cavebitis, ut spurcitiem ejus ne participetis, nobisque parentibus, qui ab isto homicida vivi adhuc tumulo defossi sumus, calamitatem reddetis, opinione saltim tenus famaque, tolerabiliorem.

---

4. DEFENSIO POSTERIOR EJUSDEM CÆDIS.

Consentaneum nempe erat hunc, accusationi suæ intentum in eaque defixum, defensionem meam haud percipere; vos autem par est tenere, cum nos adversarii, causam quisque suam, e benevolentia qua se quisque amplectitur, arbitrans, vera et æqua se dicere

autumat, tum vos decere sancte atque severe naturam causarum intueri. Nam e disputatis veritas rerum gestarum eruenda est. Mentitus ego equidem si quid fuero, profiteor, eo reliquis quoque a me vere et recte dictis invidiam fraudis et imposturæ affricare: sin autem a me dicta, tametsi subtiliter et limate, vere tamen dicta sunt, non ego, qui ista dico, sed natura rerum oratione mea agitatarum meretur odiosam hanc appellationem ferre. Volo itaque ante omnia probe vos tenere, si quis cædis commissæ reum aliquem aiat, non ideo statim homicidam fieri, sed tum demum, cum coargutus criminis vere commissi fuerit. Hic autem confitens rem ita revera actam esse, ut nos exposuimus, tamen de auctore cædis ambitiose quærit, de quo aliunde quam e factis constare nequit. Porro lamentatur de injuria filio suo facta malaque creata fama in eo, quod eum homicidam sui demonstraverim esse, qui tamen non modo jaculum non intorserit, sed ne cogitaverit quidem de intorquendo. Ego ipse quoque nego puerum jaculum expediisse, nego quenquam ab eo ictum esse; verumtamen, eo quod venienti telo se objecit, aio illum a semet ipso, non a filio meo, esse peremptum: nam si quietus constitisset, foret culpa necis in pædotribam transferenda, si is vocando puerum ad discurrendum invitasset; verum puer, a semet ipso impulsus ad intercurrendum, occurrit telo; quapropter ipse semet sustulisse dicendus est. Nolo ad alia meæ disputationis capita transire, priusquam adhuc liquidius excussero, utrinam casus hic, seu factum mavis, sit imputandum. Adolescens, filius meus, nihilo magis a meta aberravit, quam reliqui æquales ejus qui una cum ipso jaculis contenderunt, neque per errorem quendam suum eorum quicquam fecit quorum incusatur: puer autem non secutus est exemplum reliquorum spectatorum, qui una cum ipso jaculantes spectabant, sed obviam se telo dedit; unde clarissime constat per culpam ipsius factum esse, ut in malum incideret, quod reliqui spectaculi consortes evaserunt, eo quod quieti in vestigiis quique suis constiterunt. Nam si nemo in teli conjectum venisset, intortor jaculi nil peccasset; et ipse puer, stans cum reliquis spectatoribus, ictus non fuisset. Quod autem adolescens non magis, quam ullus alius reliquorum jaculationis sociorum, cædis hujus particeps sit, sic docebo. Si propterea, quod hic jaculum intorsit, puer cecidisset, deberent reliqui omnes exercitationis consortes etiam hujus criminis cooperatores haberi; nam hi, non ideo, quod jaculari omiserunt, puerum non ferierunt, sed ideo, quod eorum nemini in conjectum teli venit: pari modo adolescens, qui nihilo plus quam reliquorum quisquam deliquit, etiam hunc non fuisset sauciaturus, si puer perrexisset, ut antea fecerat, una cum reliquis spectatoribus in vestigio suo perstare. Verum hic error pueri non merus fuit error, sed accessit ejus quoque le-

vitas quædam et negligentia cautionis. Nam adolescens quidem, neminem videns discurrentem, quomodo poterat cavere ne quem feriret? Puer autem, videns istos jaculantes, facillime cavere poterat ne cui in conjectum teli veniret: debebat solummodo, id quod penes ipsum erat, quietus in vestigio perstare. Legem quod attinet, quam citant, oportet utique eam laudare. Recte enim facit jurique convenienter, homicidas involuntarios involuntariis malis puniens. Adolescens autem non peccavit; ergo injuria ei fiat, si plectatur ipse in vicem ejus, qui vere peccavit; nam satis ipsi est peccatorum suorum pœnas ferre: puer autem errore suo interemptus, simul peccavit, et a semet ipso punitus est. Punitus autem homicida pœna non caret: habet enim pœnam cædis. Non ergo scrupulum mentibus vestris injicietis me absolventes, sed condemnantes. Nam qui sui propria peccata luit, is nemini piaculum ultione expiandum relinquit: purus autem a crimine si tollatur, multo is acerbiorem veluti securim conscientiæ condemnantium impingit. Quod autem e disputatione nostra elucescit, puerum peremptum homicidam, sui nempe, esse, non nos sumus in culpa tam invidiosæ appellationis, sed natura facti. Quod si ergo argumenta nostra puerum cogunt homicidam esse, recte nos a legibus absoluti abibimus hoc crimine, eum pœnæ subjicientibus qui cædem patravit. Neque nos ergo in calamitates immeritas et ad nos nil pertinentes præcipitate, neque succurrere horum infelicitati divinitus immissæ conantes, sciscite divino numini adversantia, sed, prout sanctum et justum est, absolvite nos, recordati, casum hunc ex imprudentia ejus exstitisse qui telo venienti sese ipse obtulit: nos enim profecto culpa cædis vacamus.

ANTIPHONTIS TETRALOGIA III.

1. Accusatio cædis ab eo factæ qui se diceret vim oblatam defendisse.
2. Defensio cædis aggressori oblatæ.
3. Accusatio posterior ejusdem cædis.
4. Defensio posterior ejusdem cædis.

1. ACCUSATIO CÆDIS AB EO FACTÆ QUI SE DICERET VIM OBLATAM DEFENDISSE.

ARGUMENTUM.

Juvenis et senex convitiis concurrentes pugnaverunt. Violentius vero juniore percutiente, senex interemptus est: quare quidam juvenem accusat, tanquam homicidii patratorem: Qui dicit senem primum manibus lædere cœpisse. Unde causa status recriminatio est.

Recte et lege lata et ritu vetusto cautum est, ut judices homicidiorum causas disceptantes hoc maxime provideant sedulamque dent operam, ut et accusatores et testes æquo et vero, tam in accusando quam in testando, studeant; quo neque sontes impuniti transmittantur neque insontes per nefas in discrimina capitalia conjiciantur. Deus enim humanum genus esse atque perennare voluit, id quod eo testatus est, quod non solum genus hoc condidit, sed etiam principibus generis a se conditis et satis terramque et mare attribuit, qui altores eorum essent necessariaque vitæ tuendæ præsidia sufficerent, quo possent homines ad senile usque fatum perdurare neque prius a penuria victus necessarii tollerentur. Quod si ergo aliquis, tantis bonis ipse a deo ornatus, indignum iis se eo exhibet quod alium quempiam, item dignum a deo habitum qui bonis his ornaretur, cum vita usu illorum bonorum per nefas privat, is non solummodo in deos est impius, sed etiam jura humana conturbat. Peremptus enim, nil mirum sed vel maxime consentaneum est, si peremptori, a quo bonis divinitus datis privatus fuerit, divinam vindictam consciscit, per furiarum infesta ministeria sævientem; quam cientes et iniqui judices et falsi testes, eo quod pari scelere se obligant atque homicidæ ipsi, piaculum alienum ultro ipsi suas in domos inducunt:

et nos, qui peremptorum ultores nos ferimus, si non ob cædem vere commissam, sed ob aliam quampiam simultatem quæ privatim nobis cum accusatis intercedat, insontes in foro insectemur, non solum perempti manes ultione nulla placamus, sed etiam consciscenda insontibus immerita nece in nos irritamus iracundiam deorum infernalium, cædes impias dirissimis suppliciis exsequentium; tum pœnis homicidii capita ipsi nostra innectimus, homines innocentes exitio nefando pessumdantes; denique vobis persuadentes, ut insontes iniqua sententia percellatis, culpam vestri erroris ipsi nobis contrahimus. Hæc ego mecum omnia probe reputans atque cavens, hominem impium, hujus cædis patratorem, ad vos adduco; id quod recte atque ordine faciens, reprehensione et piaculo vaco: vos autem, eo modo, qui gravitati momentorum a me modo commemoratorum respondeat, causæ hujus cognitioni animum attendentes, afficite reum pœna magnitudini sceleris ab eo commissi respondente; quod cum facietis, tum piaculi maculam a tota civitate abstergetis. Nam si invitus peremisset, esset forsitan venia quadam dignus: verum per superbiæ atque petulantiæ intemperantiam et æstum temulentiæ sæviit in hominem senio confectum, quem tamdiu nodo brachiorum strangulavit atque pugnorum verberibus contudit, donec miserum senem anima desereret, gemino itaque titulo dignus hic est pœna, primum ea quæ in homicidas sancita est, nam homicida ipse quoque est; tum illas omnes meruit animadversiones, quibus hi castigantur, si qui reverentiam senili ætati debitam violarint, nam is quoque jura senum temeravit. Recte itaque jus civile vobis hunc hominem tradidit puniendum: audistis testes, qui intererant, cum hic stimulis temulentiæ actus in peremptum modis contumeliosissimis sæviret: constat itaque necem hanc esse præmeditatam. Quod cum constet, vos decet facinus juri civili adversans auctori pari modo refundere arrogantiamque per contumelias et insolentias grassantem coercere, vita illi invicem eripienda, qui vitam alii data opera et deliberato cum proposito eripuit.

---

2. DEFENSIO CÆDIS AGGRESSORI OBLATÆ.

ARGUMENTUM.

Status causa translatio est: transfert enim in curantem medicum causam cædis. Recriminatorium enim ut consequens cepit.

Brevi oratione defunctos esse hos accusatores mei, nil miror: neque enim hoc ipsis nunc agitur, quo nil mali patiantur ipsi; sed istud, ut satisfacientes simultati erga me suæ, per nefas me pessumdent: quod autem teterrimis exæquare criminibus hunc casum con-

tendunt, quem passus ipse sibi fraude sua multo magis contraxit quam ego ipsi contraxi, hoc enimvero indignor, et recte id quidem. Ipse enim, nulla mea provocatus injuria, verberum fecit initium, illudens inter pocula mihi, homini multo quam ipse erat temperantiori et mente magis constanti; quo non sibi solummodo hanc conscivit injuriam, sed mihi quoque molestias hujus actionis creavit. Nego itaque eos me incusantes recte facere; factum enim hoc et humanis et divinis juribus repugnat. Nihil enim aliud egi, quam ut vim oblatam mihi defenderem, et aggressorem repellerem; quem si aut ferro aut saxo aut fuste repulissem, ne sic quidem injuste egissem — aggressores enim par est, non pari modo, sed abundantiore etiam numeroque et gravitate verberum commulcari —: ego vero eodem genere armorum, quo impetitus fueram, aggressorem ultus sum: ictus pugnorum ab eo mihi ingestos ipsi refudi: in hoc num injuste egi? Sed procedo. Severitatem nempe legis mihi opponet, vetantis quenquam occidi quocunque nomine sive jure sive injuria, eoque me aiet homicidii pœnis obstrictum teneri: virum enim perisse. Ego vero iterum atque iterum nego eum a me peremptum esse. Nam si protinus ab illis plagis ei a me ingestis exspirasset, ipse quoque faterer me illum exanimasse — quanquam, si fecissem, vel sic quoque recte fecissem, et ille nil aliud quam pro meritis luisset; par enim est, id quod iterum aio, aggressores non solummodo paria, sed etiam acerbiora et numero cumulatiora invicem pati —: ille vero, manibus medici imperiti commissus, multis diebus post periit, non a plagis a me ingestis, sed mali medici culpa; vos imo vero, accusatores mei, mortem ipsi pertinacia et temeritate vestra conscivistis; reliquis enim medicis denuntiantibus, ista si ægroto adhiberetur medendi ratio quam medicus ejus ei adhiberet, futurum, ut homo, cujus valetudo alias per se sanabilis esset, tamen periret, vos errore consilii vestri saluti ejus obstitistis: unde crimen mihi exstitit impium. Verum non æquitas solummodo causæ me absolvit, sed etiam diserta legis oratio illius ipsius cujus ex auctoritate accusatores me reum agunt. Lex enim illa pronuntiat, eum oportere homicidam haberi, qui alterius vitæ insidiatus esset. Quod si ergo homicida sum, quem hi me faciunt, necesse est, ut insidiatus perempto fuerim. Atqui quo pacto ego dicar insidiatus esse, nisi si concedant etiam illum mihi insidiatum esse? Nam quibus ille me modis aggrediebatur, iisdem ego illum invicem excipiebam, mala mea ipsi rependebam: quod si ergo illi ego insidiatus sum, ille necessario quoque mihi insidiatus fuit. [Quod si ergo ego illum occidi, occidit ille me quoque. Verum falsum hoc est. Ergo et prius.] Adversarius autem si ideo me putat homicidam recte haberi, quod plagas a me inflictas mors insecuta sit, contra, velim, hoc ille secum reputet, me ad plagas non fuisse excessurum,

si ille verberum non ultro fecisset initium: quod si ergo plagæ mortem illi contraxerunt, ipse sibi eas plagas, adeoque per eas mortem, manibus suis contraxit: testantur itaque illæ plagæ, non in me, sed in ipsum conferendam esse mortis causam; nam nisi vapulassem, non reverberassem. Aggressor itaque cum me audacia suæ aggressionis a culpa cædis ipse absolvat, nullo pacto licet me homicidam ejus haberi. Mors insecuta sive infelicitati sive temeritati cuidam imputabitur, ad me nil pertinet: nam si per infelicitatem quandam periit, non illa mea, sed ipsius est infelicitas — ecquæ mea culpa in eo est, quod tam infelix fuit, ut pugnis me prior incesseret —, sin autem temeritate periit, item illa sua periit: cur desipiebat? cur mens ei tam læva erat, ut verberibus me lacesseret? Planum feci accusatores injuste agere, me incusantes. Iam docebo, eosdem illis ipsis omnibus obnoxios esse, quorum me insimulant. Contendentes enim per insidias suas vitam innocenti mihi eripere, qua adhuc divino munere gaudeo, pietatem erga deum violant: deinde necem mihi per summum nefas machinantes, jura humana conturbant et ipsi fiunt homicidæ mei: impia denique cohortatione qua vos ad decernendam mihi necem instigant, vestram quoque religionem jugulant. Quæ ob nefaria consilia deus eos merita mercede mactet: vos autem decet, in id quod vestri muneris est irretortis oculis intuentes, me absolvere potius quam condemnare velle. Tutius enim vobis illud est atque consultius, quam hoc: fac enim me, cum nocens sim, tamen a vobis absolvi, et sic perempti manes inultos et implacatos manere, vestra ea culpa non est neque vobis pœnæ manium erunt infestæ, sed mihi, si vos oratione commentitia decepero veritatemque rei gestæ vobis per verborum præstigias eripuero; in ejusmodi loco non peccat neque tenetur is, qui recte rem edoctus non fuerit, sed ille, qui recte docere noluerit: contra vero a vobis injuria damnatus ego relinquam ultrices mei sanguinis pœnas furiales, quæ, hoc accusatore meo omisso, qui alias iis obnoxius foret, in vos infestæ incurrent. Quare agite, horum memores, impietatem hanc his impiis hominibus, accusatoribus meis, relinquite, et conservate potius ipsimet manus vestras a cruore puras, me absolvendo; quod cum facietis, convenienter divinoque et humano juri facietis; et sic universæ quoque civitatis sanctimonia salva erit.

3. ACCUSATIO POSTERIOR EJUSDEM CÆDIS.

ARGUMENTUM.

In hac oratione dicit, Miror, quia verisimile non est, seniorem primum lædere cœpisse. Deinde concesso rem sic se habere, eum qui se usque ad mortem defendit, crimini obnoxium esse, et de medico, quando propter imperitiam erravit, eum crimini non obnoxium.

Hunc nil miror impiis factis similes orationes adjungere; et vobis ignosco, quod, studio totam rem penitus cognoscendi, ejusmodi sermones patienter auditis, quos explodi par erat. Hic enim, tametsi fatetur verbera homini illa ingessisse unde exspiravit, tamen negat se homicidam ejus esse; nos autem, qui mortem ejus ulcisci student, vivus vidensque homicidas ejus esse dicit. Sed et reliquorum argumentorum stultitiam huic parem esse demonstrabo. Primum itaque asseveravit hoc, etiamsi e plagis exspirasset vir, a se tamen ideo non esse sublatum: rixæ enim principem a lege condemnari ideo, quod penes eum causa eventorum esset; sed peremptum rixam exorsum esse. Jam scire vos velim, judices, probabilius esse, ut juvenes rixam ordiantur quam ut seniores. Juvenes enim aut superbia generis nobilitate fidens aut vegetæ corporis vires aut temeritas a vino excalefacta, cujus perniciosos effectus nondum usu suo satis noscitarunt, impellit ad indulgendum iracundiæ sævienti; seniores autem sapere et se continere admonet conscientia luctuosarum injuriarum temulentiam comitantium, tum senii imbecillitas, denique vis et nervi juvenum ipsis terribiles. Porro reum non iisdem armis, sed prorsus contrariis, peremptum oppugnasse, res ipsa docet. Hic enim forti adhuc et vegeto lacertorum robore contundens senem necavit; senex autem, fortiorem debiliter et languide repellens, exspiravit, ne relicto quidem ullo defensionis vestigio in corpore fortioris. Manibus si cædem peregit, non ferro, hoc magis homicida habendus est, quo manus ipsi magis erant instrumentum domesticum et cognatum, ideoque ad rotandum et infligendum habilius. Audet porro affirmare, principem rixæ, tametsi adversarium non peremerit, nihilominus homicidam esse, et magis etiam, quam eum, a cujus ictibus inferior concidit: nam aggressorem, hunc esse *βουλευτὴν θανάτου*, *mortis* violentæ *præmeditatorem*. Ego vero alia omnia censeo. Nam si manus suæ nostrum cuique famulantur hactenus, ut a mente ejus imperata exsequantur, consequitur hoc, ut qui plagam inflixerit haud lethalem, is præmeditator mortis dici non debeat, sed solummodo plagæ; qui autem ad necem usque ceciderit, is recte necis præmeditator appelletur: nam quæ ille suæ destinationi convenienter patravit, ex his huic mortis venit necessitas. Infelicitas penes

cædentem est, malum autem penes eum cui id evenit. Hic enim illius a factis interemptus, non sua culpa, sed cædentis, periit: verberator autem, in cædendo ultra quam voluerat evectus, infelicitate sua sustulit hominem, quam tollere non decreverat. Culpam mortis in medicum cum transfert, miror profecto, qui non eadem opera peremptum a nobis aiat, qui ipsi auctores fuimus ut caput suum hujus medici fidei committeret. Nam si medico eum committere insuper habuissemus, dicturus esset hic reus, illum defectu medicationis perisse. At fac tamen per medici inscitiam ita eum perisse, ut profecto non periit, nihilo tamen ideo magis homicida ejus foret medicus — nam lex eum hoc crimine absolvit —, verbera autem ab hoc illi ingesta cum nos coegerint medicum arcessere, qui fiat, ut alius aliquis homicida sit, quam is qui nos coegit opera medici uti? Quanquam itaque tam perspicue genere omni argumentorum coarguitur, nostrum peremisse, eo tamen audaciæ atque impudentiæ procedit, ut non satis habeat suam impietatem purgare, verum etiam nos, piaculum ejus insectantes, aiat illegitima et impia agere. Sed hunc quidem, talium facinorum reum, tàles voces et adhuc etiam atrociores jactare decet: nos autem, qui necem sine controversia factam doceamus, et plagam lethalem fuisse, et legem proferamus verberatori homicidium imputantem, subimus vicem defuncti ejusque loco atque nomine vobis demandamus, ut hujus homicidæ sanguine iracundiam deorum inferorum pœnalium placetis totamque sic civitatem a piaculo repurgetis.

---

4. DEFENSIO POSTERIOR EJUSDEM CÆDIS.

Urbe reus excessit, non quo causæ suæ diffideret suoque semet ipse præjudicio condemnaret, sed accusatorum contentionem reformidans: nobis autem, qui ejus amici sumus, ad pietatem tuendam satius est, superstiti adhuc, quam sublato, succurrere. Optime quidem ipse suam dixisset causam: verumtamen quia posterioris defensionis periculum nos subire tutius erat, quam ipsum, age partes ejus agamus nos, quibus desiderium ejus ingentem luctum sit allaturum. Videtur itaque mihi quidem injuria penes principem verberum residere. Quem adversarius aiens, non peremptum, sed amicum nostrum esse, qui sponte sua procellæ cessit, utitur argumentis parum consentaneis. Nam si, quemadmodum oculis a natura datum est ut cernant, et auribus ut audiant, ita quoque pari modo juventuti cognata esset insolentia, et senio pudor, nil egeremus vestra disceptatione, judices; ipsa enim ætas juvenem condemnaret: jam vero contra est, id quod usus docet; multi

juvenum sunt pudentes, multi senum lascivi; quapropter hic quidem locus communis est, non accusatori magis quam defensori patens. At hoc argumentum nobis est sine controversia proprium, ejusque firmitate præstamus adversariis: testes aiunt peremptum verberandi fecisse initium. Quod si est, quæcunque tandem alia amico nostro vitio vertantur, hoc, quod certaminis non princeps sed defensor fuit, eum omni culpa absolvit. Nam si, secundum vestrum arguendi modum, reverberator ideo pro homicida habendus est, quod verberum ab eo inflictorum atrocitas vos coegit medico salutem sauciati committere; altero tanto magis erit homicida habendus is, qui primis verberibus ultorem provocavit ad reverberandum, quam ille, cujus verbera consecuta mors est provocantis. Princeps enim pugnæ primum par suum adegit ad reverberandum in ultionem plagarum oblatarum, deinde necessitatem ipse sibi imposuit medicum arcessendi. Impiam utique et infandam accepturus sit reus injuriam, si, cum non occidisset, tamen homicida audiat, is non audiat, qui vere fuerit sui homicida, et cum non orsus esset rixam, tamen homicida habeatur, non habeatur is, qui reapse orsus esset. Accusator porro si vitæ perempti insidiatus non fuit, non magis reus fuit. Nam si, qui verberandi fecit initium, solummodo verberare, non autem occidere, intendisset, verberatus autem non reverberare, sed occidere, tum utique dici posset hic illius vitæ insidiatus esse. Jam vero defensor oblatæ injuriæ, solummodo reverberare, non autem occidere, cogitabat: sin autem hostem ultra quam vellet, et in locis corporis quæ ferire nollet, pepulit, non consilio, sed fatali quodam infortunio, lapsus est. Verberis itaque dici is quidem βουλευτὴς designator queat; at necis designator, quo quæso pacto appelletur is, qui invitus reverberavit? Inceptori magis est domesticus error, hoc est, ei propius assidet, quam ultori. Nam hic verbera in se intorta retorquens, quicquid peccavit, ab altero coactus peccavit: iste vero intemperantiæ petulantiæque suæ debet, quicquid aut dedit malorum aut accepit; et sic altero tanto dignior est qui homicida appelletur, ex errore geminato, cum suo proprio tum alieno. Reum autem non modo non acrius neque valentius, sed etiam remissius atque mollius ultum esse accepta verbera, jam docebo. Alter enim, catulliens et lasciviens, vim inferebat, non repellebat: alter autem contendens injuriam, non pati, sed repellere, quicquid tandem intulit verberum hoc studio suo mala oblata devitandi, quantumcunque est, semper tamen est infra modum ultionis eum, qui magnitudini oblatæ injuriæ responderet: dici ergo nequit dedisse malum, sed solummodo defendisse. Quod si autem regestorum verberum durities excessit ingestorum vehementiam, ut a lacertis fortioribus profecta, neque mirum id est neque meretur ideo reus a vobis condemnari. Nam inceptoribus rixarum leges

ubique locorum fixæ gravissimas et acerbissimas pœnas denunciant; repellenti autem vim, nusquam locorum pœnæ quicquam præscriptum est. Ad illam causationem a lege repetitam, vetante quenquam quocunque titulo sive jure sine injuria occidi, satis jam responsum est: non enim verbera hominem, sed imperitia medici jugulavit, de quo testes confirmarunt. Inceptoris quoque fortuna, non defensoris, incusanda est. Nam hic, qui et accepit et reddidit omnia verbera invitus, aliena fortuna, non sua, est usus: alter autem, sponte sua evectus ad omnia quæcunque egit, factis sibi suis suam arcessivit fortunam, eoque non aliena fortuna, sed sua, lapsus est. Jam planum factum est, reum homicidii prorsus obnoxium non esse. Quod si tamen, ut communem ambobus actionem [verberationem], ita infortunium quoque commune existimans quis esse, colligat e disputatis, neutrum altero, sive absolutione, sive condemnatione, digniorem esse, vos tamen vel sic quoque magis deceat reum absolvere, quam condemnare. Nam si æquum est, accusatorem ideo condemnare, qui perspicue non docuerit injuriam a reo sibi factam esse; ita impium fuerit reum condemnare, qui non perspicue fuerit incusatorum coargutus. Modis itaque omnibus hunc virum ab hoc crimine absolventibus, nos vobis demandamus, multo nos quidem sanctius atque religiosius, quam adversarii vobis modo mandabant, amici nostri ex persona, ut, studentes homicidam punire, insontem tollere ne properetis. Nam si reus hic, hoc prætextu, quod senem sustulisse dicatur, in ultionem ejus per nefas occidatur, manes ejus illis, a quibus morti datus fuerit, haud minus infesti erunt, atque manes senis ante interempti; et sic geminum foret piaculum, injuste sublatus, peremptoribus suis contracturus. Hæc vos reformidantes, existimate vestrum esse, ut insontem crimine absolvatis; impurum vero tempori permittentes aliquando patefaciendum, relinquite proximis perempti necessariis ad ultionem: sic enim agentes, modis agatis juri et humano et divino convenientissimis.

ANTIPHONTIS

DE NECE HERODIS

ORATIO.

ARGUMENTUM.

Helus quidam Mitylenæus Athenis eadem navi cum Herode Ænum solvit: cum navigando Methymnam Lesbi pervenissent, quoniam navis tecta non erat, aliam opertam invenientes conscenderunt. Quam ingressi, circa noctem Herode egresso neque amplius ingrediente, Heloque ipso solo redeunte, affines mortui Helum ut malefactorem accusaverunt: et in judicio certantes dixerunt, eum Herodem interfecisse. Hic vero translative crimen diluit, dicens, malefactores dici fures et grassatores, quorum operum me nihil fecisse ostenderunt. Transit deinde ad homicidii defensionem, et solerter certat. Quæ omnia a principio usque ad finem sunt communia.

---

1. Vellem, viri, facundiamque rerumque usum mihi esse, magnitudini malorum meorum parem: jam vero experientia, sed ea misera et infructuosa, non carens, plus enim malorum expertus sum quam oportebat, facundia careo plus quam nunc expediebat. Nam in carcere usus rerum nil mihi profuit, ubi corpore meo tolerandæ mihi fuerunt molestiæ, ob crimen cujus nihil ad me pertinet: ubi autem salus mea versatur in enarratione rei gestæ cum veritate consentanea, ibi me lædit infacundia. Quod fieri solet. Multi jam, causis justissimis fidentes, eo quod vera, quæ dicenda pro se haberent, non possent diserte proloqui, fidem non invenientes, non obstante causæ summa æquitate, tamen perierunt, quod eam verbis declarare nescirent: multi contra facundia pollentes, quamvis mendaciorum præstigiis judices luderent, tamen eo ipso, quod mentirentur, sed speciose et callide, salvi discesserunt. Necesse igitur est homini indiserto et ab usu eloquentiæ forensis destituto, ut fortuna ejus causæque exitus magis in arbitrio accusatorum criminationibus urgentium, quam penes rerum gestarum veritatem sit. Quare vos rogo, judices, non id quidem, quod plerique reorum rogare vos solent, ut audire se velitis; rogantes hi quidem ideo, quod causæ suæ diffidunt, et iniquitatis præjudicio ipsi sese feriunt—nam profecto consentaneum erat reos, coram viris honestis et bonis dicentes, etiam sine audientiæ deprecatione id idem consequi, quod accusatores ultro ab iisdem judicibus adipiscuntur, tametsi nunquam eorum audiendi benevolentiam precibus ambiunt—: sed hoc vos rogabo, ut si quid linguæ labor errore, mihi ignoscatis, existimantes, me, quod usu dicendi caream, potius, quam quod sceleratus sim,

pecasse; et rursus, si quid recte dixero, velim vos id rei gestæ veritati potius, quam subtilitati nescio cui meæ, imputare. Nam ut justum et æquum non est, eum ob verba salvum discedere qui facinoribus mortem sit meritus, ita rursus æquum non est, ob verba eum condemnari cujus facta proba et honesta sint: verbum enim inconsentaneum linguæ error est, facinus autem improbum est error mentis. Præterea necesse est hominem capitis sui causam agentem interdum labi. Oportet enim ejus menti obversari non solum dicenda, sed etiam eventus orationem suam consecuturos. De quibus nemini constare potest, neque sunt in arbitrio dicentis cujusque suo: nam obscura et ancipitia fortuna magis rotantur, quam consilio gubernantur. Magnam hæc sollicitudinem atque perturbationem injicere menti cujusque pro se dicentis consentaneum est. Eos ipsos, qui alias usu forensis eloquentiæ quam maxime callent, cum in discrimine quodam suo proprio versantur, multo jejunius atque indisertius pro se disputare, quam alias aliorum in causis soleant, et quam ab eorum nota facultate exspectetur: sin autem aliqua versentur in causa, ubi privatums uum discrimen nullum interveniat, tum rem multo gerunt felicius. Postulatio itaque mea hæc est, legibus et sanctimoniæ consentiens, et non meam magis, quam vestram, personam decens.

2. Capita vero accusationis sigillatim persecuturus, primum hoc vos docebo, summa cum legum violatione, summaque cum violentia et immanitate, me in hoc certamen fuisse conjectum; quod eo non dico, quo me vestri pœniteat, vestrique judicii auctoritatem ego aut defugiam aut exhorrescam — nam ita vestra fido æquitate certusque sum vos iniquam mihi et injustam esse sententiam hac in causa non esse laturos, sed æqua et sancta omnia pronunciaturos, ut, si nullius alius rei habenda sit ratio, quam hujus meæ de vestra æquitate fiduciæ, per eam certe ego prompte libenterque vobis sim causam capitis mei disceptandam permissurus, etiamsi, non ut nunc fit, ex formula juris, et jurati, sed extra ordinem, et injurati, dicturi sitis sententiam —, sed ideo locum hunc primum tractabo, quo intelligatis, qua immanitate et quo legum contemptu hi me in carcerem duxerunt, et huic causæ innexuerunt, eam probabile facere, cætera quoque ab iis in me ausa per summum nefas esse. Aio itaque eos in me eo modo agere, qui cum more civili in jure agendi pugnet. Actionem ἐνδείξεως in me, velut in maleficum, institutam non persequuntur, sed alio me nunc titulo, homicidii commissi puta, insectantur: quo ipsi auctores atque testes facti sunt me maleficum non esse neque lege in maleficos lata teneri; quæ lex cum solos notet fures et manticularios, cum hoc genere hominum autem mihi commune quicquam esse hi accusatores neque docuerint neque potuerint docere, effecerunt, ut vobis liceat sententia æquissima et juri civili convenien-

tissima a crimine me absolvere, cujus criminis obtentu, hi me curarunt in carcerem abducendum. Verumtamen cavillatione quadam sophistica legem secius interpretatum suamque violentiam coloratum eunt, aientes, legem eam, cujus ex auctoritate ego pro malefico fuissem in carcerem a se raptus, decernere de maleficis: jam homicidium magnum esse maleficium: me autem occidisse: ergo maleficum quoque me esse: ergo etiam lege illa teneri. Fateor enimvero homicidium, non modo magnum esse, sed vel maximum, maleficium: verum sacrilegium quoque et proditio patriæ non minus hanc appellationem merentur: et nihilominus tamen legislator haud existimavit ea ad hunc maleficiorum titulum referenda esse, sed peculiariter de illorum scelerum unoquoque præcepit. Deinde, cædis me accusantes, non eo modo in me agunt, quo in homicidas agi vult jus civile: qui alios cædis accusatione insectantur, hi debent iis denuntiare, ut locis illis omnibus se abstineant, quibus interdictum est homicidis ritu vetusto: igitur etiam foro: verum hi in foro me insectantur. Post, ultores sanguinis nunquam ab homicida mercedem pecuniariam, sed talionem deposcunt: hi vero litem mihi ære æstimarunt, tametsi lex edicat, ut homicida sanguine suo luat; atque id non eo fecerunt, quo id ex mea re esset, verum, quod e sua. Quo prodiderunt, si cupiditati suæ satisfieret, contentos se fore, ut homicidium minore etiam pœna luatur, quam lex præscribit: ergo minoris fecerunt jura perempto debita, quam cupiditatem suam: lucellum suum ejus placationi manium prætulerunt: quare autem id fecerint, oratione procedente id intelligetis. Tum, non modo in loco judicii, sed etiam in modo deliquerunt: nostis vos omnes judicum conventus, quibus causæ homicidiorum disceptandæ committantur, haberi solere sub dio, nulla alia de causa, quam, quo neque judices eodem loco cum iis conveniant, quibus humano cruore pollutæ sint manus, neque accusator cum homicida eodem tecto contineatur. Tu vero, mi adversari, me de homicidio accusans, sub eodem mecum tecto versaris in eoque morem vulgarem migras: sed etiam religionem jurisjurandi intermisisti; oportebat te jusjurandum dicere gravissimum atque sacerrimum, quo obstringeres te non alia dicturum in actione tua, quam ad ipsum homicidium pertinentia, unde planum testatumque fieret, me homicidam esse; sin autem secus feceris, ipse tute tibimet tuisque liberis posterisque, universæque genti tuæ perniciem extremam horrendis diris imprecareris: quo futurum erat facto, ut sive multa alia scelera patrassem, ob nullum tamen eorum omnium condemnarer, quam ob solum homicidium; et rursus, etiamsi innumeris aliis laudibus essem commendabilis, ob earum tamen nullam absolverer, sed homicidii pœnas darem. Verum tu hanc quoque cautionem insuper habuisti: ipse tute tibi jus arbitrarium commentus es, quo utaris; jure illo jurando non

dicto, tamen me homicidii accusas: accusant pariter testes tui, nulla magis, quam tu, juramenti religione obstricti, quanquam eos oportebat dicta eadem jurisjurandi formula, tenentes in manibus exta, sic adversus me testari. Et nihilominus tamen flagitas, ut judices, testibus fidem temere habentes non juratis, me homicidii condemnent; tametsi tute ipse tuis testibus omnem fidem eo derogaris, quod a legibus in hac republica usitatis discessisti, atque auctor ipsis factus es, tuum juris civilis contemptum ab eoque defectionem debere auctoritate legum omnium potiorem esse.

3. At tu tamen, quo facinus tuum juri civili repugnans excuses injuriamque carceris mihi præter jus et fas injunctam colores, hac te jactas cavillatione, si penes me relictum esset libere qua vellem ire, me certo certius urbe fuisse excessurum; quasi non sponte mea huc venissem, sed a te obtorto collo huc pertractus: atqui cara mihi est hic loci commoratio. Mea si nihil referret communione hujus civitatis gaudere, probabile erat, me ne arcessitum quidem fuisse venturum, sed commissurum absentia mea ut contumaciæ reus declararer: nil igitur opus erat ante litis contestationem me in carcerem duci. Sed et præterea nefas erat mihi, jam accusato, beneficium fugæ eripere, quod jus et fas et ritus vetustus cuique homicidii reo dat: nam post dictam priorem meam defensionem liceret mihi, nisi vinctus essem, ut nunc sum, urbe excedere: privilegium hoc nulli non homicidæ patet, et nusquam non locorum usurpatur. Tu vero, mi homo, jure me solum eo, quod Græcis omnino omnibus commune est, privatum is, sponte tua, auctoritate ultro per arrogantiam contra fas sumpta, et jure quod tute tibi privatim commentus es. Tametsi leges de homicidiis in hac republica obtinentes tam sapienter atque tam religiose sunt constitutæ, ut negem quenquam esse vestrum omnium, qui eas esse dubitet legum omnium cum æquitate atque sanctitate convenientissimas. Leges enim hæ cum sint antiquissimæ, sunt eædem adhuc hodie, quæ fuerunt primitus, tametsi aliis in rebus diuturnitas temporis et usus rerum longinquior homines prava dedocere et rectiora docere solet. Quare non ex adversarii disputatione discendum vobis est, quid de legibus existimare par sit, rectene an secus habeant, sed potius inverse, e legibus debetis cognoscere, utrum æquæ sint accusatoris postulationes, necne. Quanquam ergo leges de homicidiis latæ tam sunt perfectæ et tam perspicuæ æquitatis, ut nemo unquam sit ausus eas temerare: tu tamen solus ausus es legislatorem te gerere, et princeps fieri institutorum pessimorum, vetustisque legibus invitis me de medio tollere laboras. Atqui illa ipsa tua contentio jura temerandi, et vetustum jus libidine et insolentia tuorum novorum præceptorum pervertendi, voce clarissima adversus te testatur, te causæ tuæ diffidere: probe nempe noras, neminem, qui se jurejurando adigi passus fuisset, operam tibi fuisse

testimonii præstiturum, quo ergo opprimerer. Deinde non, ut fidens causa tua, certamen hoc de negotio solummodo unum instituisti, quo finito tota lis irrefragabiliter esset in perpetuum decisa, sed controversiæ atque subterfugiis locum reliquisti vacuum, quo jam nunc prodis, te, cum res ad posteriorem actionem devenerit, eorum quoque, qui tum sedebunt, judicum auctoritatem esse detrectaturum, eique exceptionum et cavillationum nescio quid oppositurum. Quo fit, ut sive damner a vobis sive absolvar, perinde sim iniquo loco futurus: nam si nunc absolvar, dicet, me crimine maleficii quidem, at not item homicidii esse absolutum; sin autem condemnatus fuero, postulabit, ut occidar, velut homicidii reus peractus. Atqui quæ possint aliæ machinæ malignitatis tetriores et horribiliores esse, quam si vos quidem semel hisce persuasi quæ vultis assecuti fueritis, me vero semel absolutum rursus idem discrimen remetiendum maneat? [hujus autem liceat petulantiæ modis vexationis et contumeliæ omnibus in nos debacchari?] Præterea in eo quoque, judices, gravissima mihi facta est injuria et ab æquitate juris civilis abhorrentissima, quod custodiæ mandatus sum, tametsi tres sistere vades paratus essem; id quod facere per leges cuique licet: hi vero suis malitiosis artibus effecerunt, ut illa sponsio mea repudiaretur. Atqui peregrinus nullus unquam hac in urbe custodiæ mandatus est, qui tres vades præstitisset. Ipsi adeo maleficorum inspectores hoc more utuntur. Mihi vero is soli nil profuit: in me desiit validus et salutaris esse. Eccur tandem? His nempe expediebat, primum quidem, me occupari quam imparatissimum, antequam negotia mea conficere potuissem; deinde corpus mihi a carceris molestiis contabescere, tum amicos meos, a meis partibus abalienatos et in partes ipsorum traductos, promptiores reddi ad falsa contra me testandum, quam ad vera pro me, videntes corpus morbis, mœrore, et squalore carceris enectum citum mihi finem minari, neque sibi sic verendum esse, ne libertati et prosperæ valetudini redditus ipsorum mendacia detegam et ulciscar. Denique sperabant inimici mei futurum, ut mihique ipsi meisque necessariis dedecus adspergerent per omnem nostram reliquam vitam nobis inhæsurum. Factum est hoc modo, ut ego, quem legum vestrarum bene multæ absolvissent et periculo eripuissent, si secundum legum præscriptum in hac causa processum esset, tamen in hoc discrimen conjicerer: verumtamen vel ex his quoque ipsis salebris me evolvere conabor meamque innocentiam declaratam dare. Quanquam difficile est, mendacia e longinquo consuta callidisque diuturnæ meditationis commentis comparata subito evertere: nam quæ tu minus exspectaveris, ea præcavere negatum est. Dabo tamen operam, ut fideli et simplici rei gestæ enarratione vos in rem veluti præsentem ducam nudumque latus mendacii aperiam.

4. Evehebar Mitylena, judices, eodem in navigio, quo Herodes quoque vehebatur, idem ille, quem hi aiunt a me interemptum esse; tendebamus ad Ænum, ego quidem ad patrem, tum ibi agentem, Herodes autem Thracibus quibusdam mancipia venditurus. Thraces illi ipsi quoque mancipia ista empturi, una cum ipsis mancipiis venalibus, eodem navigio vehebantur. Producam testes hæc confirmaturos.

TESTES.

Erat ergo hæc, quam audistis, nostrum cuique navigationis causa: Iter per mare agentes procella nos opprimens cogebat ad locum quendam agri Methymnæi appellere, ubi navis illa ad ancoram stabat, in quam transgressum Herodem aiunt exspirasse. Hic vos reputare velim atque meminisse, non de consilio istæc, sed casu fortuito evenisse. Nusquam enim coarguor me auctorem Herodi factum esse, ut consors navigationis mihi fieret, sed constat ipsum sponte sua, privatorum suorum negotiorum gratia, eam ingressum esse: paret porro neque me sine idonea causa iter hoc ad Ænum suscepisse, neque fraudulenta quadam machinatione sic comparasse ut ad illum locum agri Methymnæi appelleremus navem, sed a necessitate tempestatis adversæ nos illuc adactos esse: neque præterea in portum invecti, transscendebamus in aliud navigium callida quadam mea cum aliis subornatis comparatione neque ullo dolo malo, sed hoc quoque necessario fiebat. Navigium enim illud, quo huc pervecti fueramus, tecto carebat; istud alterum autem, in quod transscendebamus, tectum erat desuper: tectum autem ut aperto præferremus, imber imperabat. Etiam hujus rei testes ad vos producam.

TESTES.

Transscensu sic in alterum navigium facto, potabamus. Sic potus Herodes navi, quæ res certa est, exiit, sed non rediit: ego vero illa nocte prorsus non exii e navi. Altero die, homo, nusquam copiam sui spectandi faciens, quæri coepit, non a reliquis vectoribus magis quam a me: alii si cuipiam eorum grave visum fuit Herodem desiderari, grave id non minus mihi quoque visum fuit. Et mittendi hac de re ad Mitylenam nuncii ego auctor eram, et de consilio meo mittebatur. Et cum alius nemo illuc ambulare vellet, nam et illi vectores ad quos accesseramus in novam navim transscendentes, et vetusti nostri sodales qui Herodem a Mitylena inde illuc comitati fuerant, hoc officium detrectabant; ego meum famulum nuncio perferendo offerebam: atqui, Herodem si ego peremissem, non profecto data opera illuc indicem misissem eum, qui me proderet, certus et prævidens, fore ut ille facinus meum amicis Herodis indi-

caret. Verum neque apud Mitylenam neque usquam locorum alias in conspectum prodibat Herodes, licet sedulo requisitus: interim cœlum serenius renidens navigationem rursus aperiebat, et reliqua quoque navigia omnia ex eodem portu in altum evehebantur: quapropter ego quoque cœptum cursum prosequebar. Etiam hac de re testes vos certiores reddent.

TESTES.

5. Hæc sunt facta; e quibus vos velim cogitando ea quæ par est elicere. Primum, antequam vela ventis daremus Ænum versus, Herode e conspectu sublato, nemo mortalium me hujus rei incusabat, quamquam hi [adversarii mei] jam tum de hoc evento certiores essent facti; nam si quisquam id mihi imputasset, ego e portu non excessissem: verum, tum statim quidem veritas potior erat mendacio et res gesta opprimebat ipsorum commentitiam mei incusationem, me præsertim adhuc præsente et in locis illis versante ubi scelus commissum jactatur esse. Ut autem ego insula excesseram, cum hi per otium inter sese fraudum suarum commenta ad pestem meam comparassent, tum demum cœperunt me criminari; aientes, me saxum in caput Herodis impegisse, atque sic exanimasse, atque id in terra continente factum esse, cum probe nossent, me pedem e navigio in terram continentem non extulisse. Hæc aientes, tamen modum indicare non habent, quo ego corpus, a me, si illis creditur, exanimatum, oculis hominum subduxissem. Nam id quidem dubio utique vacat, cædem, si facta est, prope portum factam esse: exscenderat nempe e navi non modo temulentus, sed etiam noctu; non potuisset itaque ipse sese rectum in pedibus tenere stantem, utpote quem crapula prægravaret, nedum ut longam viam ambularet; et si vel potuisset etiam mentemque pedesque regere, tamen ecquo prætextu probabili quisquam eum potuisset ad iter longinquum illicere? nihilominus tamen, non solum prope portum, sed etiam procul ab eo, circa quæsitus est vir toto biduo, neque inventus: non modo inventus nemo est qui se diceret eum oculis vidisse, sed ne sanguinis quidem effusi vestigium ullum aliudve quodpiam indicium cædis usquam apparuit. Et nihilominus tamen hic adversarius meus postulat me mendacio ejus concedere, qui testes produxerim confirmantes, illa tota nocte me nave non exscendisse: sin autem omnino nave exscendissem, nullus profecto modus excogitari potest, quo ita abscondi potuisset cadaver, ut omnes fugeret, nisi si homo perquam procul a litore maris in terram continentem processerit. [Atqui facere hoc temulentus, et noctu non potuit: ergo contumulatus humo non fuit.] At undis tamen mersus? Hoc illi quidem utique dictitant. At cujusnam navigii ministerio [exanimatum in litore cadaver pervectum in altum

et sic ponto dejectum fuit]? Necesse profecto est illud navigium unum fuisse tum in portu stantium. Qui ergo factum est, ut navigium hoc non inveniretur [licet sedulo ab inimicis meis quæsitum]? Præterea, qua in nave homo jugulatus et e qua in undas præcipatatum cadaver ejus esset, in ea consentaneum erat notas quasdam tantæ violentiæ cernendas prostare. Atqui, qua in nave potavit Herodes et e qua exscendit, in ea eum perisse negantes hi, tamen iidem eadem in nave se aiunt factæ cædis indicia reperisse; qua autem nave perductum cadaver in altum fuit et illinc undis mersum, eam navem neque invenerunt ipsam, neque indicium ullum ad eam deferens. Etiam harum rerum testes vobis exhibebo.

TESTES.

Ut autem Lesbo versus Ænum solveram, et illa navis, in qua ego una cum Herode Mitylena evectus fueram, illuc redierat, primum inscendebant in eam navem atque pervestigabant, et invenientes cruoris reliquias, statim aiebant, Herodem ibi jugulatum esse: verum hoc commento ipsis haud procedente, constabat enim ovillum illum cruorem esse, omissa prædicatione tam absurda, comprehendebant homines eorumque alterum tum statim tormentis subjiciebant. Tortus ille nihil mali de me edebat: quem autem multis diebus post tormentis subjecerunt, postquam toto illo interjecto tempore eum penes se habuissent, hic horum cohortatione permotus me homicidam edidit, in quo mentitus fuit. Præstabo hujus quoque rei testes.

TESTES.

6. Confirmarunt hi testes vobis, testem hunc tanto tempore post [re vetustate jam obliterata] tormentis subjectum esse: verum modo quoque torturæ animum attendite. Servum falsa testatum esse nil mirum est, quem facile potuit seu spes promissæ libertatis, seu quod sciret arbitrium tormentorum penes hos esse, qui, prout ea ederet aut premeret quæ hi edita vellent, ipsum aut sævius diutiusque aut lenius atque brevius essent cruciaturi, seu denique ambo ista una, spesque metusque, aut, si mavis, spes gemina, altera libertatis adipiscendæ, altera cruciatuum compendifaciendorum, illicere ad mentiendum. Vos omnes mihi videmini nosse, penes quos arbitrium et dispensatio tormentorum pro parte potissima sit, iis faventes torquendos grata auditu omnia prædicare: ab his enim emolumentum istis speratur, præsertim si torturæ non intersint hi, quos servi falso suo testimonio lædant. Nam si ego præsens illum servum torqueri jussissem, ut falsa edentem, forte eum terror mei vultus et metus cruciatuum ab imperio meo tolerandorum absterruisset, quominus mendaci prædicatione me gravaret: jam vero hi

ipsi erant tortores, iidemque torquendo imperabant ea dicere quæ ipsorum e re esset dici. Donec itaque servum blanda spes lactaret, fore ut mendacis adversus me denuntiationis fraus sibi prodesset, perseverabat in ista prædicatione: intelligens autem certam sibi necem parari, tum demum cœpit veritatem usurpare, fassusque est se ab his impulsum mendaci indicio me infamasse. Ita neque conatus mentiendi neque candor veracitatis homini profuit, sed tormentorum acerbitate enecarunt ipsi suum indicem, quo fidentes me insectantur, qua in re contra faciunt atque alii omnes homines. Nam alii quidem indicem sibi secundum, si conditionis ingenuæ est, largitionibus cumulant; sin autem servus est, manu emittunt: hi vero indicem suum præmio necis ornarunt, nequicquam obtestantibus et interdicentibus amicis meis ne facerent priusquam ego advenirem. Quo constat eos corpore indicis nil indiguisse, sed solummodo indicio. Metuebant nempe, ne, si veniens ego eundem servum rursus tormentis subjicerem, ipsorum insidias in caput meum comparatas proderet; sublato autem illo de medio, una cum ipso corpore perierat quoque veritatis exploratio, mendacemque indicinam tantum sperabant valituram ut pro vera habita me perderet. Horum tu mihi testes cita. [*Testes.*] Oportebat nimirum, ni multum fallor, eos huc adducere indicem ipsum, non solummodo indicinam ejus referre et ore hominis ipsius me coarguere, ipsoque eo argumento me oppugnare, quod indicem eorum exhibeant, ejusque torquendi veniam mihi faciant, nequaquam autem occidere. Nam hoc facto fidem ipsi sibi derogabant, armis ipsi se spoliabant. Utra enim nunc tandem servi prædicatione suam in rem utentur? num priore, an posteriore? et utra earum vera est, num ea qua me facinus patrasse affirmavit, an qua negavit? Utique, si ex probabili quæstio hæc expedienda est, prior prædicatio falsa fuit, posterior vera: semper solent deprehendi posteriores asseverationes prioribus veriores esse. Mentiebatur itaque servus initio emolumenti sui ergo; postmodum vero cernens, tametsi mentiri conatus fuisset, tamen nihilominus sibi pereundum esse, sperare incipiebat de salute per veritatis declarationem adipiscenda. In quo eum opinio fefellit; dicto enim vero, pœnas veracitatis extremo dedit supplicio, nullo reperto vindice, qui testimonii veritatem evinceret testemque tueretur et a periculo liberaret: ego enim non aderam, pro quo veritas posterioris prædicationis militabat; priorem autem debilitatum et obliteratum ierant hi: quo factum est, ut e prædicationibus servi res hæc nunquam ad liquidum perduci possit. Reliqui quidem omnes, si qui testimonio cujusdam infamati fuerint, testem sibi adversum suffurantur, et tum ex hominum conspectu submovent: hi autem, qui quæstionem de cæde Herodis instituerunt tam acerbam ut in custodiam ideo me ducendum curarent,

tamen indicem sibi secundum, mihi adversum, ipsi de medio sustulerunt. Hem incredibilis et inexputabilis inconstantiæ! Ego si de medio hominem submovissem aut nollem ad tormenta tradere aut aliam quampiam explorandi veri rationem defugerem, hac mea cunctatione aut fraude illi proculdubio sint ad causam suam confirmandam et ad meam evertendam usuri, ceu adminiculo inprimis valido atque potente; et profecto non possent me ullo alio urgere graviore argumento: jam vero cum ipsi vias has veri eruendi inire noluerint, quamvis amici mei eos hortarentur ad vestigia hæc persequendum, par est me illam eorum recusationem pro me interpretari, et illinc arguere, quam illi pro vera venditant, eam falsam et ementitam esse accusationem.

7. Verum etiam hoc illi jactant, hominem inter tormenta fassum esse, se mihi socium operæ affuisse, Herodem occidenti. Ego vero cum eum id dixisse nego, tum ita aio prædicasse meque Herodemque a se e nave eductos esse, post, Herodem a me peremptum, a se in navem impositum, ex eaque tandem in mare dejectum esse. Verum recogitate quæso primum hoc, hominem hunc, et toto illo tempore, antequam in rotam inscendit, et postquam de rota rursus descendit, usque ad extremum vitæ momentum, veritate prædicationis usum, a crimine me absolvisse: porro, mentitum quidem esse in rota jacentem, verum necessitati servientem, atque volentem quam primum a cruciatu liberari: denique, ut remota rursus tormenta fuerunt, eum rursus negasse me scelus patrasse, et contra potius, ad extremum ejulasse, meque seque ipsum pariter injusta criminatione perditum iri; quæ ille dixit, non gratia mei — ecqui enim mei? quem mendacio læsisset —, sed a veritate ista ejus ori extorta est confessio, qua prioris suæ prædicationis veritatem confirmavit. Deinde alter homo, iisdem tormentis admotus, quibus iste fuit, quamvis eodem nobiscum navigio vectus, rei gestæ a principio ad finem interfuisset, tamen alterius hominis primæque atque postremæ prædicationi ceu veræ dixit consentanea, non varians neque vacillans oratione, sed me constanter absolvens, ab illa autem alterius media prædicatione in rota edita, a necessitate non a veritate expressa, dissentanea. Nam alter quidem prædicavit, me e navi egressum interemisse Herodem, et tum se in tollendo cadavere mihi esse opitulatum: alter vero prorsus me negavit e nave egressum esse. In quo, non solum vera, sed etiam verosimilia dixit. Non enim profecto tam irato numine natus neque tam furiosus sum, ut sedulo quidem cavissem, ut necem solus ego sine conscio et adjutore quoquam patrarem, tametsi mihi summe periculosam, ut cui soli cum solo repugnaturo pugnandum esset: hoc autem facinoris penso elaborato, quod pensum erat omnium effectu laboriosissimum et periculosissimum, tum ego ad reliqua exsequenda, ubi adjutoribus nil indigebam, testes et

conscios et consiliarios adscivissem. Porro Herodes, ut hi aiunt, adversarii mei, occissus est prope mare, haud procul navibus numero compluribus, in quibus homines erant qui succurrere periclitanti potuissent; tamen, cum ab uno homine necaretur, neque vociferatus est neque ullo alio quopiam indicio prodidit vitam suam in discrimen adductam esse aut se vim inferenti repugnasse; sensum sui prorsus nullum dedit neque in continente versantibus neque in navibus. Porro ut erretur noctu, multo et fit crebrius et est factu facilius, quam de die; ut in litore, quam in urbe: adde, quod e navi exscendisse aiunt Herodem hominibus adhuc vigilantibus; et nihilominus tamen hominis, qui in terra continente jugularetur eoque facto in navem inferretur, neque in terra neque in navigio cruor sparsus, aliudve indicium repugnantis aut exspirantis deprehensum fuit. Videturne vobis homo, alium necans et navigio imponens exanimatum, idque noctu, in tanta contentione, potuisse tam sedate atque tam circumspecte agere, ut indicia sceleris omnia curiose tolleret, ex humo sica abraderet, e navigio spongia abstergeret? quæ ne die quidem tu, etiamsi non trepidans, sed sedata mente a nulloque metu exsternata, possis omnia obliterare? Hæc ecqui sint quæso verisimilia? vos antestor, judices. Quod autem imprimis oportet vos vobis ad mentem revocare — et nolim profecto vos mihi succensere iterum atque iterum eadem inculcanti: magno versor in discrimine, cujus exitus in vestræ sententiæ fortuna libratur; recta enim et æqua si vos censueritis, salvus sum, a vero autem aberrantibus vobis, perii. Mentibus itaque hoc elabi aut a quoquam eripi ne, quæso, sinite, indicem ab his de medio sublatum esse, quibus una ea esset contentio, ut impedirent, quominus et ille index in conspectum vestrum produceretur, et ego copia potirer illum ad vos adducendi eique tormenta admovendi, quamvis prædicatio ejus illorum causam sublevaret, meam premeret. Jam vero corpus hoc servile, cum a domino ejus ære suo emissent, quo in potestate ipsorum esset, adactum a se eo ut contra me testaretur, privatim sponte sua sustulerunt, quanquam neque civitas ei necem publice decrevisset neque ipse Herodem necasset: hunc hominem oportebat utique in custodia ipsorum asservari, aut amicis meis in fidem atque custodiam tradi, et judicium de eo legitimum haberi. Jam vero vos, adversarii mei, sponte vestra, insciis omnibus aliis, tacite et clam, judicio vestro privato morti addictum, necastis; privati qui essetis, haud recogitantes, ne civitati quidem ulli Græcæ universe licere quenquam, nesciis Atheniensibus et re ad eorum cognitionem non relata veniaque ab ipsis nulla impetrata, morti dare. Prædicationum quidem ab hoc servo editarum voluistis hos esse judices, idque æquum esse censuistis: in facinora autem ejus, ut non hi animadverterent, sed ut vos animadverteretis,

vobis ipsi arrogastis. Atqui ne illi quidem servi, qui heros peremerint et in flagrante delicto deprehensi fuerint, ne sic quidem a jugulatorum necessariis occiduntur, sed traduntur legitimo magistratui, quo secundum leges nostras patrias puniantur. Tantum deferimus servis, ut sinamus eos adversus ingenuos testari: hero si cui servus interemptus ab ingenuo fuerit, licet illi hero hunc ingenuum de illo homicidio in jus vocare, si facere velit, et tum sententia judicum pari severitate in homicidam servi, atque in homicidam ingenui, animadvertit; quocirca par fuerat etiam hoc de servo judices cognoscere, non autem vos, causa indicta inauditaque, morte eum mulctare. Multo majori ergo jure ego vos homicidii reos agam, quam nunc injuste vos me reum agitis.

8. Sed ex ipsis quoque amborum tormentis subjectorum prædicationibus velim vos, judices, æqua æstimatione justum et consentaneum colligere. Alter eorum, servus puta, duas edidit prædicationes inter se repugnantes, modo aiens me facinus patrasse, modo negans: ingenuus autem, eidem tormento subjectus, nihil me lædens edidit. Quid ita? primum, non poterant hunc, perinde atque servum, proponenda spe libertatis illicere: tum animus ei erat quam servo erectior, ut veritatem tueri etiam cum capitis sui discrimine haud recusaret, etiamsi necesse sibi esset eo in discrimine occumbere; nam e re sua quid magis esset, utique hic quoque non minus quam servus intelligebat, futurum scilicet, ut hi a torquendo se desisterent, si ea prædicaret quæ illis auditu grata et accepta essent. Utri jam horum par est vos fidem habere? illine qui constanter usque ad extremum eadem in prædicatione perseveravit, an huic qui alternis affirmavit idem atque infitiatus est? Atqui si quis, nulla vi tormentorum cogente, sed ultro, eadem de causa constanter eadem prædicet, istius prædicatio multo majorem invenire solet fidem, quam alterius vacillantis alternisque a se dicta destruentis. At esto tamen utriusque auctoritatis par pondus: sumus ergo nos pares ratione testimoniorum: servus modo pro me prædicavit, modo idem contra me: rursus ex ambobus tortis alter affirmavit me facinus patrasse, alter constanter infitiatus est. Vinco tamen vel sic quoque in ista ponderum æqualitate: momenta enim testimoniorum ubi sunt utramque in partem æqualia, reum obtinet semper vincere, cadere causa accusatorem; paritate quoque calculorum judices magis reum, quam accusatorem, adjuvant.

9. Exposui vobis, judices, torturæ rationes, qua fidentes hi aiunt, probe se nosse certosque esse, Herodem a me sublatum esse. Ego vero si quid tale unquam patrassem ejusque mihi conscius fuissem, studuissem hoc par hominum de medio tollere, sive mecum ad Ænum abducendo sive in Epirum trajiciendo, non autem metuendos mihi reliquissem indices, homines facinoris

mei conscios. Sed aiunt a se repertum in navigio nescio quod epistolium, quod ego mittendum destinassem ad Lycinum, quo perscripsissem, Herodem a me occisum esse. Atqui quid opus erat per epistolium significare id, quod perlator ejus, cum probe nosset, tum verbis significare posset? Qui facinus ipse fecisset, multo poterat de eo et copiosius et certius exponere, quam epistola; neque ejusmodi erat epistolæ argumentum, quod perlatorem celari oporteret: alias ea literis mandata mittere solemus, quæ non possumus cum perlatoribus communicare; hic autem perlator totam rem jam tenebat. Item si copiosius aliqua de re docendum sit, solemus eam perscribere, verentes ne memoria perlatoris ipsa parum sufficiat amplectandæ atque referendæ narrationi: hic autem nihil aliud erat renunciandum quam hoc breve, Herodem esse peremptum; tam breve argumentum tanti non erat, ut in literas referretur. Præterea meminisse vos, judices, velim, prædicationem hominis ab argumento commentitiæ hujus epistolæ discrepasse: tortus enim fassus est, se cædem patrasse; epistolium autem resignatum me homicidam esse prodidit. Utri jam oportet vos fidem habere? Porro, initio quidem, quærentes, non inveniebant epistolium in navigio, postmodum autem inveniebant. Quid ita? Tunc nimirum, cum navigium prima vice pervestigarent, nondum ipsis tota fraus in caput meum erat excogitata atque comparata: postquam autem homo primo loco tortus nihil indicarat mihi infestum, ipsi scheda ma se exaratam injiciebant in navigium, quo haberent speciosam causam criminis in me conferendi: legebatur epistolium, velut ex insperato in nave repertum: torquebatur tum servus posterior; verum hic epistolio edebat parum consentientia: jam libenter occultassent epistolium et hominum notitiæ eripuissent; verum negatum hoc erat; nam semel publice recitatum fuerat. Quodsi futurum sperassent, ut servum statim a principio auctoritate sua permoverent ad falsum testimonium contra me perhibendum, utique machinam illam epistolarem commenti non fuissent. Cita tu mihi horum testes.

TESTES.

10. Sed eccujus tandem rei causa ego virum occidissem? num simultatis? Atqui nulla mihi cum eo intercedebat. Sed alienam in gratiam aiunt me illi spiritum eripuisse. Atqui ecquis tandem hoc facinus unquam eo fecerit, quo alteri gratificaretur? Ego equidem opinor neminem unquam tam dementem fuisse; sed magnas inter cæsum et occidentem intercessisse simultates necesse est, et e multis constitisse indiciis alterius vitæ ab altero insidias comparari. Mihi vero, ut dixi, cum Herode discidii nihil unquam fuit. Verumtamen cupiditate illectus eum peremi, sperans apud eum nummos

invenire? Atqui carebat nummis. Esto: at metu tamen, ne, nisi ego prævenirem, ille me repente opprimeret? Haud equidem infitier fieri posse, ut ejusmodi metus alium quenpiam ad hujusmodi facinus impellat. At enimvero ita de Herode meritus non eram, ut illi necesse esset insidias occupare. Multo enimvero majori jure consensuque veritatis ego in te criminationem hanc retorquere possim, te hoc agere, ut e nece mea ditescas, quam tu me criminaris e nece Herodis ditescere voluisse: tu si me per hoc judicium tollas, multo potiori jure a necessariis meis cædis injustæ et flagitiosæ reus peragaris, quam ego abs te et reliquis Herodis necessariis cædis in eo commissæ reus agor. Ego enim perspicuam causam edo atque approbo, unde constet, te capiti meo insidias comparare; tu vero causationibus et suspicionibus obscuris, quarum rationem nullam liquidam et certam approbare vales, me perditum is.

11. Hæc hactenus ad vos disputavi, judices, quo certiores vos redderem, mihimet nihil causæ esse cædis, quam aut præmeditatus aut exsecutus in hoc homine Herode essem: sed et Lycinus mihi defendendus esse videtur, docendumque, non illum magis, quam me, in probabilem hujus criminis suspicionem venire posse. Lycino igitur aio eadem esse de Herode merita atque mihi sunt, easdemque rationes atque meæ sunt cum Herode: nam neque opes Herodi erant, quarum appetitus accendere Lycinum ad facinus potuisset, neque discrimen ullum ab Herode parabatur, quod Lycinus non potuisset, nisi per hujus necem, effugere. Præterea ne voluit quidem Lycinus eum perdere: nam si voluisset, poterat Lycinus Herodem in certamen aliquod forense conjicere, cujus hic fuisset exitus, ut Herodes ex præscripto legum vestrarum morte mulctaretur. Si debebatur Herodi a Lycino malum, poterat hoc modo Lycinus sub latebra reipublicæ privatas suas injurias ulcisci, unaque eo facto vos promereri, docendo, majestatem reipublicæ ab eo læsam fuisse: quanquam multo hoc ei fuisset honestius certamen, quam nex ex insidiis per fraudem et scelus oblata, tamen Lycinus id facere indignum sua persona duxit; id quod ex his testibus cognoscetis.

TESTES.

Verumenimvero, probabile nimirum est, qui Lycinus ejusmodi opportunitatem inimicum sine suoque meoque periculo ulciscendi sciens et volens transmisisset, eundem tutæ et honestæ ultioni prætulisse ultionem ex insidiis et cum ignominia et cum periculo suoque meoque conjunctum, ubi deprehensus non me solum patria expelleret, sed una semetipsum quoque sacrisque et civilibus juribus et reliquis omnibus fortunis rebusque privaret quæ homini cuique carissimæ sunt summique fiunt. Sed age concedamus

tantisper adversariorum prætensioni: verum esto vel maxime Lycinum Herodem sublatum voluisse: ideone ego mihi persuaderi passus sum, pro illo facinus facere, quod ille ipse suis manibus patrare non auderet? Cur tandem? num, quod, ut ego corpore valerem eoque par essem periculis obeundis, ita ipse copiis nummariis valens meam operam redimere posset? Non utique: alia omnia: multo citius ego Lycinum ad partes has agendum permovissem, quam ille me, secundum id si judicetur, quod in ejusmodi re consentaneum est; locuples enim ego sum, ille pauper: minutum quidem æs, septem solummodo minarum, die evoluta persolvere non poterat; quare amici necesse habebant eum stipe collatitia a custodia liberare. Præterea non magnus nobis usus mutuus erat; non certe tantus, ut imperiis ejus quibuscunque famularer; de quo ut vobis constet, afferam luculentissimum documentum: si tam carus mihi homo fuisset, ut ejus in gratiam eoque jubente tollendo homine vitam ipse meam in discrimen darem, multo magis septem illas minas pro eo luissem, neque commisissem ut a vinculorum molestiis corpus ei corrumperetur; ego vero minuto hoc in officio cum ei defuerim, multo minus censendus sum in re tanta et tam capitali manus meæ operam ipsi accommodavisse.

12. Planum jam feci, quoad potui, neque a me neque a Lycino cædem hanc esse peractam; sed hoc videntur argumento adversarii quam maxime nixuri idque acerrime agitaturi, quod Herodes tamen nusquam locorum in conspectum prodeat; et vos ipsi, judices, mihi videmini percupere audire, quidnam ego illi argumento habeam opponere. Opponam nempe istæc. Si aliud nihil postulant, quam ut probabilem aliquam conjecturam edam de ratione qua potuerit Herodes conspectui hominum eripi, non magis est cur id a me exigant quam a vobis; nam ad me non magis hoc pertinet quam ad vos, nam ego non magis hoc facinus patravi quam vos patrastis: sin autem veram rei gestæ rationem nosse volunt, eorum aliquem interroganto qui facinus patrarunt; nam ab illo omnium optime atque certissime rem intelligant. Ego, qui non patravi, si velim hac de re, aut debeam, copiosius disserere, nihil habeam plus quod dicam, quam hæc duo brevissima vocabula, Non feci: qui autem fecit, ei quoque perfacile est docere qui res facta sit, aut si docere quoque noluerit, facile tamen ei est solerter et belle conjectare seu speciosum prætextum allegare. Nam scelerati sceleribus suis speciosos quoque prætextus comminiscuntur et callida subterfugia præparant: qui autem non fecerit, ei difficile est occulta probabili conjectura aperire. Vestrummet ipsorum adeo mihi videtur unusquisque de re haud comperta interrogatus nihilo plus esse responsurus, quam hoc breve, Se non nosse: et si tum interrogans instet et ulterius quid exprimere laboret, vos

alsuri mihi atque sudaturi videmini, et quid respondeatis ulterius non inventuri. Nolite ergo tam iniqui esse, ut necessitatem ænigmatis enodandi mihi imponatis, in quo extricando ipsi vos sitis hæsitaturi; neque absolutionis hanc mihi ferte conditionem, si feliciter conjectavero, sed satis habete, a me planum vobis esse factum, me hoc crimine prorsus vacare. Nam insons sum, non hactenus, quatenus rationem edo probabilem, qua homo videri possit aut e medio sublatus aut peremptus, sed hactenus quatenus ejus cædes ad me nil pertinet. Factum novi haud raro, a fama doctus, ut sive perempti sive homicidæ nusquam locorum reperirentur. Næ pulcre tum ageretur cum iis, qui aut cum illis aut cum his una fuissent, si culpam eventorum ferre deberent. Inconsulta et pestifera est in hujusmodi causa judicii præcipitatio, per quam persæpe jam factum est, ut aliorum quoque criminum, non cædium modo, rei facti, cum insontes essent, prius extremis tollerentur suppliciis, quam veræ rerum rationes aperirentur vereque sontes detegerentur. Ne longe abeam, Ephialten civem vestrum qui occiderunt, adhucdum hodie nondum inventi sunt: quod si ergo quis postulet, ut, qui tum cum Ephialte fuerunt cum occumberet, hi aut homicidas idoneo atque probabili indicio declarent aut ipsi crimen cædis subeant, næ conditio eorum minime sit optabilis futura. Quanquam qui Ephialten sustulerunt, nil curarunt cadaver hominum conspectui subducere, quo se in periculum dedissent, facinus ipsi suum prodendi; in quo sapiebant: me vero hi tam stultum fingunt, ut, cujus cædem ipse solus peregissem, exclusis consortibus et adjutoribus omnibus, ad eum humo tollendum atque bajulandum alios advocarem. Quam intutum sit probabilibus solummodo argumentis fidere, ex hoc facto intelligatis. Haud ita pridem puer nondum annum ætatis duodecimum emensus heri jugulo sicam imprimebat: hero vociferante territus puer auffugiebat, relicta in jugulo sica; qui si ausus esset manere, perisset tota familia: nam quis sanus de puero tantillo tantam audaciam vel suspicatus esset? jam vero comprehensus puer et e fuga retractus, ipse se suo indicio condemnavit. Aliud accipite. Hellenotamiæ vestri aliquando in suspicionem furti adducti fuerant, injustam quidem illam atque immeritam, prorsus ut hæc cædis est de me suspicio: peribant, præcipitatione sævientis iræ potius quam sapientia consilii, omnes præter unum, quem Sosiam aiunt appellatum fuisse. Supplicio extremo etiam is jam condemnatus, nondum id corpore toleraverat: interea temporis aperiebatur, quo pacto pecuniæ interversæ fuisse: ibi Sosias, jam undecimviris traditus, a populo e carcere domum cum gratulatione reducebatur: reliquis autem quis vitam redderet, immerito supplicio exstinctis? Seniores vestrum, ni fallor, hunc casum adhuc recordantur, juniores autem, æquales

mihi, fando procul dubio de eo inaudiverunt, quemadmodum ego. Tam salutare est, tantique refert, ad examen rerum etiam lentorem temporis in consilium adhibere. Forte fiat, ut hoc consultore utentes vos olim aliquando certiores fiatis, quonam pacto Herodes quoque perierit. Cavete itaque quæso sedulo, ne vobis quoque idem usu veniat, ut me, quamvis insonte, vestra sententia oppresso, tum demum veram hujus necis rationem cognoscatis, re non amplius salva; sed prius bene consulite diligenterque causam explorate, non perciti iracundia, non calumniis exagitati: consultores hi sunt tam mali, ut facile non sit pejores reperire. Nihil enim est; quod homo iracundia perturbatus recte cernat recteve constituat: ira enim illud ipsum, per quod homo deliberat, mentem ejus puta, corrumpit. Ut autem aliquid non hodie, sed cras fiat [vel differentia unius diei, aut etiam successio dierum inter se] multum valet ad mentem hominis mutandam, et ad perveniendum ad sedes veri. Certos vos esse velim, multo magis me vestram commiserationem meritum esse, quam ut pœnas dem: pœnas enim dant criminosi, misericordiam autem merentur insontes in discrimen adducti. Et vestra potestas salvo jure æquo me servandi semper debet potior esse horum inimicorum contentione me per nefas opprimendi. Ampliate paululum: nam in sustinendo judicio inest potestas, quandocunque visum fuerit, ea severitatis exempla statuendi, ad quæ vos hi suæ orationis acerbitate accendunt; præcipitanti autem consilia prorsus ne capere quidem licet recta consilia, nedum ut exsequatur.

13. Sed et patris me causam dicere oportet. Tametsi multo magis erat consentaneum, pro me eum dicere, qui pater esset. Illum enim res meas omnes tenere credibilius est, qui ætate me multum antecedat, quam me res ejus tenere, qui multo sim junior. Illi si causa in foro dicenda sit, eoque tum si de eo tester ea, quæ non certa scientia fretus, ex oculorum meorum fide, sed solum ex auctoritate famæ affirmem, questurus sit adversarius, atrocem sibi a me factam esse injuriam: jam vero me eo adigens, ut necesse habeam facta oratione purgare ea quæ mea ætate multo sunt antiquiora, tametsi ea non nisi ex fama teneo, non putat injuriam a se mihi fieri haud minorem. Verumtamen quoad notitia aut conscientia mea pertinet, patrem non prodam, malis calumniis coram vobis, judices, lacessitum. Et quanquam vereor, ne qua labar eique noceam, ab eo recte facta secius interpretans atque verbis corrumpens, jacta tamen esto alea. Patrem bene vobis velle vestræque reipublicæ studere, rebus ipsis ipse declaravit illo tempore, quod Mitylenæorum defectionem antecessit: ut autem tota civitas malo usa consilio a vobis defecit vestraque benevolentia excidit, non potuit facere quominus errore toti civitati communi implicaretur. Animo quidem erga vos

tum erat nil mutato, in illis ipsis turbidis temporibus, at rebus item suam ergo vos pristinam demonstrare voluntatem haud licebat. Mansit quidem in obsessa civitate, at quid faceret? excedere illinc parum fuisset prudens, et præterea ne opus quidem erat; satis enim multa penes vos habebatis pignora caritatis, liberos ejus atque facultates, ut, si vel voluisset quoque a vobis deficere, ne potuisset quidem: hanc itaque suam erga vos mentem jactare, donec Mitylenis manebat, negatum ei erat. Ut autem vos, punitis defectionis auctoribus, in quibus patrem non fuisse inter omnes constat, reliquis Mitylenæis copiam fecistis in patrio solo manendi in eoque excolendo perseverandi, nihil prorsus est postmodum a patre meo erratum, nulla est pars officii in qua exsequenda fidem navitatemque suam passus esset desiderari, nulli defuit muneri sive Athenis sive Mitylenæ edendo, sed et choregatibus defunctus est et tributa dependit. Quod autem apud Ænum amat ætatem degere, urbis caritate captus, facit hoc, non quo defugiat partem ullam officiorum a se reip. debitorum; neque quo civitatis alius civis malit quam vester appellari et haberi, quanquam alios bene multos video civium vestrorum, relicta urbe, non modo in Continente [Asia] considentes, sed ad ipsos adeo quoque vestros hostes transmigrantes sedesque fortunarum suarum inter eos figentes actionibusque mercatilibus cives vestros vexantes; neque quod eum vestri regiminis popularis pœniteat atque tædeat, sed odio delatorum quos ipsimet vos pariter odistis. Quæ ergo pater una cum tota [Mitylenæorum] civitate coactus magis quam voluntate sua deliquit, eorum pœnas ipsum privatim dare æquum non est. Sat magnas jam dedit eorum pœnas una cum tota civitate. Nunquam Mitylenæis e memoria excidet error ipsorum, et ex illo contracta clades, qui ingentem pristinam amplitudinem suam beatamque conditionem cum extrema atque miserrima infelicitate commutarint patriamque viderint desolatam. Quæ autem adversarii patri meo privatim vitio dant, nolite quæso, judices, ea vera esse aientibus credere: nummis enim quo emungeremur, ab improbo sodalitio tota hæc machina in meque in eumque comparata est. Et multa hic concurrunt cupiditatem bonis alienis inhiantium secundantia. Senex ille cum sit, præsto mihi nequit esse; ego vero junior sum rudiorque quam ut ipse me defendere measque injurias ulcisci queam. Quare vos mihi succurrite, neque docete sycophantas ipsos plus posse quam vosmet: id quod certo eveniat, si secus hac in causa judicetis. Nam si ad vos ingressos eos sinatis agere quæcunque velint omnia, planum faciatis, horum gratiam reos omni studio omnique arte debere sibi obstringere, vestræ plebis auctoritatem vero impune posse contemnere: sin autem ingressis ad vos sycophantis significetis, eos vobis videri homines audaces atque conсeleratos esse, consiliaque eorum et

machinationes eludatis, ut nil efficere contentionibus suis possint, tum vos ab omnibus honorabimini magnique fietis, et summa rerum potestas penes vos erit; quemadmodum etiam par et æquum est esse. Vindicate itaque meque unaque æquum jus.

14. Audistis adhuc quæcunque argumenta a me proferri potuerunt ab humanis sive testimoniis sive aliis indiciis repetita: sed divina quoque non minus oportet ostenta proferre, quo ex his quoque vos bonitatem causæ meæ docti secundum me pronuntietis; et sunt utique indicia divinæ voluntatis summi momenti. His credentes vos remp. tutam et salvam geritis, utraque in fortuna, tam in adversa quam in secunda, forisque domique. Sed et in privatis cuique suis rebus summa debet esse divinorum ostentorum auctoritas fidesque: quæ res in vulgum nota est. Ipsos vos, ni fallor, haud fugit, sæpe jam usu venisse, cum homines aut cruore aut alio quopiam incesto polluti in naves inscendissent, ut non ipsi solum undis hausti perirent, sed una secum cæteros quoque vectores, quamvis castos sanctosque, in perniciem traherent; item alios, consortio impurorum usos, tametsi non perirent, ad discrimina tamen extrema adductos fuisse; nec non multos, adstantes sacris, eo quod perlitari non posset, suomet ipsos tacito indicio prodidisse, religiones deorum ab ipsis violatas esse, et penes ipsos stare quominus sacra solennia rite peragantur. Jam horum omnium nihil in me unquam evenit. Quibuscunque unquam navigationum consors fui, hi secundissimis usi sunt cursibus: ubicunque sacris interfui, ibi nunquam non pulcherrime atque prosperrime fuit perlitatum. Quæ indicia, jure meo æquissimo postulo, ut vos ita interpretemini ut inde falsitatem criminis in me collati colligatis. Vera autem esse, quæ de me prædicavi, ut vobis constet, hos testes cito.

TESTES.

Certus sum, judices, hi testes si adversus me testarentur atque confirmarent, in templo quopiam navigiove, in quo ego essem, indicium aliquod visum esse numinis ob sacra polluta irati, adversarios meos hoc testimonio, tanquam acerrimo quodam telo, usuros esse ad me confodiendum, atque clamaturos hæc ostenta deorum fidem mei sceleris facere tam perspicuam atque luculentam ut alia nulla fides possit esse evidentior: jam vero et divina ostenta criminationibus inimicorum meorum repugnant, et testium prædicationes cum causam meam sublevant, tum istorum causam premunt et evertunt atque mendacii coarguunt; et nihilo tamen hi minus postulant ut, quam vos fidem meis testibus denegetis, eam ipsorum mendaciis contribuatis. Alii quidem homines per ipsa facta vanitatem prætensionum demonstrant atque refellunt; hi vero verborum præstigiis veritatem rerum gestarum labefactare conantur.

15. Refutavi, judices, singula quæque crimina mihi objecta, quantum memoria colligere potui: jam nullus dubito fore, ut a vobis absolvar. Id quod, ut mihi salutare est, ita cum vestro quoque studio jus sancte et legibus convenienter dicendi consentit jurisque jurandi a vobis dicti religionem tuetur. Nam secundum leges vos jus esse dicturos jurantes condixistis: jam legibus iis, quarum ex auctoritate prætensa in carcerem ductus sum, nil teneor; quibus autem teneri dicor (quamquam falsa ea est criminatio), quatenus iis tenear nec ne, docebit certamen illud quod mihi decertandum in posterum tempus reservatum manet. Geminum autem certamen quod exstiterit e simplici, ejus rei culpa penes me nulla est, sed in culpa sunt accusatores. Vos autem, qui juris æqui estis arbitri, hominum mihi inimicissimorum malignitatem atque iniquitatem haud videmini imitaturi: hi necessitatem mihi admoverunt, bis capitis mei causam dicendi. Vos itaque me in hoc jam judicio præjudicio vestro cædis non condemnabitis: nolite, viri, tam iniqui esse: date potius aliquid etiam tempori; quo cum consiliario atque viæ duce veritatem rerum gestarum invenire solent, quibuscunque curæ est eam quærere. Vellem utique, judices, hujusmodi in causis formulam juris civilis in jure dicundo observari [h. e. semel tantummodo de causa quaque quæri et pronunciari], quanquam ipso de jure, simpliciter et extra forum spectato, idem ego æquum censeo, ut in rei gestæ veritatem quam creberrime inquiratur. Quo sæpius enim id fiat, hoc melius rei veritas aperiatur: crebritas disputationum, quibus indagatio veri proposita est, ut secunda est atque propitia veritati, ita rursus est mendacio infestissima; et ut illam superiorem in certamine facit, ita hoc debellat. In nulla vero causa, quam in causa homicidii, magis refert de veritate rei gestæ certo constare; nam sententia iniqua in hac causa dicta cogit et jus æquum et veritatem cedere atque succumbere: nam me, e. c., si vos condemnaveritis, tametsi insontem, oportebit tamen vestræ sententiæ servire et legis severitati parere, edicentis, ut reus sententiam in se a judicibus pronuntiatam corpore suo toleret exsequendam; nemoque facile sit, qui sententiæ de se dictæ refragari audeat, tametsi certo sciat se crimine vacare, aut qui ideo recuset in potestate legis esse, quod conscius sibi sit se tantum facinus haud commisisse. Sic necesse est, ut æquitas iniquitati concedat, veritate nequicquam reclamante, et ut ipsa veritas a mendacio victa obruatur, præsertim absente vindice, causam earum asserturo. Propter hanc lubricitatem in hujusmodi causis cædium errorisque proclivitatem imperatæ sunt tot cautiones, tantique fiunt tanta cum mole apparatus, quanti aliis nullis in causis: primum leges et diligenter subtiliterque et severe de causis homicidiorum quibusque præcipiunt, et ambæ partes jure jurando mutuo obstringuntur, exta proficiuntur,

necesse est ut accusatores reis cædium denuntient ne audeant ad loca vetita adire; tacebo reliqua, quæ mos et ritus est in causis homicidiorum observari multum diversa ab iis juribus atque ritibus, quì aliis in causis aliisque in dicasteriis observantur. Quid ita? Res nimirum, de quibus hic certatur, multo plurimum refert recta et vera sentenria definiri: nam si ex recto et vero definiantur, satisfit manibus injusta cæde læsi; insontem vero si homicidii damnet iniqua judicum improborum sententia, delictum hoc est, non humana modo, sed divina quoque jura violans. Nam perinde ad offensionem est, accusatorem non recte accusare, atque vos, qui judices sitis, non recte decernere. Nam accusatio vim effectus in se nullam habet, vestræ autem sententiæ ea est auctoritas, ut ejus dictata exsecutioni dari necesse sit: accusator erroris in judicando commissi culpam in vos transferre possit, quoniam a vestra auctoritate derelicta ipsius accusatio effectu fuisset caritura; vos autem in pronuntiando lapsi, quonam erroris culpam referetis? quonam prætextu eum excusabitis? Ecqui ergo recte et legitime hac in causa mea judicabitis? Sic nimirum, si hos non prius, quam ubi jusjurandum ritu vetusto sancitum dixerint, ad accusandum admittatis, copiamque mihi faciatis ipsum crimen purgandi. Ecqui autem eam mihi copiam facietis? Si nempe me hoc temporis articulo absolvatis. Nam, etiamsi hoc feceritis, non ideo tamen vestræ sententiæ laqueos effugi: nam, qui nunc sedetis judices, vos iidem tum quoque sedebitis, cum crimen homicidii mihi ex professo diluendum erit, et me condemnare si tum voletis, licebit vobis. Absoluto me nunc tum tamen nihilominus de voluntate uti in potestate vestra erit; [sin autem me nunc condemnaveritis], non licebit postmodum denuo crimen purgare aut de me in deliberationem ire. Et si vel maxime ego vere sim homicidii reus, et vos me, utique sontem, tamen absolveritis, semper tamen erit sanctius atque cum religione deorum convenientius, sontem adeo per nefas absolvere, quam insontem per nefas condemnare: alterum enim illud aliud nihil est, quam errore labi; alterum vero, præterquam quod error est, etiam violatio est divinorum jurium. Versamini ergo in loco perquam lubrico, in quo acerrima cautione opus est ne labamini, rem aggredientes, ut semel effectui data fuerit, postmodum irreparabilem. In ejusmodi quidem causa, ubi admissus error denuo tamen reprehendi et corrigi queat, minus peccetis, etiamsi sive ab iracundia evehamini sive a calumniis capiamini atque obstringamini; nam ibi locus est et pœnitentiæ et consiliorum restaurationi: in causis autem irrevocabilibus, ubi ad errorem agnitio erroris eamque consequens pœnitentia accesserit, geminum id damnum est. Haud raro jam factum est, ut cum vos præcipitantia judicii insontes pessumdedissetis, postmodum ipsi vestrum errorem agnoscentes, pœnitentia ejus,

sed illa irrita, excruciaremini. Nunquam autem vos pœnituit sontes absolvisse, si qui facundiæ suæ præstigiis vobis deceptis innocentiam suam approbassent, tametsi eos oportuisset vel maxime pessumdari, si non alia de causa, saltim ea, quod mendaciis vos circumvenissent. Præterea cum errores involuntarii veniam inveniunt, tum voluntarii venia carent: error enim involuntarius, o judices, forti fortunæ in acceptis refertur, voluntarius autem destinationi consilii et propositi imputatur. Ecqui autem aliud quicquam voluntarii nomen mereatur, quam si quis, ob quæ deliberatum consederit, ea ante deliberationem protinus exsequatur? Velim insuper hoc quoque vos vobiscum reputare, sive manu tu quemquam per nefas occideris, sive sententia tua ad exitum facti et ad æstimationem juris, perinde id esse. Quod si hujusmodi facinoris cujusquam ego mihi conscius fuissem, profecto nunquam pedem in hanc urbem intulissem, de quo vos certos esse velim: jam vero veni huc, bonitate causæ meæ fretus; et viro bono honestoque adjumentum aliud nullum debet carius esse neque aliud majoris fieri, quam conscientia, nihil a se commissum esse, quo majestas deorum violaretur iisque debita pietas corrumperetur. Hæc optima et fidissima certaminis capitalis secundatrix est: nam ejusmodi reo tametsi corpus magnitudine atque diuturnitate molestiarum fractum et fatigatum concidere atque occumbere minetur, erigitur tamen et ad salutem conservatur ab animi fortitudine, conscientia innocentiæ suæ erecti ideoque adversus molestias adventitias contendere parati et perdurare nitentis. Criminis autem si cui officiat conscientia, non alius ei hostis adversatur magis reformidandus, quam conscientia mala, prima hæc in eum consurgit, et cum armis infestissimis: corpus enim etiamsi adhuc validum animus tamen ante tempus, viribus illius nondum exinanitis, destituit, existimans imminentem pœnam sibi meritam venire sceleribus abs se commissis. Veni ergo ad vos et potestatem mei vobis feci, utpote nullius sceleris mihi conscius. Inimicos autem meos me criminibus commentitiis ad vos infamatum et vos a me abalienatum atque deceptum ire, id vero mirandum non est. Sed vestrum est calumniis fidem denegare. Mihi enim si obsecundetis, nihil aliud vobis verendum est, quam hoc, ut vestræ vos facilitatis postmodum pœniteat: atqui pœnitentiæ hujus remedium, idque in vestra potestate positum est, ut me postmodum puniatis. Horum autem in auctoritate si fueritis, non licebit vobis postmodum, horum imperia exsecutis, pestem semel admissam rursus sanare. Neque magnum erit temporis intertrimentum, si pœnam meam tantisper differatis: paulo post enim veniet tempus, quo, si æquum censebitis, juste atque legitime in me decernatis id, quod ut nunc iniquo tempore decernatis, hi vobis auctores sunt. Non est festinantium res prospere et præclare gerere, sed recte et suspensa atque

lenta mente deliberantium. Nunc solummodo cognitores causæ estis, tunc autem testium eritis arbitri: nunc estis opinatores verorum, tunc autem decretores eorundem. Num tenetis quanti momenti res sit contra hominem homicidii reum factum falsa testari? Nam si testes hujusmodi falsi judicibus persuaserint, ut protinus sine cunctatione reum occidant, non solum corpus periit, sed una quoque ultio ipsi debita periit. Nam amici quidem ejus non jam volent hominem vindicare jam exstinctum: et si vel velint quoque, ecquid inde commodi redibit ad injuste peremptum? num ideo melior ejus erit conditio? Quare nunc quidem me absolvite, judices; in altera autem causæ dictione, qua peculiariter in cædem inquiretur, ubi hi accusatores jusjurandum ex formula juris et ritu vetusto prius dixerint, tum me accusanto, vos autem causa in utramque partem agitata et discussa, secundum leges in hac civitate fixas usuque frequentatas pronunciabitis: quo facto, mihi, si quid etiam adversi patiar, nulla tamen erit excusatio de injuria facta. Hæc ea sunt, quæ vos rogo, ita vestræ memor pietatis, ut una me ipsum quoque juris mei nulla parte defraudem: in jurejurando a vobis dicto, mea quoque salus una continetur. Momentorum horum quocunque denique voletis, impulsi me absolvite.

ANTIPHONTIS

SUPER CHOREUTA

ORATIO.

ARGUMENTUM.

Quot apud Athenienses choregi sint, et quare creentur, et quot pueros alere teneantur, ex Demosthenis orationibus accurate didicimus. Choregus igitur Antiphontis oratoris tempore fuit, qui tribum sortitus Erechtheidem, et amplius Cecropidem, pueros saltatores domi nutriebat. Quorum unus bonæ vocis causa pharmacum bibit, cumque bibisset, vita functus est. Pater pueri mortui choregum accusavit, tanquam illi mortem afferentem. Defenditur choregus mortem negans. Status causæ conjecturalis, incertum cum sit crimen: certo indicio accusator utitur, eo quod, pueri in domo choregi exercerentur; quod etsi crimine vacet, ad suspicionem persuadendam valet.

---

1. Jucundissimum quidem est homini, judices, si nunquam in capitis discrimen conjiciatur, et ad deos vota faciens sibi quisque inter alia optabilia etiam hoc optet contingere: quodsi tamen certamen devitare nullo modo queat, tum id quidem multo est jucundissimum, si præsto sit, quod ego equidem in ejusmodi causa habeo palmarium, ut nullius sibi delicti sit conscius, sed si vel maxime accipiendum sit infortunium, id malitia et dedecore careat, magisque fortunæ sinistræ quam improbitati mentis referatur. Leges quidem hoc de genere criminum latas nemo facile sit omnium, qui non fateatur legibus aliis sapientia atque sanctitate anteire. Legum aliarum omnium in hoc Attico solo obtinentium sunt antiquissimæ; deinde mutationem nullam passæ sunt, sed ut crimina adhuc sunt eadem atque olim, quorum de pœnis ut præciperent, tum primitus latæ sunt, ita ipsæ quoque formulæ sunt adhuc eædem atque primitus fuerunt; id quod vel præcipuum est documentum legum juste sapienterque institutarum: temporis enim diuturnitas et usus rerum vitia aperiunt institutis humanis adhærentia. Quapropter vos oportet, non legum probitatem ex accusatoris prædicatione æstimare, sed contra orationem accusatoris e legibus arbitrari, num recta legibusque consentanea vos doceat, necne. Maxime quidem mea nunc agitur causa, qui reus agar: verumtamen etiam vestra non minus interesse autumo, ut causæ homicidiorum ex æquo et vero disceptentur; præcipue quidem deorum causa, quo religio ipsis debita salva servetur, tum tamen etiam vestri causa. Nam præter famam

vestram, etiam conscientiæ vestræ pax agitur: hæc enim causa non plus quam semel agitur; in qua dijudicanda commissus error æquo et vero prævalet. Quem enim vos homicidii condemnaveritis, tametsi non sit, necesse tamen est eum homicidam esse; tametsi manus ei sint a cruore intactæ, facere tamen non possit, ut imperia sententiæ in se dictæ legisque detrectet, sed abstinebit se necessario a solo patrio, a fanis deorum sacrisque et sacrificiis, a foro, a ludis, quæ omnia hominibus solent esse carissima atque antiquissima. Tanta legis est et severitas et reverentia, ut tametsi tu mancipem tuum occideris,cui nullus sit sanguinis ultor, tu tamen ritusque vetusti et divini numinis verecundia, lustralibus sacris te expiandum cures, iisque locis abstineas quorum frequentatione tibi lex interdicit. Felicitatis humanæ pars potissima in spe suspensa est: sed hanc ipsam spem, unicam pæne vitæ humanæ anchoram, ipse sibi amputat is, qui religiones deorum temerat. Neque est unus omnium, qui, eo quod sibi sceleris hujus commissi non sit conscius, repugnare audeat sententiæ judicum de se latæ, qua homicidii condemnatus sit; sed necesse est illi servire sententiæ, quamvis vero repugnet: et ipsum verum, necesse est, ut obmutescat falsique se incusari patiatur, præsertim si desit, qui jus vindicet reumque asserat. Qua de causa et legum capitalium diligentissimæ cautiones et reliquæ cærimoniæ in hujusmodi causis sancitæ, ut e. c. sacramenta utrinque dicenda et extorum prosectiones et denuntiationes de locis vetitis et reliqua, peculiari quadam et insigni nota exsplendescunt, qua ab actionibus aliarum causarum dignoscantur; res nempe ipsas, de quibus hic agitur, recto judicio disceptari, quam plurimum refert: id enim si fiat, ultione satisfit manibus per nefas perempti; sin autem iniqua sententia homo insons percellatur, non is error modo est, sed etiam numinis divini legumque humanarum violatio. Neque perinde est accusatorem perperam accusare, atque vos judices perperam judicare. Accusatio enim illius in se vim exitus nullam habet, at in vestra sententia illa inest efficacia: quicquid vos secius decreveritis, id quo referatis, nil habetis, quo culpam purgetis.

2. Ego vero, viri, de defensione non idem sentio, quod accusatores de accusatione sentiunt. Nam hi cum se accusare aiant pietatis et æquitatis ergo, totam tamen accusationem eo compararunt, quo me calumniis exosum vobis reddant, et vos circumveniant; quæ fraus est, fraudum omnium, quas humana mens comminiscatur, teterrima. Non hoc agunt, ut planum faciant me scelus admisisse, eoque facto, ut pœnas dem meritas; sed istud, ut, tametsi insons, ipsorum obrutus calumniis, fortunis exutus omnibus, in exsilium agar. Ego vero æquum censeo causam hanc sic agitari, ut ante omnia rem gestam ex ordine exponam, et criminis ipsius, cujus insimulor, rationem reddam: deinde, si vos audire juverit, etiam reliquas

horum criminationes diluam. Hunc enim agendi modum autumo cum mihi decus atque salutem, tum inimicis, quorum petulantia et immanitas vexatione mei delectatur, ignominiam atque ruborem esse allaturum: et profecto indigna atque infanda mihi ab his oblata est injuria. Quibus, honestate salva, licebat, si quid ego, aut in edendo munere aut alio quopiam loco in rempublicam deliquissem, id indicare atque coarguere, quod facientes una hominemque sibi infestum essent ulti et de republica bene meriti; hi ab hac via mei insectandi sese cauti abstinuerunt, cernentes sibi negatum, ut ullam a me factam reipublicæ injuriam, sive magnam sive parvam, demonstrarent; hic autem actione homicidii me incessunt, quo in negotio perquam et illiberaliter et a more juris civilis abhorrenter versantur: lege edicente, ut accusator aliud nihil, quam ipsum crimen de quo agitur, arguat, hi accusationi suæ commentitias nescio quas et frivolas immiscent prætensiones, quibus meas in republica administranda partes infamatum eunt. Quo rei publicæ quidem, querendi locum relinquentes, ultionis copiam eripiunt, ipsi autem injuriarum, quas reip. oblatas aiunt, pœnas repetentes ditescunt. Atqui neque fide neque gratiarum actione dignæ sunt ejusmodi accusationes. Nam, ubi fructus ex ultione injuriarum reip. oblatarum ad ipsam remp. esset perventurus, ibi tacent; quo loco si loquerentur, reip. gratiam utique mererentur; aut, transmisso argumento præcipuo, quod titulus mentitur, in res a professione suæ accusationis alienissimas evagantur: atqui in ejusmodi causa, qui alia accusaturum professus, alia reapse accuset, dignior is est, cui fides denegetur, quam cui habeatur. Ego vero si animos vestros satis novi, videmini mihi in dicendo jure nihil aliud, quam naturam ipsius causæ, secuturi, et prout illa jusserit, aut absoluturi aut condemnaturi.

3. Constitutus choregus instantibus Thargeliis, præter meam tribum, quæ est Erechtheis, etiam Cecropidem una cum magistro Pantacle sortito accipiebam; faciebam sumptus, fungebar munere, quam poteram optime atque religiosissime. Quæ pars mearum ædium ei rei videbatur accommodatissima, eam consecrabam exercitationibus saltandi, et, ut ibi juventus doceri posset, tridinium apparabam, idem illud, in quo erudiendam juventutem jam antea quoque curaveram, choregatu in Dionysiis fungens: deinde chorum colligebam quanta poteram maxima civilitate, neminem pecuniaria mulcta afficiens, a nemine pignora per vim aufferens, cum nemine simultates suscipiens, sed ita agebantur omnia, prout utrique parti et acceptissimum et factu esset expeditissimum; citanti mihi atque præscribenti parentes liberos mittebant, volentes atque lubentes. Sed interesse disciplinæ puerorum per negotia mihi non licebat, intento actioni adversus Aristionem atque Philinum occœptæ: quos homines quoniam publice receperam peculatus reos faciendos, permagni mea referebat,

eorum furta senatui totique populo Atheniensium a me ordine et qua par est veritate atque æquitate demonstrari. Huic itaque negotio animum habens intentum, mandabam Phanostrato, ut choro suppeditaret, si quid ei opus esset; municipalis accusatorum est Phanostratus, idemque meus gener; huic mandabam, ut choro de necessitatibus omnibus, quam posset diligentissime atque liberalissime, prospiceret: addebam ei adhuc duos alios, alterum Amyniam de tribu Erechtheide, cui fama integritatis florenti solebant tribules decreto publico partes identidem demandare choros colligendi rebusque necessariis instruendi; alterum de tribu Cecropide, qui, quoties usu veniret, item colligere chorum istius tribus soleret: quartum denique addebam, Philippum, cum mandato, quæcunque imperaturus esset magister aut alius quispiam modo nominatorum, emendi et sumptus tantisper erogandi, quo scilicet pueri publice producendi quam optime docerentur, neque, negotiis me meis ad alia avocantibus, ulla re necessaria fraudarentur. Defunctus ad hunc modum choregatu fui. Atque si quid in hac expositione mentitus sum, mei excusandi et obnubilandi veri ergo, licebit accusatori in posteriore accusatione id coarguere, licebit quicquid volet contra disputare; nam res utique ita habet, ut exposui; et profecto furiosus sim, si in re tam publice nota et ad coarguendum tam facili mentiri coner: circumstant hoc tribunal tot numero homines, totam rem ut gesta est penitus callentes, et audientes me cum scribam sacramento adigentem sequerer, seduloque ad singulas quasque meas responsiones attendentes, quibus hanc de me creare pervelim opinionem, ut existiment, non solum religiosum me hominem esse et jurisjurandi a me dicti memorem ejusque servandi studiosum, sed etiam hoc agere, ut simplici veraque rei gestæ expositione vobis absolutionem mei extorqueam. Planum itaque vobis ante omnia faciam, me neque imperasse puero ut potionem biberet, neque eum ad bibendum adegisse, neque præbuisse, quid? quod ne interfuisse quidem cum biberet. Quod eo non dico, ista cum contentione, quo culpam a meis cervicibus in alienas transferam: non profecto: neminem enim incuso, præterquam fortem fortunam, quæ aliis quoque multis hominibus necem consciscit, quam fataliter cuique decretam, neque ego possum, neque alius quisquam, avertere, quominus legi fatorum pareatur.

TESTES.

4. Confirmata ore testium audistis ea, quæ vobis hac de re confirmanda receperam. Jam licebit vobis ex ipsa formula jurisjurandi, a nostrum unoquoque dicti, colligere, utri veriora et cum religione sacramenti convenientiora præ se ferant, egone, an illi. Jurati enim hi asseverarunt Diodotum a me necatum esse eamque necem me

ipsi præmeditatam intulisse; ego vero juratus negavi me illi cædem intulisse, neque manu sublata neque telo aut fuste incusso neque potione venenata, neque me necem illi fraude præmeditata comparasse. Contendunt autem hi criminationem suam approbare, prædicando, hunc [Phanostratum, generum meum] puero imperasse ut potionem biberet, aut eum ad bibendum coegisse, aut poculum ei obtulisse; ego vero ex illis ipsis horum prædicationibus efficio, me nulla culpa teneri. Neque enim imperavi, neque coegi, neque præbui: addam, me plane abfuisse tum quum puer biberet. Quod si ergo aient scelus penes eum esse qui imperaverit, ego crimine vaco: nam non imperavi. Aut si aient scelus penes eum esse qui coegerit, ego crimine vaco: nam non coegi. Aut si aient reum esse eum qui poculum præbuerit, rursus crimine vaco: nam non præbui. Facile quidem factu et cujusque est incusare et mendaciis alium obruere: habet enim id quisque in potestate sua. Verum efficere, ut, quæ facta non sint, tamen facta sint, et ut insons reddatur sons, id, ni fallor, non est in horum prætensionibus, sed natura harum rerum sequitur justum et verum [hoc est, vere sons, et pro sonte merito habendus, est sons, manetque, quicquid contra contendatur]. Et causa hæc brevissimis expediri potest, utpote dubitationi nulli obnoxia, ex ipsis adversariorum testiumque prædicationibus. Si qua res in occulto gesta est, si qua nex clam comparata, procul testibus, ibi necesse est judices accusatoremque reumque diligenter percontari, et ex amborum prædicationibus, subtili conjectura verum venari, minutissima quæque vestigia suspicionum persequi, et sic pronunciare, magis secundum probabilem conjecturam, quam ex certa scientia: ubi autem constat, ut in hac causa mea ipsi accusatores confitentur, necem hanc puero obtigisse, non ex præmeditato neque ex comparatione multorum inter se ad fraudem dandam conspiratorum; deinde, ubi constat, quæcunque acta sunt, ea omnia palam acta esse, in oculis multorum testium, tam virorum quam puerorum, tam ingenuorum quam servorum, e quorum conscientia et indicio, etiamsi quis sceleris quicquam commisisset, illud scelus liquidissime coargui, et rursus, si quis insontem per nefas accusatum isset, is facillime refutari posset, quid ibi opus est dubitatione, quid suspicionibus? cur non potius ex certa scientia sine cunctatione lis decidatur?

5. Præterea consilium quoque adversariorum vobis spectandum est, judices, et qua mente actionem hanc exorsi sint. Mores enim nostri mutui a principio inde prorsus inter se dissenserunt. Philocrates enim hic cum in Heliæam Thesmothetarum adscendisset, eo die quo puer elatus est, affirmavit, fratrem suum a me interemptum esse, eo quod ipsum in choro coegissem pharmacum bibere. Ego, certior factus Philocratem ista coram magistratibus dixisse, pariter adscendi, et in idem dicasterium ingressus, coram

iisdem judicibus negavi Philocratem ex æquo et recto facere falsis criminibus me infamare studentem ad judices, eo ipso temporis articulo, quo agendæ mihi causæ essent adversus Aristionem cras et adversus Philinum perendie; horum nempe in gratiam, ut eos a periculo condemnationis liberaret, accusationem hanc suscepisse Philocratem, aliaque nulla de causa idonea: nam criminationes et mendacia ejus facillimo negotio coargui et difflari posse. Conscios enim rei gestæ plus quam quinquaginta esse homines, ingenuosque cum servis, senesque cum junioribus, quos nihil omnium neque dictorum neque factorum in illo luctuoso negotio fugeret. Neque solum hac oratione ad judices utebar, sed etiam sponsionem ei deferebam, et tum statim, et proximo die post, coram iisdem judicibus, hortans, ut assumptis testibus, quotcunque numero vellet, mecum iret ad eos quos ego aiebam actui interfuisse; nomina enim eorum ipsi sigillatim edebam; atque ut eos interrogaret severiusque percontaretur, ut cujusque ferret conditio; liberos enim homines sponte sua rem ut vere gesta esset fideliter esse exposituros, cum quod æquum et rectum in se esset homineque ingenuo dignum veritati verborum studere, tum quod ipsorum interesset, verum dicendo suam ipsos existimationem bonamque famam tueri, malaque cavere quæ veri dissimulatio ipsis creare posset; in servos autem modis procederet ipsorum fortuna dignis, qui si interroganti ipsi vera edere viderentur, nil opus esse tormentis, sin minus, auctor ei eram, paratum stare me ad tradendum omnia mea servilia corpora, quæque aliorum juberet, profitebar me dominis persuasis præstiturum, ad quæsitionem per tormenta quamvis vellet acerbam. Hæc dictitante me coram judicibus, atque sponsionem hanc deferente ipsi coram judicibus illis non modo, sed etiam permultis aliis privatis tum circumstantibus, tamen neque tum statim, neque toto illo tempore quod ab illa die ad hanc effluxit, neque Philocrates ipse, neque unus eorum omnium qui ei causæ hujus consortes sunt, impetrare a se potuerunt, ut ad hanc æquissimam sponsionem descenderent, bene scilicet gnari, rationem hanc veri explorandi, non sibi, sed mihi secundam esse, ex eaque constiturum nihil sani criminationibus ipsorum inesse.

6. Nostis ipsi vos, judices, necessitatum, quibus impelli adigique homines possint, hoc genus esse omnium acerrimum atque efficacissimum, et ex hoc repetitas demonstrationes omnium evidentissimas esse atque certissimas, ubi nempe multitudo sit testium, ingenuorum una atque servilium corporum, qui omnes rem controversam teneant; quorum ingenuos vincire liceat atque veluti torquere religionibus jurisjurandi et asseverationibus, quarum fides bonæ cujusque famæ tuendæ præmio, aut, si mentitus deprehendatur, infamiæ contrahendæ periculo oppigneratur, quæ res bene natis homi-

nibus carissimæ sunt summique fiunt; a servis autem veri confessionem extorquere modis liceat aliis, equuleo et fidiculis, a quarum acerbitate coacti verum edere, tametsi postmodum cruciatibus confecti exspirent, tanti id non habetur. Cruciatus enim quemque in præsentia urens tantum valet, ut discrimen postfuturum obliviscatur. Constat itaque hos a me ad nullam non æquissimam conditionem invitatos, et nullum non genus inquisitionis his delatum esse unde datum est hominibus verum et æquum indagare: nullà relinquebatur excusationis latebra. Ego criminatione impetitus, qui dedisse dicerer injuriam, paratus eram ipsis copiam dare æquissimæ inquisitionis adversus memet ipsum: hi autem, tametsi me criminarentur et a me quererentur injuriam accepisse, nolebant tamen illam a me oblatam adminiculorum amplecti copiam, per quæ criminationes suas approbarent. Quodsi ego, sponsionem illis deferentibus, recusassem aut nomina servorum edere qui actui interfuerunt, aut servos ipsos illis tradere deposcentibus, aut aliam quampiam postulationem æquam defugissem, næ illi hanc meam tergiversationem interpretaturi essent pro luculentissimo argumento, suam causam bonam esse, me meæ diffidere: jam contra est; quam ego ipsis detuli ultro inquisitionem, hi eam defugerunt: quidni ergo par sit, me argumentum invertere, et in ipsos telum hoc retorquere, ex eoque conficere, falsi et commentitii me criminis ab ipsis insimulari.

7. Porro, judices, testes hi, qui nunc pro me testantur, si contra me testati essent, certissimus sum, tum fuisse futurum, ut hi testimoniis illis me velut telis quibusdam acerrimis impugnarent, aientes, testimonio mihi adverso non posse ullum aliud excogitari documentum fidei liquidius atque validius: jam vero videte mihi quæso incredibilem eorum iniquitatem atque impudentiam: testibus his iisdem aientibus orationem meam æquam et veram esse, istorum mendacem, docere vos contendunt, testimonio mihi secundo fidem omnem esse derogandam, in prætensionibus autem a se confictis vos certa fide securaque debere acquiescere; quas ego prætensiones si jactarem nulla testium auctoritate communitas, næ illi ut falsas et temere a me confictas essent aspernaturi. Atqui res gravis utique atque indigna sit, si testes iidem, ubi ipsis faveant, tum fidem mereantur, ubi autem me secundent, tum nullam. Quodsi, casui tam misero cum testes prorsus nulli affuissent, ego tamen aliquos producerem, aiens eos interfuisse, aut, si, cum interfuissent omnino testes, ego non eos, qui vere interfuissent, sed alios, exhiberem, recte utique vos majorem fidem illorum prædicationi, quam meis testibus, adhiberetis: atqui fatentur ipsi testes negotio interfuisse, et ego testes eosdem exhibeo qui vere interfuerunt, et constat, meque et meos testes omnes constanter eadem et illa prima statim die præ nobis tulisse, et adhucdum hodie præ nobis ferre: ecquæ jam alia ratio, judices,

quæso vos, possit excogitari, unde aut veris fides adstruatur aut falsis detrahatur, si hæc quæ attuli documenta nil valent ad rem comprobandam? Nam oratione quidem si quis rem doceat, testes autem idem nullos exhibeat, ejusmodi orationem aias testium auctoritate carere: sin autem testes exhibeat quidem, verumtamen non item indicia edat auctoritati testium consentanea, possis tu pari modo fidem indiciorum desiderare. Ego vero et orationis ea probabilitate rem gestam enarravi, ut vero simillimum sit eam ita gestam esse, et testes produxi illi meæ orationi consentientes, et facta denique demonstravi testium auctoritati consonantia, et argumenta inde collegi prono alveo illinc emanantia, et præterea duo quædam hac in causa vel palmaria demonstravi, hos quidem puta et a me et a semet ipsis convictos et condemnatos, me autem, non a me solummodo, sed ab illis ipsis adeo absolutum: me enim ultro descendente ad subeundum inquisitionis periculum de criminibus mihi objectis, hi nolentes eam conditionem amplecti, injuriam utique mihique sibique ipsi dederunt, eodemque veluti calculo cum me absolverunt, tum semet ipsi condemnarunt suamque accusationem ceu mendacem dispunxerunt. Atqui si, præter testes meos, ipsos adeo adversarios causæ meæ subscriptores præsto, ecquo alio quæso oportebit ire, ad arcessendum argumenta absolutionis?

8. Tametsi igitur autumo, judices, tam multa et tam gravia atque tam perspicua me disputasse, ut eorum momentis victi vos me merito ducatis absolvendum esse, et ab hoc crimine me prorsus vacare nemini vestrum sit dubium: quo tamen adhuc subtilius atque certius rem cognoscatis, procedam adhuc ulterius, et planum faciam hos accusatores meos esse hominum quotquot sunt omnium maxime perjuros pietatisque erga deos aspernantissimos, odioque imprimis dignos, non meo solum, neque vestro, judices, sed omnium adeo civium, ob morum improbitatem in hac causa demonstratam. Nam primo quidem die quo puer exspiraverat, item altero quo cadaver ejus patebat spectaculo expositum, æquum hi non censebant me ullius incusare hac in re commissi erroris aut facinoris, sed mecum congrediebantur et sermones conferebant: interim congressi cum inimicis meis, sinebant sibi ab his persuaderi, ut ad actionem adversus me comparandam accingerentur, tertio demum die, hoc est eo, quo puer efferebatur, mihi denuntiabant, ut meminissem, velut homicida, loca a lege vetita devitare. Quinam autem hi sunt inimici, quorum hortatu moti tanta me mole accusationis adorti sunt? et quænam ea causa est, quæ illos meos inimicos impulit, ut hos ad tantam audaciam accenderent? Nam hæc quoque, non committendum mihi est ut vos, judices, ignoretis. Stabam nempe in procinctu Aristionem et Philinum et Ampelinum et commentariensem Thesmothetarum, quo conscio et consorte furtorum isti furabantur,

accusandi iis de criminibus quæ senatui indicaveram, recipiens eos a me reos eorum faciendos. Tam enormia erant eorum furta et flagitia et injuriæ reip. ab ipsis oblatæ, ut nulla spes ipsis superesset evadendi. Quid ergo designant in tanto discrimine? Persuadent his [Philocrati cum consortibus] ut nomen meum ad magistratus, velut homicidæ, deferrent, publicisque in tabulis hoc titulo annotandum curarent, mihique denuntiarent ut locis vetitis me abstinerem: hanc unam sperabant sibi patere salutis viam, hanc unam fugæ ex universo isto tanto discrimine. Lex enim sic edicit: ubi nomen alicujus in tabulis proscriptum fuerit, velut homicidæ, ut is ex eo inde temporis momento loca vetita devitet. Exclusus ad hunc modum ego locis vetitis, in quibus vel præcipuum forum est, non poteram, ut illi quidem opinabantur, cœptam in se actionem prosequi: quodsi ergo mihi necessitas imposita fuisset illam actionem omittendi, qui solus et tenerem eorum furta et senatui indicassem, facile ipsis factu videbatur, ut defensionisque periculum pœnarumque dandarum acerbitatem effugerent. Non in me primo Philinus cæterique fraudem hanc machinati sunt, sed jam dudum ante in Lysistrato fuerant; qua de re vosmet ipsi inaudivistis. Prompti paratique Philocrates cum consortibus huic instigationi obsecundare, statim altero die post funus pueri, prius adeo, quam domus lustrata et justa facta essent, meum nomen, ut homicidæ, deferunt ad magistratum, publicisque in tabulis curant proscribendum, astute diligenterque observata illa ipsa die, qua actio adversus principem furum Philinum, a quo judicii principium erat faciendum, a me agenda esset; quo ne unus quidem scelerati illius collegii a me postulari posset et ex involucris improbitatis evolvi: verum multo secius evenit, atque isti speraverant: rationes ipsis suæ omnes egregie fuerunt conturbatæ: rex enim sacrorum e jure sacrorum ipsos docebat, recitanda legis formula, quodnam temporis spatium sustinere se adhuc deberent, antequam nomen meum deferrent, et quotnam citationes, nomine meo jam delato, præcedere deberent ipsam actionem, et quanta temporum intervalla inter quamque citationem fas esset intercedere: sic factum est ut ego, non exclusus copia fures illos ad judicium pertrahendi, omnes condemnarem; quibus mulcta fuit scripta tanta, quantam ipsi vos probe nostis iis scriptam esse; his autem [Philocrati cum consortibus] negatum fuit illos periculo eripere, quo ut eos eriperent, mercede illorum conducti fuerant. Quid ergo tum instituunt? Congressi mecum et cum amicis meis, rogabant, ut vellemus cum ipsis in gratiam redire, offerebantque pœnas offensionum a se mihi dandas. Ego, persuasus ab amicis, reconciliabar ipsis in arce apud ædem Minervæ, coram testibus iis qui conciliatores gratiæ erant: postmodum congrediebantur mecum et colloquia miscebant in tem-

plis, in foro, domi meæque ipsorumque, et ubicunque locorum conveniremus. Postremo, o Jupiter diique omnes! hic ipse Philocrates in curia coram senatu, stans mecum in suggestu, manu cum mea conserta, nominatim me appellans, sermones cædebat mecum, qui pariter eum quoque nominatim compellabam: quo factum, ut senatus idem postmodum audiens mihi denuntiatum esse, ut loca vetita vitarem, miraretur indigneque ferret id factum ab iis quos vidisset tam familiariter mecum conversantes. Considerate modo, viri, et recordamini, cum illorum impudentiam, tum meam æquitatem et innocentiam: non enim e testimoniis solummodo confirmabo quæ dico, sed etiam ex ipsis horum adversariorum factis facile intelligetis me vera prædicare.

9. De rege sacrorum, ut primo loco dicam, quem aiunt studio mei nomen meum ab ipsis delatum accipere noluisse, apertum id est et manifestum mendacium, quo tota ipsorum causa debilitatur. Regem sacrorum, admissa mei nominis delatione, oportuisset tres προδικασίας totidem mensibus distinctas instituere, et tum demum quarto mense post delatum nomen partes litigantes ad judicum consessum inducere, quemadmodum nunc factum est: atqui duo tantum menses de magistratu ipsi adhuc supererant, Thargelion et Scirrhophorion. Quapropter neque se adhuc honorem gerente inducere causam poterat in judicium, neque inchoatam successori tradere: nam homicidii causam inchoatam successori tradere peragendam, fas non est neque ullus unquam Rex sacrorum his in terris tradidit. Quam itaque accusationem neque in forum suum inducere Regi sacrorum qui tum erat licebat neque successori tradere, eam ne admittendam quidem sibi esse recte existimabat; nam alias leges vestras violasset. Regem sacrorum ea in re Philocrati nullam fecisse injuriam, ipse Philocrates testatus est. Alios enim magistratibus defunctos, gestorum honorum rationes debentes, ut calumniarum terriculamentis mirifice concussit atque exagitavit, ita in hunc unum Regem sacrorum dentem non destrinxit, sed intactum præteriit, a quo se atrocissimas accepisse injurias queruntur: hunc unum laniatum Athenas non venit. Ecquod ego jam aliud majus documentum protulero, quo constet Philocratem neque a me neque ab illo Rege sacrorum malo læsum esse? Nam ut illi, magistratu defuncto, qui nunc est, Rex sacrorum successit, licebat his per totos triginta dies mensis Hecatombæonis, qui mensis novo Regi primus erat, quocunque mensis illius die libuisset, nomen meum deferre; at hi tamen nullo detulerunt: rursus proximo mense Metagitnione licebat illis idem facere, quocunque illius mensis die visum fuisset; at hi ne tum quidem sustinuerunt facere, sed hujus quoque mensis viginti dies prætermittebant. Quo factum, ut honorem gerente hoc, qui nunc gerit, Rege sacrorum, plus quinquaginta dies exierint, quibus

nomen meum deferre, cum potuissent, insuper habuerunt. Et alii quidem omnes, si quibus temporis angustiæ non permittunt hujusmodi lites priore Rege magistratu decedente ordiri, festinant cum ipsis novi Regis auspiciis accusationes suas ad eum deferre: hi vero, quibus gravissimæ item festinandi causæ essent, tamen id facere ita cunctati sunt, ut mirandum sit: leges tenebant omnes, et processum juris callebant: me videbant senatorio honore fungentem et in curiam ingredientem — ubi Jovisque Bulæi Minervæque Bulææ ara et sacellum est, in quo ut senatores omnes, ita ego quoque vota faciebam : quæ fana senatus adiret, eadem ego quoque una cum senatu adibam, thura spargebam, vota concipiebam pro salute reip. : adde, quod toto illo tempore, quo tribus mea, primum mensem sortita, prytaneatu functa est, ego partes Prytanis omnes gessi excepto solummodo biduo, sacra feci, pro reip. salute vota feci, in suffragia misi, sententias dixi de rebus gravissimis et quibus salus reip. contineretur: hæc egi in conspectu omnium — hi ipsi cernebant, nam in urbe erant et in foro versabantur: licebat ipsis nomen meum ut homicidæ deferre, et locis sacris me excludere; et debebant adeo. Cur ergo facere omiserunt? Revera si accepissent injuriam, sufficere poterat vel sola admonitio et injectio metus a religionibus deorum læsis, eamque commemorationem et sibi ipsis debebant et reip. Cur ergo nomen meum non citius detulerunt? cur interea temporis mecum congrediebantur atque agebant? Utrumque nimirum, quia non videbar ipsis homicida esse, sed a nece pueri liber: quo utroque declarabant, necem hanc ad me nil quicquam pertinere.

10. Qui jam possunt alii esse hominum omnium improbiores atque juris æqui magis immemores, quam hi, qui quod ipsi non credunt, id vobis persuadere contendunt, atque postulant ea a vobis condemnari, quæ ipsi factis absolverunt? Alii homines verborum vanitates e factis denudant atque refellunt, hi autem veritatem rerum gestarum vanitate suarum prædicationum convulsum eunt. Quanquam, etiamsi aliud nullum argumentum protulissem, testium qui rei interfuere nulla nomina edidissem, testes ipsos nullos produxissem, sed unum hoc vos docuissem, hos venales habere criminationes atque denuntiationes, quicunque eos contra me mercede conducat; deficiente autem munerario, mecum familiarissime conversari; poterat hoc vel solum vos inducere ad me absolvendum, eamque de his opinionem vestris animis injicere, ut eos omnium hominum perjuriis contaminatissimos et sceleratissimos haberetis. Ecquam tandem litem, quamvis injusta et triviali de causa, hi non capessant? ecquod hi judicium decipere reformident? ecquæ juramenta a se dicta hi violare sibi religioni ducant? qui nunc quoque pro vilissima mercede triginta minarum, quam a Poristis [provisoribus] et a

Poletis [sectoribus] et ab exactoribus ab eorumque scribis acceperant, quo me e senatu expellerent, tam horrendis sacramentis sese obstrinxerunt. Ecquid ita? quia nempe, audiens in prytaneatu meo, eos infanda et pudenda agitare, senatum ea de re certiorem feci, docuique modum, quo in rem inquirendum et ad latibula furtorum perveniendum esset: vestigia a me demonstrata persecutus senatus invenit prædam, furtorum pœnas a prædonibus repetiit, ipsisque et prædibus ipsorum, ab iisque denique, penes quos nummi furto interversi depositi erant: flagitium in lucem protractum fuit tam claram, ut, ne si velint quidem, ipsi infitiari queant: tam enormiter et crasse, atque furiose adeo, furati fuerant. Horum satellites atque protectores se gesserunt hi adversarii mei; qui ecquod tandem in dicasterium veniant sine proposito illud dicasterium circumveniendi? ecquod jusjurandum, quamvis sacerrimis diris horrens, violare cunctentur? Non, cum vos nossent Græcorum omnium sanctissimos atque justissimos judices esse, tamen ad vos prodierunt cum proposito, si possint, sub larva tantorum juramentorum vos decipiendi?

ANDOCIDIS

INTERPRETATIO LATINA.

ANDOCIDIS

DE MYSTERIIS

ORATIO.

---

1. Inimicorum copias ardoremque quocunque modo mihi per fasque nefasque nocendi, quo me, a principio inde, ut primum hanc in urbem redii, exagitarunt, vos pæne omnes, viri, arbitror intelligere, ut necesse non sit hac de re plura verba facere. Ego vos potius, viri, rogabo rem et æquam et quam mihi indulgere facile vobis sit et qua me potiri mea inprimis refert: primum nempe hoc, ut vobiscum reputetis, me nunc huc sponte mea venisse, nulla coactum necessitate inter vos versandi, neque enim vades constitueram neque vinculis constringebar; sed fiducia præcipue quidem veri et æqui, tum vero vestri quoque, qui mihi videremini de me justa et æqua pronuntiaturi neque passuri ab inimicis me meis opprimi, sed potius, prout fas est, in vivis me salvisque conservaturi, vestrisque legibus convenienter et jurijurando cujus a vobis dicti auctoritate sententiam feretis. Merito enim, viri, de his, qui ultro sese in discrimina demittunt, vos quoque idem censeatis, quod ipsi de semet censent. Quicunque enim in urbe manere vestrique sortem judicii exspectare atque sustinere ideo noluerunt, quia ipsi sese sua sententia criminis admissi condemnassent, recte vos de his eadem sciscatis, quæ ipsi de sese sciverunt: contra vero, quicunque manserunt fiducia suæ conscientiæ, quod nullius sibi sint sceleris conscii, decet vos de his eadem statuere, quæ ipsi de sese statuunt, neque eos procondemnare, quos sua non condemnat conscientia. Exemplo, quæ modo disputavi, confirmabo, et, ne longe abeam, meo: multi mihi retulerunt, inimicos meos hæc inter se jactare, me non videri in urbe mansurum, sed fuga salutem quæsiturum, — ecquid enim Andocides quoque spectans (ita aiunt) certamen adire tantum audeat, cui liceat hinc digresso vitæ præsidia commoditatesque omnes habere? cui in Cypro sit, illuc si juvet per mare contendere, unde modo venit, ager et spatiosus et fertilis et gratuito datus? Caput ille profecto periculo nolet objicere. Ecquid enim spectet? quo fidat? annon civitatem videt, quo sit animo? Ego vero, viri, multum ab his dissentio. Civitas enim hæc etiamsi sic se haberet atque hi aiunt, oblatam tamen ego equidem amplecti nolim

conditionem, alibi in rerum omnium affluentia vivendi, sed sic, ut patria carendum mihi sit: multo enimvero civis ego patriæ malim esse, quam aliarum civitatum, etiamsi hac ætate nonnullæ rebus florere secundis videantur. Hac ego mente armatus permisi vobis corpus meum, de quo judicetis, rogans vos, ut mihi pro me dicenti benigniorem, quam accusatoribus, præbere velitis audientiam; cum sciatis, etiamsi pari diligentia ambas partes audiatis, defendentem tamen loco semper esse iniquiore. Alteri enim accusationem edunt, dudum ante ex insidiis præmeditatam et compositam, ex tuto, versantes ipsi extra periculum: ego vero metu constrictus et periculo septus, atque infamia obrutus maxima, ad mei purgationem accedo. Quocirca vos decet, erga me animis magis, quam erga accusatores, propendere: præsertim si reputetis, id quod vos reputare velim, sæpe factum esse, ut accusatores, qui reos criminibus plurimisque et atrocissimis onerassent, statim et incontinenti tam aperte et liquido mendaciorum convincerentur, ut vos multo libentius accusatores condemnaveritis, quam accusatos; non raro item usu venire, ut falsi testes, cum testimoniis venalibus et ementitis homines insontes per nefas perdidissent, falsi testimonii coram vobis dicti coarguantur, at tum demum, quum id jam nil prodesse possit iis, qui malum accepissent. Errores igitur hujusmodi cum quotidie innumeri eveniant, consentaneum est vos, nondum audita defensione, accusatorum criminationibus non protinus cœcam fidem adhibere. Nihil enim aliud ex accusatoris oratione licet colligere, quam hoc, atrociane sint an minus, quorum me accusator reum insimulavit; verane autem illa sint nec ne, id vero negatum vobis est prius intelligere, quam ex me audiveritis, quæ pro me dixero.

2. Jam delibero mecum, unde ordiri defensionem debeam; utrum a novissime factis, hoc est, utrum vos docere debeam accusatorem contra formulam juris in foro nostro usitati actionem ἐνδείξεως adversus me instituisse; an Isotimidæ decretum dudum abrogatum esse; an, quæ leges et quæ pacta jurejurando sancita accusationi huic obstent; an denique a principio inde repetens totam rem ut gesta fuit ordine exsequar. Dicam vobis, hanc dubitationem quid præcipue mihi injecerit: non est vobis omnibus par et æqualis ad omnia accusationis capita severitas, sed alii vestrum hoc crimen, alii aliud, ante omnia a me dilui cupiunt; atqui omnibus simul occurrere negatum est. Quapropter consultissimum duco, me a principio inde orsum, quæ gesta sunt, omnia enarrare, atque vos docere, nihil omittentem. Recte enim si rem edocti totam teneatis, facile vobis erit immanitatem mendaciorum noscitare, quibus me accusatores oppressum ierunt. Confisus itaque vos æqua et vera esse pronunciaturos, et ad judicandum accessisse cum animo parato argumenta admittere atque probare ea, quorum firmitate fretus ego mansi in

urbe et hujus judicii discrimen obii; cernens item vos et privatis et publicis in causis hoc unum summi facere eique uni operam imprimis dare, ut in pronuntiando religionem pactorum jurejurando sancitorum tueamini, quæ una res sola civitatem continet, invitis iis, qui id ita esse nolint. Rogo vos, ut benevoli me audiatis causam meam dicentem, neque, deposita judicum quam geritis provincia, personam accusatorum suscipiatis, neque veritatem a me dicendorum suspectam habeatis neque vocabula aucupemini; sed a principio inde ad finem attenti et propitii defensionem meam audiatis, atque, postquam peroravero, tum demum id pronuntietis, quod vobis et verissimum atque rectissimum et cum jurejurando a vobis dicto convenientissimum videbitur esse. Tenebo autem, id quod recepi facturum, defensionis hunc ordinem, ut eundo per singula a capite ad calcem, primum ipso de delicto, unde actio hæc ἐνδείξεως seu indicationis coaluit, quæ mihi necessitatem hujus defensionis circumposuit et hoc in discrimen me conjecit, de sacris puta Eleusiniis profanatis, ita agam, ut planum faciam, neque impietatem ullam a me commissam esse, neque consortem impietatis quenquam indicatum, neque mea memet confessione super hoc quidem crimine gravatum esse, neque mihi constare verane sint an falsa, quæ indices de profanatoribus sacrorum Eleusiniorum retulerunt: hæc sunt ea, quæ jam nunc vos docebo.

3. Habebatur ea concio, qua mandata essent danda creatis paulo ante imperatoribus classis in Siciliam mittendæ, Niciæ puta et Lamacho et Alcibiadi: jam triremis illa, quæ imperatorem Lamachum illuc erat pervectura, extra portum stabat in anchora: ibi Pythonicus, cum assurrexisset, ita cum populo egit: Vos quidem (inquit) exercitum ablegatis tantum tanto cum apparatu, et tantum adire parati estis periculum: ego vero planum vobis faciam, imperatorem vestrum Alcibiadem sacra Eleusinia in domo quadam una cum aliis quibusdam factitare; et vos id si feceritis, cujus ego vobis auctor sum, ut sciscatis impune ei fore quem ego hujus sceleris indicem produxero, producam ad vos servum alicujus viri clari, hac in concione coram assidentis, qui servus, initiatus cum non sit, tamen arcanorum sacrorum cærimonias omnes vobis enarrabit. Quod si servus ille minus fecerit, eoque ego mendacii dicti convincar, do vobis corporis mei potestatem, ut de me quodcunque voletis statuatis. Hæc Pythonicus. Cui cum diu multumque oblocutus esset Alcibiades, factum pertinaciter infitians, visum fuit prytanibus discessum e concione non initiatis imperare; ipsi autem ad puerum ibant, ad quem Pythonicus eos ablegabat. Reversi in concionem secum adducebant servum Polemarchi: cui

servo nomen erat Andromacho. Is, promissa decreto impunitate si indicaret, confirmavit, sacra Eleusinia per mimum domi Pulytionis agi: Alcibiadem et Niciadem et Meletum agere partes sacerdotum sacra facientium, sed alios quoque adesse spectatores eorum quæ fierent, quid? quod servos adeo interesse, ut se fratremque et Hicesiam tibicinem et Meleti servum. Primus igitur hic Andromachus hæc indicavit, et horum edidit nomina, a commentariensi publicis in tabulis consignanda: quorum non nisi unus Polystratus comprehensus et morti datus fuit; reliqui enim fuga evaserunt, et extremum devitarunt supplicium, quod vos ipsis decreto vestro irrogaveratis. Cape tu istoc et recita.

NOMINA.

Andromachus hosce indicavit, Alcibiadem, Niciadem, Meletum, Archebiadem, Archippum, Diogenem, Polystratum, Aristomenem, Ioniam, Panætium.

Prima fuit hæc, o viri, ab Andromacho facta indicatio contra hos, quos dixi. Et tu cita mihi Diognetum.

Dic, Diognete, fuistine inquisitor, cum Pythonicus in concione populi Alcibiadem deferret? Fui. Nosti ergo Andromachum indicasse ea, quæ domi Pulytionis fierent? Novi. Nomina virorum, quos ille detulit, suntne hæc? Sunt.

Secunda priorem illam excepit denuntiatio hæc. Teucer erat quidam, qui cum aliquamdiu rem inter nos pro inquilino habuisset familiarem, hinc migravit periculum devitans et Megaram se transtulit. Unde senatui [Atheniensi] recipiebat, si impunitatem adipisceretur, quæcunque de sacris profanatis nosset, omnia bona fide indicaturum, quippe qui sceleris consors et administer fuisset, et reliquos nominatim proditurum qui secum scelus participassent, nec non de Hermis mutilatis quæ nosset omnia in lucem prolaturum. Decreto senatus — cui plenam potestatem pro arbitrio suo hac in re agendi plebs dederat —, missi sunt Megaram qui Teucrum illinc arcesserent: is, impetrata impunitate, huc reversus, nomina edebat eorum quos sui secum sceleris aiebat esse consortes. Etiam hi secundum Teucri indicium fuga salutem quærebant. Cape tu mihi hæc ipsorum nomina atque recita.

NOMINA.

Teucer hos indicavit, Phædrum, Gniphonidem, Isonomum, Hephæstodorum, Cephisodorum, se ipsum, Diognetum, Smindyridem, Philocratem, Antiphontem, Tisarchum, Pantaclem.

Meministis utique, viri, etiam hæc omnia coram vobis confessionibus esse confirmata. Tertia tum facta est istæc indicatio. Mulier quædam, Agarista nomine, quæ penes Alcmæonidem nunc est in matrimonio, olim penes Damonem fuit, hæc igitur indicavit, in domo Charmidæ, quæ prope fanum Jovis Olympii est, Alcibiadem sacra arcana factitare nec non Axiochum et Adimantum: ab hac indicatione etiam hi aufugerunt. Una adhuc super est indicatio

a me commemoranda. Lydus erat servus Phereclis Themaciensis: hic indicavit, in domo Phereclis heri sui in Themaco sacra clandestina fieri; aliaque inter nomina ab ipso edita mei quoque patris nomen edidit, quem dixit interfuisse quidem, verumtamen eorum quæ agerentur nil vidisse, quippe qui pallio involutus dormivisset. Speusippus, tum senator, hos a Lydo indicatos judicio tradebat. Verum pater, datis vadibus, actionem in Speusippum ordiebatur ex titulo processus contra formulam juris forensis: quod certamen in consessu civium sexies mille decertatum est; quo e tanto numero Speusippus ne ducenta quidem tulit suffragia. Ut autem pater in urbe maneret hujusque judicii discrimen subiret, ego inprimis auctoritate mea precibusque ab eo impetravi; accedentibus eo aliorum quoque cognatorum cohortationibus. Cita tu mihi Calliam et Stephanum, et Philippum et Alexippum: sunt enim hi Acumeni et Autocratoris cognati, qui [Acumenus et Autocrator] secundum Lydi indicium fugerunt; alterius enim [Calliæ] e fratre [vel sorore] nepos est Autocrator, alterius autem [Stephani] avunculus est [vel patruus] Acumenus: quos [Calliam, Stephanum, Philippum et Alexippum] par est, ut odisse eum qui cognatos suos hinc expulit, ita optime quoque eum nosse per quem illis ex urbe auffugiendi necessitas admota fuit. Intuemini vos [Callia, Stephane, cæterique] in horum [judicum] vultus, et testamini, num vera loquar.

TESTES.

4. Facta audistis, viri, ex me et e testium confirmationibus: accusatores autem quæ dixerint, recordamini. Ita enim par est defendentem se gerere, ut nempe, cum criminationes accusatorum judicibus in memoriam revocaverit, tum demum eas refutet. Affirmarunt nimirum, de sacris arcanis me indicasse, et in nominibus consciorum exhibuisse patris quoque mei nomen, ut ejus qui interfuisset: sic factum me esse indicem patris: quæ profecto est atrocissima omnium atque scelestissima oratio. Nam qui nomen ejus detulit, is Lydus fuit Phereclis servus: fugere autem volentem patrem ego retinui atque ad manendum sum cohortatus multis et infimis precibus, ad genua ejus supplex advolutus. Atqui si ego ipse patrem indicassem, cur eum postmodum precibus a fuga retrahebam? quid mihi volens? quid designans? Aut ecquid spectans pater, precibus meis victus, in ejusmodi certamen descendit, in quo facere non poterat quo minus in duorum malorum alterum incurreret: aut enim a manibus pæne meis moriendum ipsi fuisset necessario, si ego patrem ipse detulissem, atque visus tum fuissem vere detulisse; aut, absolutus ille si fuisset, absolutio ejus certam mihi necem atque inevitabilem attulisset. Lex enim sic edicit: indici ratam et validam esse impunitatem, si veritas ejus indicio consti-

terit; sin autem falsa indicarit, moriendum ipsi esse. Jam certi estis vos omnes, meque patremque salvos abisse: id quod fieri nullo modo potuisset, si ego patrem detulissem; eo enim facto, necesse utique fuisset, aut eum aut me extremum pati supplicium. Fac tandem tamen, patrem manere voluisse judiciique sortem ancipitem opperiri: existimatisne, passuros fuisse amicos eum manere aut ipsos voluisse fidejussores ejus fieri, et non potius ab ejusmodi proposito eum dehortaturos fuisse atque rogaturos, ut eo se reciperet, ubi et ipse salvus esset futurus, et me in exitium non esset conjecturus? Imo vero cum pater Speusippum actione occœpti contra jus forense processus persequeretur, hæc ipse pro se dicebat, In Themacum ad Phereclem se nunquam venisse: mancipia ipse sua ad tormenta offerebat, èaque ut iis subjiceretis vos hortabatur, negans æquum esse, si quis ipse sponte sua servos torquendos offerat, vos tum conditionem repudiare; contra qui tradere recuset, eum ad tradendum cogere. Ab hac vos pater exercendi judicii iniquitate tum dehortabatur. Hæc patri tum pro se disputanti, quæ eum disputasse vos omnes probe nostis, quid erat Speusippo reliquum quod opponeret aliud quam hac uti oratione [sive rum fuisset id, quod accusatores jactant]? Q u i d t u m i h i m u l t a, L e o g o r a, d e m a n c i p i i s b l a t e r a s? N o n f i l i u s t e t u u s i n d i c a v i t? n o n i s t e a i t i n T h e m a c o a f f u i s s e? e t t u m a d m e c o n v e r s u s d i x i s s e t, A r g u e t u, A n d o c i d e, p a t r e m, a u t n u l l a t i b i j a m a m p l i u s s u p e r e s t i m p u n i t a s. Hac oratione tum fuisset usurus Speusippus; aut num minus vobis videtur? Usurus utique fuit, mea quidem sententia. Quodsi ergo aut unquam ego hac quidem de re in judicium vocatus sum, aut in hac causa sacrorum profanatorum nomen meum vel semel modo a quoquam est commemoratum, aut indicatio quædam superest nomen meum præferens aut indiculus prostat in tabulis publicis nominum delatorum, non dicam a me in fraudem hominis alius cujuspiam, sed solummodo ab alio quopiam in fraudem meam; ascendito hunc in suggestum, quicunque vult, et me coarguito. Verum enim vero non novi, qui magis impia dixerint et a veritate atque a probabilitate magis abhorrentia, quam hi dixerunt, qui, quod agerent, sibi datum existimarunt nihil aliud, quam ut auderent solummodo accusare; quid autem se futurum esset, si mendacii convincerentur, id in mentem sibi venire nunquam passi sunt. Quemadmodum igitur, vera si fuissent crimina quorum me insimulant, vos in me fuissetis sæcvituri, dignumque vestra duxissetis persona pœnam mihi quam gravissimam infligere, sic contra ego vos nunc rogo atque jure meo postulo, ut hos, quos mendaces deprehenderitis, homines impios habeatis, et hinc colligatis, facili negotio me posse multo magis reliquis quoque in rebus, quæ momenti sunt multo levioris,

hos mendacii convincere, qui commiserint, ut in momentis accusationis longe gravissimis atque teterrimis tam perspicui mendacii arguerentur.

5. Hoc igitur modo quatuor factæ sunt de sacris profanatis indicationes hæ, quas dixi: secundum quarum unamquamque qui in exsilium ierunt, eorum vobis recitavi nomina, et testes testati sunt. Ego vero, quo fidem vobis creem tanto certiorem, præter ista hoc adhuc faciam. Eorum, qui per causam horum sacrorum profanatorum in exsilium ierunt, alii decesserunt exsules, alii vero domum redierunt et in urbe versantur et a me invitati hoc in judicio præsto mihi sunt. Horum igitur unicuique potestatem facio, currente aqua mea, mendacii ut me coarguant, docendo, aut ipsorum aliquem propter me in exsilium migrasse propterea quod a me suum nomen fuisset indicatum, aut non per illas quas modo dixi indicationes factum esse ut eorum quique in exsilium irent. His in rebus si qui me mendacii coarguent, statuite de me quicquid vobis allubebit; et conticesco, et hoc decedo de suggestu, quicunque huc ascendere volet.

6. Age, videamus jam, viri, post istæc quid evenerit? Secundum indicationes videlicet orta est de præmiis earum contentio — nam e Cleonymi decreto mille drachmæ solummodo, e Pisandri autem decies mille constitutæ erant in præmium —, super hoc itaque præmio inter se contendebant ipsique judices, et Pythonicus, ideo sibi præmium arrogans quod primus rem ad concionem retulisset eique aperuisset, et tandem Androcles qui præmium hoc senatui deberi contendebat. Placuit itaque populo, ut senatorum illi, qui sacris Eleusiniis essent initiati, in dicasterio Thesmothetarum indices examinarent super ipsorum indicationibus, quemque super sua, eoque facto causam præmiorum dandorum ipsi arbitrio suo disceptarent: sic hi senatores primum et præcipuum præmium Andromacho, secundum autem Teucro adjudicarunt, et ille quidem decies mille drachmas tulit, hic autem mille solummodo. Cita tu mihi horum testes.

TESTES.

7. Jam de crimine sacrorum profanatorum, cujus criminis ergo actio hæc, in jure forensi ἔνδειξις dicta, in me intenta est, et de quo vos qui estis initiati cognitum atque disceptatum huc convenistis, planum vobis testatumque feci, me neque ipsum deos impietate violasse neque alios de commissa erga deos impietate ultro accusasse neque interrogatum esse fassum de me aut de quoquam alio impietatis reo, denique penes me culpam esse nullam ad sacra dearum pertinentem neque majorem neque minorem. Atque hoc a me vobis persuaderi summi facio: exsultabat quidem hoc in loco

accusatorum oratio, nescio quæ formidanda atque tremenda oculis præmonstrans, ad quorum recordationem mens arrecta cohorresceret; repetebant enim ex ætatum superiorum exemplis, si qui alii circa deas hasce [Cererem puta atque Proserpinam] impium quid ausi fuissent, quam sævas illius impietatis pœnas eorum quisque dedisset. Harum autem narrationum ecquid ad me pertinet? ecquod horum facinorum? Multo enim æquius ego illos accusem, et propter hoc ipsum aio, illos quidem oportere supplicio dari, quod impii sint [impietas enim est, si quis innocentem impietatis insimulatum pessumdet], me autem servari, quod nihil deliquerim. Foret utique grave et acerbum, si vos in me sæviretis ob aliena delicta, et infamiam e falsa criminatione mihi contractam plus valere veritate duceretis oportere, tametsi sciretis illam criminationem ab inimicis meis profectam et in me per nefas esse intortam. Liquet enim iis, qui talia crimina [cujusmodi ea sunt, quorum ego reus agor] revera perpetrarunt [non solummodo criminatione tenus], in infitiatione nullum esse perfugium nullamque excusationem. Manet enim eos scrutinium severum et formidabile ab iis, qui religiones usu suo tenent: mihi vero scrutinium in ejusmodi causa est jucundissimum, ubi ad salutem impetrandam nil opus habeo vos rogare atque ut in tali causa deprecari, sed satis est ad periculi depulsionem argumenta accusatorum a me refutari, atque facta vobis in memoriam revocari, qui sacramentum dixeritis sanctissimum, cujus ob auctoritatem de me sitis suffragia laturi, et qui diris vosmet ipsi ore vestro dictis gravissimis obstrinxeritis, vosque ipsos et necessarios vestros, nisi in jure de me dicundo æquum et justum sequamini, prætereaque initiati sitis et deorum sacris ipsi spectatores interfueritis; vobis itaque facta solummodo ad memoriam revocanda sunt, quo cum impios puniatis, tum insontes absolvatis atque salvos præstetis. Existimate itaque flagitium nihilo levius esse, si homines insontes, impietatis rei facti, a vobis condemnentur, quam si revera contaminatos impietate nil curetis castigare. Quare vobis ego multo etiam magis, quam accusatores faciunt, demando atque delego et per deos vos adjuro, tam sacrorum ipsorum causa quæ spectastis, quam Græcorum qui festi hujus ergo huc conveniunt, ut, si quid impium me commisisse aut aliena convictione aut meamet ipsius confessione constiterit, aut si quem ego alium de impietate indicavero aut alius me, ut vos me tum occidatis; nil intercedo, nil deprecor: sin autem nihil hujusmodi peccavi, et vos hujus rei ita feci certos ut dubium nullum supersit, tum rogo vos, ut ad Græcos omnes testatum faciatis, me per nefas in hoc certamen conjectum esse. Facietis autem id hoc modo testatum, si Cephisium damnetis: Cephisius enim, qui actionem indicationis hanc in me intendit, si quintam suffragiorum

partem haud tulerit, infamia notabitur, eoque facto non licebit ipsi in templum dearum ingredi, aut, si fecerit, morte mulctabitur. Quod si jam vobis videbor hoc de crimine id quod satis sit dixisse, significate id mihi nutu, quo de reliquis quoque me hoc lubentius atque confidentius purgem.

8. Sed significatis nimirum, vobis a me hoc de capite satisfactum esse: quapropter de simulacrorum amputatione et de indicatione ad hanc amputationem pertinente, ut recepi vobis facturum, ita nunc faciam, ut rem a principio inde totam enarrando vobis proponam. Teucer ut, impunitatem nactus, a Megara huc rediit, et de sacris profanatis quæ norat indicavit [de quo paulo ante memini me dicere] et de iis a quorum audacia simulacra fuissent mutilata, et scripto consignavit duodeviginti virorum nomina hoc scelere implicatorum. Quo facto alii eorum fuga se subduxerunt, alii comprehensi morte luerunt, ex indicina Teucri. Recita tu mihi eorum nomina.

NOMINA.

Teucer super Hermis indicavit Euclemonem, Glaucippum, Eurymachum, Polyeuctum, Platonem, Antidorum, Charippum, Theodorum, Alcisthenem, Menestratum, Eryximachum, Euphiletum, Eurydamantem, Phereclem, Meletum, Timanthem, Archidamum, Telenicum.

Horum alii ab exsilio domum reversi nunc in urbe commorantur, aliorum fato suo defunctorum necessarii multi numero supersunt; quorum quicunque volet, oratione mea tenente, ascendito atque me redarguito, demonstrans, horum virorum quenquam propter me aut in exsilium isse, aut mortem tolerasse.

9. Secundum hæc, Pisander et Charicles, qui in numero quæsitorum essent super hoc negotio creatorum, atque id temporis studiosissimi plebis haberentur, auctores fiebant, quod facinus istud haud paucorum esset, sed ad juris civilis atque status popularis eversionem pertineret, plures adhuc quæsitores creari, et a quærendo non prius desisti, quam ulcus hoc funditus esset exstirpatum. Præterea tota civitas trepidabat, unoquoque de se metuente: præco enim quam primum proclamasset, licere jam senatui in curiam redire, signumque detraxisset, protinus a signo detracto, senatus quidem redibat in curiam, plebeiorum autem nemo in foro manebat, sed unusquisque domum festinabat, metuens ne comprehenderetur. Malis hisce reip. domesticis illectus Dioclides ad cupiditatem turbarum ciendarum per quas ipse cresceret, et ad spem novarum rerum erectus, ultro ad senatum intronuntiavit, se nosse qui Hermas mutilassent, et esse ad trecentos numero; unaque, qui vidisset atque negotio cum gereretur intervenisset, exposuit. Atque his ego vos, viri, rogo ut animum attendatis, a vestraque memoria requiratis num

vera dicam, et ut alii conscii harum rerum alios vestrum adhuc ignaros doceant: hæc enim quæ refero in collegio vestro dicta et gesta sunt, et vos horum mihi testes estis. Dioclides nimirum sibi servum aiebat esse super argentifodina sua in Laurio: ab illo servo sibi tum fuisse aufferendam ratam portionem mercedis annuæ pactæ ex illius argentifodinæ fructibus. Quo itaque in Laurium iret illamque mercedis pensionem a servo suo exigeret, mane se surrexisse atque in viam se dedisse citius quam opportunum fuisset, quia in tempore noctis erasset; sed fuisse plenilunium. Ubi ergo ad Propylæum fani Bacchi venisset, vidisse multitudinem hominum ab odeo descendentium in orchestram; quorum metu se in fanum ingressum in umbra consedisse, intra columnam et pilam illam super qua strategus stat ille æneus. Ibi se vidisse hominum ad trecentos, globatim stantes, alias quinosdenos, alias vicenos: luna in ora ipsorum irradiante, se ex umbra prospectantem noscitasse plerosque. Jam mihi cogitate, quæso, viri, hoc, quam diræ et quam formidandæ rei documentum atque exemplum proposuerit, qui pro concesso atque licito sibi sumpserit hoc, ut penes se esset, quem civem Atheniensem ipsi allibuisset, ei globo conjuratorum interfuisse affirmare, et rursus negare interfuisse, si quem negare placeret. Sed pergo narrare. Dioclides itaque ista cum vidisset, ad Laurium se aiebat ire perrexisse; tum die istam noctem insecuta famam de Hermis mutilitatis accepisse: ibi statim agnovisse, facinus illorum quos vidisset virorum esse. Postmodum in urbem reversum se deprehendisse quæsitores deputatos, et præmium indicinæ publice præconis voce promulgatum, centum minas. Ibi cum Euphemum vidisset, Calliæ fratrem, Teleclis filii, in officina fabrili ferraria sedentem, abduxisse eum in fanum Vulcani, ibique ei eadem dixisse quæ ego vobis paulo ante referebam, quod nimirum illa nocte nos vidisset: causæ sibi nihil esse, cur a rep. mallet pecuniam quam a nobis aufferre, præsertim si posset eadem opera nostram quoque inire gratiam. Euphemum ad hæc subjecisse, recte facere Dioclidem quod hujus rei se certiorem fecisset, hortatumque fuisse ut jam statim secum ad ædes Leogoræ adiret; quo ibi possis, inquit, (reddo ipsius Euphemi verba) mecum agere cum Andocide et cum reliquis quorum interest. Sed promittebat Dioclides die postera venturum: venisse quoque, aiebat, et pultasse fores: ibi patrem meum forte fortuna exeuntem ad se, Dioclidem, hæc dixisse, J a m d u d u m h i t e e x s p e c t a n t? t a l e s u t i q u e a m i c o s a s p e r n a r i h a u d c o n v e n i t. His cum dictis abisse patrem. Hoc modo Dioclides patrem meum pessumdatum ibat, denuncians pro sceleris conscio. Nos autem aiebat ipsi confirmasse, decretum a nobis esse, ut pro centum minis ab ærario promissis centum et viginti nos daremus minas; cupitisque si

potiremur, illum a nobis in collegium nostrum cooptatum iri: interim nos in conditionis fidem jusjurandum, et illi dicturos esse et ab illo vicissim exacturos. Ad hæc aiebat Dioclides se respondisse, deliberaturum se esse; nos autem ipsi mandasse, ut in ædes Calliæ filii Teleclis nobiscum conveniret, quo etiam ille adesset. Hoc modo rursus sororis quoque meæ maritum Calliam pessumdare studebat. Convenisse aiebat Dioclides ad Calliæ, et assensum esse fidemque nobis suam jurejurando obligasse in Acropoli [de scelere non prodendo], et nos vicissim de mercede pactos esse sub ingressum proximi mensis dependenda, jam vero promissum fefellisse, pecuniam condictam haud præstantes: propterea se nunc ad senatum adire facta indicatum.

10. Hæc sunt, o viri, quæ Dioclides hac de re in senatu verbis prodidit: sed et præterea indicem exhibuit literis consignatum eorum, quos ex illa ingente hominum turba ista nocte se noscitasse aiebat, ad duos et quadraginta; et primos quidem edebat Mantitheum atque Aphepsionem, quamvis senatores essent atque in curia sederent, post autem reliquos. Ibi Pisander cum assurrexisset, auctor fiebat senatui, ut decretum sub Archonte Scamandrio latum rescinderet, eoque facto, quotquot in illo indice Dioclidis nominatim essent designati, omnes in equuleum imponerentur, quo de sceleris consortibus omnibus ante noctis adventum constaret. Succlamabat senatus, eum recta suadere. Manthitheus autem et Aphepsion, istis auditis, ad aram Vestæ confugiebant, in qua supplices desidentes rogabant, ut tormentis ne subjicerentur, sed sibi liceret fidejussoribus datis interim discedere domum, et judicio legitime instructo ad causam dicendam dicta die adesse. Ægre impetrabant: dabantur prædes: illi vero e laqueo elapsi protinus in equos se conjiciebant, fugam capessebant, ad hostes transfugiebant, destitutis vadibus, quos ex legis præscripto iisdem oportebat pœnis teneri, quibus vadati damnarentur. Senatus interim, sub sponsione jurata silentii servandi, digressus curia, nos comprehendebat atque compeditos ad cippos alligabat. Strategis autem in curiam arcessitis demandabat ut per præconem promulgarent, quicunque Atheniensis in urbe habitaret ut is in forum armatus conveniret, qui autem in longis mœniis ut in Theseum, denique Piræei incolæ ut in Hippodamiam, forum ibi sic dictum, coirent; equitibus porro ut signum tuba darent ad conveniendum illa ipsa adhuc nocte ad Anaceum [seu ædem Castoris et Pollucis]; senatus jubebatur in Arcem adscendere atque ibi pernoctare, prytanes autem in Tholo. Quos tantos motus Bœoti quum fama accepissent, in armis ad agri nostri confinia exibant eventumque præstolantes ibi excubabant. Interim prytanes tantarum turbarum concitorem Dioclidem, veluti sospitatorem quendam civitatis

in carrhucha vectum in Prytaneum arcessebant, ibi coronandum; cœnabatque cum prytanibus.

11. Primum quidem hæc, viri, vobis ipsi a d memoriam revocate, quotquot tum interfuistis, cæterosque vestrum quotquot harum rerum nihil tenent docete; deinde tu mihi prytanas, qui tum illo honore fungebantur, intro voca, Philocratem et reliquos.

TESTES.

Age jam nomina quoque vobis recitari curabo virorum, quos Dioclides illo in indice annotavit, quo sciatis, quot ille cognatos mihi perditum ierit atque necessarios: primum quidem patrem, deinde vero sororis maritum, illum declarando conscium, hunc vero eo quod affirmaret in ejus domo [conjuratos] convenisse [vel, se congressum esse cum conjuratis]. Reliquorum audietis nomina jam statim. Recita tu ipsis.

Charmides Aristotelis.

Hic consobrinus meus est: mater enim ejus meusque pater iisdem erant editi parentibus.

Taureas.

Hic est patri meo consobrinus.

Nisæus.

Filius Taureæ.

Callias Alcmæonis.

Alius hic est patris consobrinus.

Euphemus.

Frater Calliæ qui Teleclis filius est.

Phrynichus Saltator.

Hic meus est consobrinus.

Eucrates, Niciæ frater.

Penes quem Calliæ soror est.

Critias.

Etiam hic patris est consobrinus: amborum enim matres erant sorores. Hos omnes Dioclides in illis quadraginta viris nominavit, quorum nomina tenebat index ab eo senatui exhibitus.

12. Nos itaque omnes quotquot secundum istud Dioclidis indicium comprehensi et carceri mandati fueramus, quum una essemus eodem in carcere compedibus nexi et nox esset clausoque carcere, admissæ a janitoribus venirent, ad alium mater, ad alium soror, ad alium uxor cum liberis, et carcer comploratu resonaret atque la-

mentis ejulantium et mala præsentia miserantium, Charmides, consobrinus et æqualis meus, unaque mecum a puero inde nostra in domo educatus, hac me compellavit oratione : Andocide (inquit), vides tu quidem præsentium malorum magnitudinem; ego vero, cur tibi superiori tempore molestus monitor atque consultor fierem meæque te severitate reprehensionis offenderem, causæ nil admodum mihi videbam esse; jam vero calamitas, qua circumventi tenemur, me nunc cogit tecum queri, hortaturque ut agendorum tibi auctor fiam. Quibus tu adhuc familiariter usus fuisti, Andocide, procul habitis et spretis nobis qui tibi sumus necessarii, illi propter hæc eadem, ob quæ nobis pereundum videtur esse, partim mortem tolerarunt, partim fuga salutem quæsiverunt, a conscientia sceleris condemnati et in exsilium acti .... Quodsi ergo tu hujus negotii quicquam tenes, age, prode id, et sic serva primum quidem temet ipsum; deinde vero patrem tuum, quem a te ita diligi ut nihil aliud magis consentaneum est; tum sororis tuæ maritum, quæ tibi soror est unica; denique reliquos cognatos atque necessarios, tot numero qui sumus; tandem me quoque, qui tota mea vita nulla re te offendi, tuique sum rerumque tuarum studiosissimus, operæque meæ, ubi usus venerit, quo tibi commodem nil parco. Charmida istæc disserente, cæterisque una supplicantibus, et unoquoque seorsim obsecrante, venit, o viri, mihi in mentem sic cogitare : O hominum omnium ego calamitate usus durissima, utrum perire per nefas immeritos patiar meos necessarios, ipsosque morti dari, et bona eorum proscribi, prætereaque ipsorum nomina stelis insculpi quasi piacularium erga deos factorum, quanquam eorum quæ evenerunt omnium nihil ab ipsis profectum est neque ipsis imputari potest? adde, trecentos Athenienses num patiar per nefas immeritos interimi, civitatemque malis atrocissimis mutuisque quorumque erga quosque suspicionibus exagitari? an dicam Atheniensibus, quæ ex Euphileto audivi, eo, qui ipse patravit scelus? Præterea hæc quoque mecum reputabam, o viri, plerosque sontium, qui scelus manibus suis patrassent, a Teucro jam indicatos, et sic factum esse, ut alii eorum capite suo luerent supplicio extremo affecti, alii in exsilium abirent quibus absentibus dicta fuit mortis sententia: non superesse, nisi quatuor, a Teucro non indicatos, Panætium, Chæredemum, Diocritum, et Lysistratum; in quos unos omnium maxime culpam commissi sceleris a suspicione omnium collatum ir

credibile erat, quippe qui familiariter usi fuissent illis qui jam morti essent dati e numero indicatorum a Dioclide. Et illis quidem ne sic quidem certa erat et perpetua salutis spes, etiamsi ego eos non proderem; meis autem necessariis certum imminebat atque inevitabile exitium, nisi si quis Atheniensibus omnem rei gestæ veritatem aperiret. Quare satius mihi visum fuit, quatuor viros a me patriæ communione privari, sic meritos, qui nunc supersunt adhuc in vivis et in patriam ab exsilio redierunt et bonorum suorum usura gaudent, quam committere ut necessarii mei insontes ad mortis necessitatem adigerentur. Quodsi ergo cuipiam, non vestrum, judices, sed vestrum, o quotquot reliqui cives Athenienses hoc judicium circumstatis, istæc olim de me insedit opinio, sodales a me meos eo fuisse indicatos, quo perirent ipsi, ego servarer — cujusmodi rumores inimici mei de me in vulgum sparserunt, criminari me atque in invidiam ignominiamque adducere volentes —, rem, quæso, ipsis e factis spectate. Nunc enim me quidem oportet rerum a me gestarum rationem coram illis ipsis reddere, qui ob illa facinora exsilium tolerarunt, quorum facinorum ego eos insimulavi; et qui omnium optime norunt verane dicam an mentiar, et qui coarguere me mentientem possunt, orationem meam interpellantes; nam ego equidem ejus rei copiam illis facio: vos autem, o viri, rerum gestarum veritatem certo explorare oportet. Nam in hoc mihi hujus versatur cardo certaminis, ut salvus et absolutus ex hoc judicio ita discedam, ut vobis, judices, visus fuerim homo non malus neque sceleratus esse; deinde ut reliqui quoque omnes intelligant, quicquid hoc in negotio a me gestum et profectum est, id omne non per scelus aut ignaviam esse commissum, sed per sinistram quandam atque calamitosam evenisse fortunam, quæ reip. quidem imprimis, tum vero nobis quoque privatim, gravis incubuit; et quæ dixi omnia, me dixisse ex Euphileto audita, providentia partim tuendæ privatæ salutis necessariorum atque amicorum meorum, partim securitatis publicæ civium omnium, qua fieri potest summa cum virtute atque honestate, nullo autem cum scelere, nulla cum turpitudine, ut ego equidem mihi persuadeo. Quodsi ergo res sic se habet, æquum censeo postuloque a vobis absolvi atque dimitti salvo capite salvisque fortunis et fama. Age — oportet enim humanis de rebus humanis item modis cogitare, ac si ipse quisque infortunio perculsus esset—, quid unusquisque vestrum, meo loco si fuisset constitutus, fuisset facturus? Nam si ejusmodi fuisset optionis conditio, ut necesse fuisset, aut gloriose mori aut turpiter servari, possit utique indicina a me facta pro facinore improbo degeneris animi nota haberi; quanquam vel sic quoque haud pauci futuri fuissent, in simili loco, qui turpiter amicos indicare haud dubitassent vitamque ingloriam morti præclaræ præferre: verum omnia contra erant; nam si tacerem,

turpi mortis genere et summa cum infamia mihi erat moriendum, pro sacrilego, tametsi sacrilegium nullum commisissem; tum impedire non potuissem, quominus pater periret et sororis maritus et reliqui cognati et tot numero consobrini, quos omnes unus ego pessumdedissem silentio meo, aliena crimina celante. Quos enim Dioclidis mendacium in carcerem conjecerat, eos inde liberandi atque extrahendi nulla patebat alia via, præterquam hæc, ut Athenienses totam rem ex ordine ut vere gesta fuisset ex me intelligerent: quod si ergo, quæ hac de re auditu comperta haberem, ea reticuissem, factus fuissem illorumque homicida, et trecentorum præterea civium Atheniensium, et civitas malis mersa fuisset ineluctabilibus. Hæc evenissent, si tacuissem: exponendo autem rem ut vere erat gesta, consequebar istæc, ut et ipse salvus abirem, et patri salutem redderem cæterisque necessariis, et civitatem terroribus malisque teterrimis eriperem. At quatuor tamen viris a meo indicio erat exsulandum; at illi meriti hanc pœnam erant criminibus, quæ commiserant: reliqui a me indicati, a Teucro quoque jam dudum ante fuerant indicati; ut, qui hoc e numero aut morte mulctati sunt aut in exsilium ierunt, censendi sint, non magis ob meum, quam ob Teucri indicium, hanc illamve pœnam tolerasse. Hæc itaque pensitans ego, viri, atque inter se comparans, malorum præsentium inveniebam levissimum, ut quam citissime rem ut gesta esset exponerem et mendacia Dioclidis coarguerem, eoque inimicum ulciscerer, qui nos quidem pessumdatum iret, civitatem autem circumventum, cui sic illuderet, ut, quam labefactaret, ab ea summus euergeta haberetur præmiisque cumularetur. Professus itaque in senatu sum me scire sceleris auctores, et exposui facta fidemque meæ expositioni afferendis argumentis addidi; compotantibus nimirum aliquando nobis Euphiletum auctorem consilii factum esse de Hermis mutilandis, me autem intercessisse: rem itaque tum quidem omissam fuisse ob intercessionem meam; tempore post autem idem ad eandem rem exsequendam absentia mea abusus est: erat nempe mihi equuleus; in hunc ego in Cynosarge inscendere volens labebar et claviculam confringebam et contusionem in capite accipiebam, ut necesse esset me lecticæ impositum pedibus alienis domum referri; Euphiletus ibi, sentiens me ad cœtus consuetos non amplius convenire posse, persuadebat reliquis compotoribus, ad participandum facinus me quoque tandem oratione sua esse permotum, fidemque sibi despondisse de opera navanda, nominatim de illo Herma, qui est ad fanum Phorbantis, truncando recepisse. Quæ omnia Euphiletus mentiebatur, de suo commentus, quo ipsis imponeret: quo factum est, ut Hermarum, quotquot Athenis sunt, omnium unus ille solus non mutilaretur, qui, a tribu Ægeide dedicatus, prope domum nostram paternam avitamque stat et superest

adhuc, ut videtis, salvus atque incolumis: confirmaverat nempe Euphiletus sodalibus, me illo de Herma mutilando recepisse. In quo illi se falsos videntes, ferebant gravissime, sui sceleris me conscium esse, qui nihil ad id peragendum contulissem. Altero itaque die post cum ad me convenissent Meletus atque Euphiletus, hac ad me oratione utebantur: Facta sunt (aiebant), Andocide, atque a nobis peracta [quæ nosti]. Quodsi ergo te quietum continere atque tacere volueris, habebis nos imposterum quoque, ut pridem, amicos atque familiares: sin autem nos prodes, inimici tibi erimus sævissimi, multoque tibi nostra plus incommodabit atque nocebit inimicitia, quam aliorum tibi proderit amicitia, per odium nostri tibi comparata. Quibus ego hæc respondebam: Euphiletum hoc facinore patrando hanc de se opinionem animo meo injecisse, ut impurum atque conscceleratum hominem eum haberem: verumtamen non meam magis conscientiam, quam ipsius sceleris atrocitatem, ipsis esse reformidandam. Hæc vere, ut dico, sic dicta et acta fuisse quo certius constaret, servum ad tormenta tradebam, qui sciret, me tum temporis ægrum in lecto decubuisse atque inde non surrexisse; ancillas quoque tradebam prytanibus, inquirentibus, unde moti et a quo quasi exordio orsi illi impii scelus patrassent. Scrutantes itaque rem cum senatu quæsitores, cum reperissent omnia ita, ut dixeram, se habere omniaque undique cum oratione mea pulcre concinerent, ibi demum citabant Dioclidem; neque multis erat verbis opus, sed statim ille confitebatur mendacium, deprecabatur veniam, orabat spiritus immunitatem, indicabat eos, qui auctores sibi facti fuissent, ut ista diceret quæ olim dixisset: erant autem hi Alcibiades Phegusius et Amiantus Ægineta; qui, audito quæ Dioclides de ipsis enuntiasset, metu statim auffugiebant. Vos autem, ut hæc e Dioclide acceperatis, eum judicio tradidistis, a quo morte mulctatus est; reliqui autem vincti, jam supremum supplicium de se sumendum exspectantes, propter me, compedibus exsoluti et in libertatem rursus emissi sunt: nam secundum meum indicium meis cognatis vincula detraxistis et exsulibus domum redeundi veniam dedistis et reversos gratanter recepistis; ipsique, sumptis armis, a stationibus, in quibus quique vestrum per illud turbulentum et suspiciosum reipublicæ tempus excubias adhuc egeratis, securi domum quisque suam revertebamini, ut jam malis multis defuncti periculisque exsoluti. Quibus omnibus in rebus qua ego quidem usus sum fortuna, ejus ergo fortunæ vos commiseratio mei merito capiat; exitus autem ergo merito vir optimus atque fortunatissimus habear, quippe qui refragatus Euphileto sim, jusjurandum id offerenti, cujus fides penes homines omnium minima et est et esse debet, eique probra quibus

dignus esset ingesserim; et cum illi, contemptis meis dehortationibus, peccare tamen nihilominus perrexissent, peccatum eorum quoad licuit silentio texerim, neque prius quam extrema cogeret necessitas prodiderim; cum plerique eorum a Teucro jam indicati, alii morte luissent, alii in exsilium abissent, nos ipsi denique a Dioclidis perfidia in carcerem conjecti ab extremo supplicio vix pilum distaremus. Tunc enim demum, neque prius, detuli quatuor viros, Panætium, Diocritum, Lysistratum, Chæredemum. Haud infitiabor hos quatuor propter me in exsilium isse: contra vero ab eodem indicio meo sunt in vivis et in fortunis suis pater, et sororis maritus, tum tres consobrini, nec non septem numero cognati alii; hi, in eo jam cum essent, ut immerita morte per alienum nefas afficerentur, solis nunc jubar per me vident, ipsique se hoc mihi debere beneficium grati confitentur: cunctam autem civitatem qui conturbaverat extremaque in discrimina conjecerat, is a me coargutus fuit, et vos magnis formidinibus mutuisque suspicionibus liberati. Quæ num vera dicam, recordamini, quæso, viri, et conscii vestrum quotquot sunt, hi reliquos docento. Tu autem ipsos mihi cita eos, qui propter me vinculis exsoluti sunt: optime enim rei gestæ ordinem cum teneant, possint item optime eum hisce [judicibus] enarrare. Sed hac conditione hi hunc in suggestum adscendent, ut tantisper coram vobis, judices, disserant, donec vobis audientiam præbere disserentibus libuerit: deinde reliqua accusationis capita diluam.

13. De rebus itaque tum gestis audivistis, viri, omnia, et purgavi sic, ut mihi quidem videor, ut satis esse possit: quodsi tamen adhuc aliquid vestrum quispiam desideret, aut existimet nondum satis disputando declaratum quidquam superesse, aut si quid ego imprudens prætermisero, assurgat is atque me commonefaciat, et satisfaciam illi quoque. Nunc autem de legibus vos docebo. Cephisius nempe hic actionem ἐνδείξεως, vel indicationis, in me quidem instituit ex titulo legis adhuc validæ ratæque, eaque se lege nixum tulit in libello accusatorio, quem prætori exhibuit, actionem hanc contra me exordiens, in ipsa autem oratione accusatoria plebiscitum potissimum ursit dudum abolitum, auctore Isotimida factum, cujus nil quicquam ad me pertinet. Ille enim, Isotimides, auctor fuit, ut a templis deorum arcerentur impietatis rei, tam ab aliis facti quam qui ipsi fassi essent eo se crimine teneri: ego vero neque commisi impietatem, neque fassus unquam sum me commisisse. Quod autem hoc ipsum quoque plebiscitum rescissum atque abrogatum sit, id ego vos docebo. Quanquam in eo versor defensionis loco, ut, ubi minus vobis persuasero, damnum ipse sim accepturus; ubi autem persuasero, censear pro adversariis verba fecisse. Verumtamen dicetur id, quod res est. Classe enim funditus excisa, cum urbs obsideretur, deliberabatis de modo concordiæ constituendæ atque tuendæ, placuitque

τοὺς ἀτίμους, honore privatos, *ἐπιτίμους* reddere, hoc est, pristina gaudentes juris civilis usura et honore status forensis: cujus sententiæ factus est auctor Patroclides. Honore autem carentes quinam et quotuplices fuerint, et quibus modis quibusve de causis honore status forensis mulctati, id vos docebo. Standi in foro jus, seu honorem, amittebant primum ærarii, seu pecunias ærario publico debentes; sive quod, honorum a se gestorum acta et rationes approbare cum nequissent, ideo mulctæ pecuniariæ essent condemnati; sive quod ob aliena bona per vim et nefas occupata atque detenta mulcta ipsis fuisset irrogata, quam non luissent, sive ob actiones majestatis vel perduellionis injustas et illegitimas adversus insontes susceptas; sive quod mulctis arbitrariis, si quas magistratus sine legum auctoritate et sine judiciorum interventu irrogassent, haud satisfecissent; sive quod, quæ a rep. vectigalia redemissent, eorum pactas mercedes non dependissent; sive quod pro aliis fidejussores ærario facti fuissent: his omnibus quocunque titulo seu pecuniam seu mulctam ærario debentibus ante nonum anni mensem evolutum erat debitum luendum, sin minus, duplum debebant et ipsi honore in foro versandi privabantur et bona ipsorum publice vænibant. Unus hic erat modus conditionis inhonestæ [seu capitis imminutio major]: alter modus iste est, cum corpora quidem ipsa delinquentium honore in foro standi et in concionem conveniendi carent, bona autem ipsis quæ possident salva manent: hoc genere ignominiæ notabantur, ob furta [in rep. puta] aut ob munerum acceptationes mulctæ damnati: hos oportebat et ipsos et ex ipsis natos honore carere: item quotquot ordinem in acie deseruissent, aut criminis essent convicti *ἀστρατείας* [h. e. quod plane in castra non exissent, cum reliquis, cum quibus exire ab imperatoribus jussi fuissent] aut *δειλίας* [h. e. quod pavidi et imbelles fuissent] aut *ἀναυμαχίου* [h. e. quod militiæ navali vocati nomina non dedissent ut debebant], item quotquot scutum abjecissent, aut ter fuissent in judicio condemnati falsi dicti testimonii aut ementitæ in jus citationis, nec non qui parentes male et injuriose atque inclementer tractassent: hi omnes, quoad corpora quidem inhonesti erant, seu honore carebant, bona tamen ipsis sua salva manebant. Rursus alii [qui erat minimus et levissimus modus imminuti capitis] honore carebant, seu infamia erant notati, *κατὰ προστάξεις* h. e. secundum præcepta, seu quadam tenus sub certis conditionibus denuntiatis et imperatis: hi non funditus erant capite minuti, sed solummodo quoad partem ejus aliquam, e. c. milites, si qui sub tyrannide triginta virorum in urbe atque militiæ functione mansissent, hi cæteris quidem juribus perinde atque reliqui cives fruebantur, verum jure in concione standi aut senatorios honores ambiendi iisve fungendi carebant. Hactenus illis erat honos imminutus vel ereptus: nam hæc erat ipsis *πρόσταξις*, seu

conditio imperata et præscripta. Aliis hoc de genere non licebat quenquam majestatis aut perduellionis accusare; aliis non licebat alios actionibus ἐνδείξεως, seu indicationis, persequi; aliis interdictum erat in Hellespontum proficisci per mare, aliis in Ioniam; aliis aditus fori clausus erat. Decreta igitur omnia, per quæ quibusdam ullo modo horum quos dixi modorum honos ereptus vel caput imminutum fuisset, tam ipsa primigenia eorum exempla, quam secundaria ex illis derivata si quæ usquam locorum prostarent, eradi atque deleri jussistis decreto ea de re facto, concordiamque jurejurando mutuo in Arce dicendo utramque in partem condici atque sanciri. Recita tu mihi decretum Patroclidis, vi et auctoritate cujus hæc fiebant.

DECRETUM.

Patroclides rogavit in hanc sententiam: Quando quidem Athenienses impunitatem super ærariis decreverunt, ut nimirum eorum causa liceat populum rogare atque in suffragia mittere, velit jubeat populus Atheniensis eadem rata esse, quæ cum olim scivisset tempestate belli Medici, e re id fuit publica. Illos autem quod attinet, quorum nomina, ut fisco debentium, in codicillis scripta, a magistratibus tradita fuerint, sive exactoribus fisci sive quæstoribus Minervæ sive quæstoribus aliorum quorumque deorum sive regi sacrorum; sive quorum nomina expuncta ex albo ærariorum nondum fuerint ante excessum illius senatus [qui nunc brevi decessurus est, et] cujus princeps fuit Callias, hoc est, si qui honore privati ideo fuerint quod ærario debitores facti sint, nec non quorum rationes gestorum honorum in logisteriis [seu tribunalibus censoriis vel rationalibus] improbatæ atque falsitatis et futilitatis condemnatæ fuerint ab euthonis [h. e. censoribus, seu peræquatoribus] et ab eorum parhedris [seu assessoribus], aut quorum rationes de gestis honoribus ad judicium delatæ nondum sint, aut quibus sub judice adhuc pendeant lites in jus nomine populi vocatis ob rationes gestorum honorum, aut quibus adjudicatæ sint a judicibus minutæ quædam atque restrictæ honoris derogationes, aut si qui fidejussores publice facti, ob istas suas sponsiones mulctæ condemnati fuerint, ad istam usque quæ modo dicta est diem; item si quorum nomina publicis in tabulis adhuc supersint, ideo ibi scripta quod in numero Quadringentorum fuissent, aut si quod aliud cujuspiam crimen sub isto paucorum dominatu commissum uspiam locorum annotatum sit: ut, inquam, populus Atheniensis velit jubeat horum omnium nomina (quorum nominum tamen e numero nominatim hi exempti atque exclusi sunto; quorum puta nomina in pilis adhuc supersunt exarata, ipsi autem in exsilio degunt, propterea quod causa sive in Areopago sive coram Ephetis sive in Prytaneo sive in Delphinio sive coram Rege sacrorum agitata, aut exsilii aut mortis pœna ipsis fuit adjudicata, velut homicidis aut tyrannidis affectatæ reis:) ut igitur, exceptis his, reliquorum omnium nomina mandet populus Atheniensis expungenda fiscalibus senatus, quæcunque in ærarii tabulariis occurrent, aut si uspiam alias locorum ejusmodi documentorum publicorum copiæ [seu exemplaria secundaria] prostant, ut thesmothetæ reliquique magistratus eas copias senatui exhibeant abolendas. Sed ut hæc intra triduum fiant, ex quo plebs hanc sciverit rogationem, si sciverit. Quæcunque exempla ejusmodi rationum ad ærarium publicum pertinentium usquam locorum occurrent, ea expunguntor, neminique liceto ea privatim secum habere neque liceto cuiquam ærario facto hanc labem exprobrare eumve debiti hujus commonefacere aut simultatem ideo conceptam ullo modo exsequi: secus qui fecerit, ut is pœnis teneatur iisdem, quibus tenentur qui sententia senatus Areopagitici perculsi solum verterunt, quo populus Atheniensis ipse

semet fidat quam tutissime, liber a mutuis aliorum de aliis suspicionibus, et pacta hoc plebiscito sancita et in præsens et in futurum omne tempus quam certissima atque fidissima permaneant.

Per hoc decretum, viri, honorem quidem reddidistis eo carentibus; exsulibus autem ut venia daretur domum redeundi, neque Patroclides auctor vobis fuit, neque vos scivistis.

14. Ut autem, induciis cum Lacedæmoniis contractis, mœnia diruebatis, exsules quoque recipiebatis, et triginta tyranni cooriebantur, et Phyle postmodum occupabatur, et aliquanto post Munychia, brevis ut sim, illa infanda evenerunt, quorum ut me meminisse nil juvat, ita vestram quoque refricari memoriam nil attinet. Ut autem e Piræeo tandem in urbem redistis, cum liceret vobis pœnas de malorum vestrorum auctoribus sumere, decrevistis, quæcunque turbulenta illa tempestate accidissent, ea omnia oblivioni tradere, plurisque fecistis reip. salutem quam privatarum simultatum ultiones, acceptarumque injuriarum oblivionem lege sanxistis. Quæ ut vobis placuit rata esse, creastis vigintiviros; qui tantisper civitati præessent, et, ne resp. detrimentum caperet, providerent, donec leges latæ atque fixæ essent; interim placuit Solonis legibus et Dracontis thesmis [seu statutis] uti. Ut autem senatu per sortem, legislatoribus autem per delectum creatis, reperiebatis, in utroque genere legum, tam a Solone quam a Draconte profectarum, inesse multas, quibus civium bene multi ob ea quæ in ista reip. procella evenissent tenerentur, concione convocata, proposuistis his de legibus deliberationem, atque sic decrevistis, ut leges omnes examinarentur, eoque in examine probatæ in tabulis conscriberentur in Stoa Pœcile figendis. Recita tu mihi hoc decretum.

DECRETUM.

Placuit populo, Tisamenus auctor fuit sententiæ, Athenienses remp. gerere et civilem inter se vitam degere secundum ritus patrios, et Solonis uti legibus, et mensuris ponderibusque [a Solone præceptis]; uti quoque thesmorum a Draconte relictorum iis, quibus ante hac usi sumus. Quascunque novas autem leges condi res et usus ferat, quinquaginta Nomothetæ a senatu lecti eas in tabulis perscribentes coram Eponymis exponento ad contemplandum volenti cuique, et senatui hoc ipso mense tradento. Traditas autem sibi leges senatus prius exploratо, et legislatores quingenti a popularibus per demos delecti, postquam prius sacramento ad rectum et verum tuendum adacti fuerint: sed et privato cuique liceto volenti in senatum intrare, et bonum atque salutare si quid habeat de legibus suadere, id edere. Latæ autem ubi fuerint leges, senatus Areopagiticus earum curam gerito atque provideto, ut magistratus legibus ratis fixis utantur. Legum quæcunque sint perlatæ atque in ratis legitimisque habitæ, eas perscribento in pariete, ubi priores leges perscriptæ olim conspiciebantur, ut volens quisque spectare atque considerare possit.

Secundum hoc decretum revocatæ sunt, o viri, leges ad scrutinium; et quæ in ratas atque probatas relatæ sunt, eas in literas retulerunt, atque in porticu exposuerunt. Quo facto legem nobis

ferri et imponi curavimus, qua vos utimini omnes. Recita tu mihi hanc legem.

LEX.

Lege literis non consignata magistratus ne utantor ulla in re.

Estne jam aliquid huic Cephisio reliquum, de quo aut referre magistratus aliquis, aut in quo vestrum quisquam, o viri, agere et exsequi quidquam possit, præterquam secundum leges scriptas? Quando ergo lege non scripta uti non licet, quanto minus uti licebit non scripto psephismate? Quoniam itaque videbamus civium multis multas magnasque clades impendere, aliis e vetustis legibus, aliis e vetustis plebiscitis, ideo leges novas ferri curavimus, propter illa ipsa, quæ nunc fiunt, quominus fierent, et quo minus liceret quadruplatorem agere. Recita tu mihi has leges.

LEGES.

Lege literis non consignata magistratus ne utantor ulla in re. Psephisma nullum, sive senatus sive plebis id erit, validius esto lege. Nullius hominis singularis ergo liceto legem ferre, quæ non perinde de reliquis quoque Atheniensibus valeat, nisi secus visum fuerit sexies mille viris, clam per tabellas suffragatis.

Quid nunc? superestne adhuc aliquid? Superest nimirum hæc lex, quam tu mihi recites, velim.

LEX.

Judicia et arbitria rata sunto, quæcunque in urbe libera fiunt a legibus gubernata: legibus utantor ab Euclide Archonte inde.

Judicia et arbitria rata et valida sanxistis esse, o viri, quæcunque in civitate libera facta sint, quo nempe neque novæ tabulæ fierent neque judicia jam pronunciando perempta et transacta rescinderentur, sed rata et firma essent pacta privata et ex eorum formula liceret actori cuique jus suum a debente repetere: quæ autem crimina publica sunt ejusmodi, ut super iis liceat in reos agere, sive ex titulo γραφῆς, sive titulo φάσεως, sive ἐνδείξεως, sive ἀπαγωγῆς, illorum causa decreto sanxistis, utendum legibus esse ab Euclide Archonte inde. Quandoquidem igitur vobis placuit antiquas leges examini submitti, eoque in examine probatas in literarum monumenta referri, magistratibus autem omnibus interdici ne qua lege utantur literis non consignata quacunque tandem in re, item, decretum nullum sive senatus sit sive plebis lege validius esse, neque licere in unius hominis singularis sive gratiam sive fraudem ferri legem quæ non item de omnibus omnino sit Atheniensibus valitura, tandem, ut jus et fas sit legibus usu receptis et ratis uti inde ab Archonte Euclide: ullumne potest esse aut mente fingi psephisma ex eorum numero, quæ Archonte Euclide vetustiora sint, sive majoris momenti rem

sive minoris spectet, quod adhuc ratum et validum sit? Ego equidem haud arbitror. Sed ipsi vos quoque vobiscum velim existimetis.

15. Verum videamus nunc quoque quomodo vobis vestræ habeant in jurejurando religiones. Jus quidem illud jurandum, quod universæ civitati commune est, et quo vos ipsi post reconciliatam gratiam vosmet obstrinxistis, sic habet: Acceptarum injuriarum nemini ero memor, neque ultionem earum in quoquam exsequar, præterquam in triginta tyrannis, et in decemviris: quid? quod horum ipsorum non ulciscar eos, si qui rationem reddere parati sint rerum a se gestarum iis in magistratibus quos gessere. Vos igitur, qui jurejurando confirmaveritis, in ipsis adeo triginta viris, qui mala vobis crearunt atrocissima, memoriam acceptarum injuriarum vos haud esse renovaturos, si rerum a se gestarum rationem vobis reddant; multo minus censendi estis unquam voluisse memoriam acceptarum injuriarum in alio quopiam civium vestrorum exercere aut id dignum vobis censuisse. Senatus rursus hic, quem nostis omnes per annuas vices ad reip. clavum sedentem publicæque salutis frena gubernantem, quid is jurejurando confirmat se facturum? Neque admittam (ait) actionem forensem titulo ἐνδείξεως neque titulo ἀπαγωγῆς contra aliquem propter antehac facta, præterquam contra damnatos exsilii. Vos denique, Athenienses, qui lites forenses judicii vestri auctoritate disceptatis, quid facturos vos jurejurando spondetis, antequam ad judicandum admittimini? Non exsequar acceptas injurias simultate memori, neque ulli alii inhonestæ perturbationi aditum ad animum meum dabo a qua intransversum agar, sed sententiam pronuntiabo secundum leges fixas et in rep. obtinentes. Quæ cum aio a me pro vobis et pro legibus vestris disputari, decet vos arbitrari, num recte aiam.

16. Jam considerate, viri, leges quoque et accusatores, quales ipsi cum sint, alios tamen accusare audeant. Cephisius hic, vectigale aliquo ab ærario redempto, cum ejus titulo nonaginta minarum contributionem a colonis hunc Atticum agrum exercentibus collegisset, mercedem reip. pactam non dependit, ideoque fuga salutem quæsivit: nam si tum redisset [ante novas leges latas] suique corporis fecisset copiam, datus utique in carcerem et cippo alligatus fuisset compede. Sic enim edicit lex, ut senatui quingentorum virorum liceat, quicunque vectigalis a se redempti mercedem haud dependerit, eum ad truncum alligare. Hoc tanto facinore commisso Cephisius tamen, quod vos decreto sanxistis ut magistratus vestri secundum leges in ea solummodo facinora animadvertant, quæ illo anno juniora sint quo Euclides Archontis honore functus est, ideo

æquum censet, ut, quas vobis pecunias extorsit, eas vobis haud reddat, et ex eo, quod legibus utimini nunc ratis et fixis, pro exsule civis, pro minuto capite quadruplator factus est. Ad Meletum transeo, qui sub triginta tyrannorum dominatu Leontem, quem vos omnes nostis [hominem sanctissimum et vestri studiosissimum], ad undecimviros [pro fure aut latrone] abduxit. Atqui lex hæc et olim fuit in usu, imprimis sapiens et præclara, et nunc adhuc viget usuque vestro frequentatur, ut, qui consilium sceleri exsequendo dederit, pœnis teneatur iisdem, quibus qui scelus ipse suis manibus perpetrarit. Verumtamen ideo, quod leges vobis ab Archonte Euclide inde validæ sunt, non licet Leontis liberis actionem cædis in hunc Meletum intendere [quam alias ex illa altera modo laudata lege optimo jure possent]: nam ne ipse quidem Meletus infitietur Leontem a se ad undecimviros abductum esse. Epichares denique hic non modo est, sed haberi quoque vult mortalium omnium nequissimus: nam scelerum suorum pœnas ipse a semet repetit. Sub triginta tyrannis senator fuit: hujusmodi autem de hominibus quid statuit lex pilæ incisa coram curia fixæ? M a g i s t r a t u m (ait) i n u r b e q u i g e s s e r i t p o s t e v e r s u m s t a t u m p o p u l a r e m, i m p u n e m o r i t o r, e u m q u e q u i o c c i d e r i t, i s p u r u s a c æ d i s p i a c u l o e s t o, e t b o n a p e r e m p t i p o s s i d e t o. Numquid aliud, o Epichare, dici fierive potest, quam, si quis te nunc occiderit [hac fretus admonitione ex me audita], puras ei sanctasque a reatu cædis manus esse? Nil profecto aliud, secundum Solonis quidem leges si jus arbitrabimur. Recita tu mihi hanc legem e pila.

LEX.

Placuit populo, cum tribus Æantis prytaneatu fungeretur, Cleogene scribam agente, Boetho epistatæ honorem gerente, factus est hujus literis consignatæ sententiæ auctor Demophantus. Orditur hoc psephisma commemoratio temporis quo latum fuit, scilicet eo senatu rempubl. gubernante, qui sorte ductus sedit eo anno quo Cleogenes scripturam primus fecit. Verba psephismatis autem ipsa sic se habent: Statum libertatis popularis si quis Athenis everterit, aut oppressa rep. honorem quempiam gesserit, is hostis Atheniensium habetor, atque inulto moritor, et facultates ejus publicantor, et decima pars earum Minervæ sacra esto: reum autem horum facinorum qui aut manu sua peremerit, aut peremptori cædis auctor et administer factus fuerit, ambo sancti et pii habentor, licetoque ipsis templa deorum omnia foraque et loca adire quo honesti conveniunt. Et tenentor Athenienses omnes jurejurando, tributim et curiatim super hostiis perfectis dicendo sese obstringere, ut, qui istæc fecerit [h. e. qui aut ipse tyrannidem exercuerit, aut tyranni satellitem se gesserit], eum occidere velint. Jusjurandum autem super hac re dicitor hanc in formulam conceptum: P o p u l i A t h e n i e n s i s l i b e r t a t e m a t q u e m a j e s t a t e m s i q u i s j u g u l a r i t, a u t q u i, i l l a o p p r e s s a j a c e n t e, h o n o r e m u l l u m g e s s e r i t, a u t e t i a m i m p o s t e r u m s i q u i s e x s i s t a t q u i t y r a n n i d e m m o l i a t u r a u t a d j u t o r e m s e p r æ s t e t t y r a n n i d e m a f f e c t a n t i, e u m e t e g o i p s e o c c i d a m, e t a l i u s s i q u i s o c c i d e r i t, h u n c s a n c t u m p i u m q u e e t e r g a d e o s e t e r g a s e m o n e s h a b e o, u t e u m, q u i h o s t e m A t h e n i e n s i u m p e r e m e r i t; f o r t u n a s q u e p e r e m-

pti cunctas sub hasta cum vendidero, tum partem dimidiam pecuniæ inde redactæ peremptori reddam nil defraudans; hoc ita faciendum esse, et verbis factisque ero auctor et tabella mea in cadum injicienda confirmabo. Sin autem quis, tyrannum tyrannive satellitem adoriens, aut in ipsa cæde, aut saltim in conatu cædis, ipse occubuerit, ornabo ipsumque peremptorem ejusque liberos, perinde atque Harmodium cum Aristogitone eorumque posteros ornare solemus. Quæcunque sacramenta aut Athenis aut in castris aut uspiam alibi locorum in fraudem populi Athen. dicta fuerint, ea rescindo atque irrita pronuncio, iisque obligatum atque consecratum quemcunque sacramenti religione exsolvo et resecro. Hanc in formulam juranto Athenienses omnes super hostiis perfectis, rite, quemadmodum reliqua omnia quæ ritu patrio conceptis verbis juratis, ante Liberalia; et precari memento, ut qui jurisjurandi hujus conditionibus sancte atque religiose satisfecerit, ei multæ magnæque prosperitates ex ipsius animi sententia eveniant, pejerans autem ut una cum prole male pereat.

17. Jam responde tu mihi, quadruplator et ardelio, quem dii deæque omnes evertant velim atque eradicent, estne hæc lex rata et adhuc valida, an est antiquata et irrita? Rata fuit olim, et deberet adhuc esse, si quæ alia vel maxime: verum quia sub Archonte Euclide renovata et confirmata non fuit, et vos uti legibus vultis illo Archonte latis, ideo ista lex hodie antiquata et obliterata est. Huic constitutioni hoc debes, quod spiras adhuc et per hanc urbem deambulas, haud meritus; quippe qui, tenente adhuc statu libertatis popularis, e calumniis et delationibus atque vexationibus insontium victum quæreres, triginta tyrannis autem rerum potitis servires, quo quæstum illum infandum e calumniis partum revomere ne cogerere. Itane vero tu nihilominus de quæstu meretricio factitato me compellabis? aliosque ibis infamatum, qui uni quidem singulari homini soli te pro pellice non substravisti — quod si fecisses, fuisset id utique tibi præclarius atque fructuosius —, sed unicuique volenti morem gessisti, id quod hi judices norunt, et pro minimo lucello turpissima quæque stupra passus es; atque tam infamis quæstus exercitatione vitam tenuiter satis atque jejune sustentasti, tametsi esses ore vultuque tam deformi. Et nihilominus tamen alios accusare ausus est hic, cui ne pro se quidem ipso causam dicere per leges nostras licet. Verumenimvero, viri, cum, illo me accusante, ego assidens in os ejus intuerer, videbar mihi haud aliter, atque a triginta viris comprehensus, coram illis stare atque judicium eorum tolerare. Nam, si tunc illis obtinentibus capitis periculum mihi decertandum fuisset, ecquis alius me, præterquam hic, accusasset? Fecisset enim proculdubio, nisi periculum ego nummis ei datis redemissem. Nam nunc quoque nulla alia de causa me accusavit, quam quod cum eo decidere nolui. Ecquis me tunc alius, præterquam Charicles, percontatus fuisset in hunc modum? Dic mihi, Andocide, venistine Deceleam? castellum patriæ tuæ

finibus imposuisti tuismet manibus, unde excurrens agrum ejus pervastares? Ego nego me fecisse. At agrum tamen depopulatus es, et in cives tuos latrocinia exercuisti sive in continente sive per mare? Profecto non feci. Tune in prælio quopiam navali adversus patriam non dimicasti? neque operam navasti mœnia patriæ demolientibus? neque adjutorem te præstitisti statum civilem evertentibus? non redisti in urbem per vim? Horum nihil patravi? Nihil? jamne tamen tu speras te hinc e conspectu nostro salvum abiturum? non capite tuo daturum pœnas perinde atque alii multi suis dederunt? Existimatisne, viri, alia me quapiam secundiore sorte, non hac, usurum fuisse, si ego tum ab illis triginta viris comprehensus fuissem? Evenissent utique mihi hæc, quæ dico, et vestri quidem causa. Jam qui grave et acerbum non sit, a vobis me nunc judicatum, quos nulla unquam injuria læserim, non absolvi, qui, si illorum in judicio stare debuissem, triginta virorum pùta, morte damnatus fuissem, idque alia nulla de causa quam quod in vos nihil deliquissem? Ego vero certo certius a vobis absolvar, aut si ego minus absolvar, multo etiam minus alius quispiam absolvetur. Verum, o viri, actionem hi quidem in me instituerunt titulo ἐνδείξεως, secundum legem adhuc in rep. obtinentem, accusationem autem fundarunt super antiquo psephismate quod jam dudum ante me in aliis antiquatum fuit. Quodsi ergo contra me detis sententiam, videte, ne committatis, ut non mihi uni omnium vestrorum civium maxime danda sit eorum quæ dudum evenerunt ratio, sed multo etiam magis multis aliis, quorum alii cum hostes facti vobis fuissent aperti et adversa acie vobiscum congressi dimicassent, postmodum tamen cum illis in gratiam redistis legesque reconciliatæ gratiæ mutuæ jurejurando mutuo sanxistis: quarum rerum causa vos quoque, ne qua superesset offensionum memoria, pilas illas, quibus isti sive hostes patriæ declarati fuissent sive exsilio mulctati sive honore et jure civili exuti, sustulistis, legesque, per quas illæ pœnæ illis irrogatæ fuissent, abrogastis, et plebiscita expunxistis. Quodsi ergo hi nunc intelligent vos admittere accusationes super criminibus pridem commissis, quem putatis illis animum, quam de semet ipsis spem atque fiduciam fore? aut quemnam eorum censetis ob vetusta illa facta ausurum in certamina forensia descendere? Multi enim tum, næ perquam multi sint in ipsos coorturi inimici atque quadruplatores, qui eorum unumquemque in certamen sint conjecturi. Hi jam nunc ambo huc hoc ad judicium convenerunt, verum non eandem ambo mentem afferentes: nam alteri quidem per hoc de me habendum judicium certiores fieri cupiunt, num legibus in rep. obtinentibus confidere debeant religionique jurisjurandi quo vos mutuo obligastis; alteri autem periculum facere volunt vestrorum animorum, num veniam sibi sitis daturi calumniando et deferendo

impune grassandi et alios actionibus majestatis et perduellionis terrendi atque exagitandi, aliorum, tanquam furum atque sicariorum, latebras magistratibus indicandi, alios, ut immanissimorum quorumque scelerum reos, injecta manu ad undecimviros abducendi. Res sic se habet, viri, ne nesciatis: certamen hoc in mea quidem unius persona consistere videtur; judicium autem a vobis hac in mea causa ferendum ad cunctos pertinebit, publiceque decernet, vestrisne legibus oporteat quemque confidere, an quadruplatorum sibi quasi copias conscribere atque adjungere, an denique ipsos ex urbe excedere atque se proripere quam celerrime.

18. Quo autem intelligatis, viri, instituta vestra ad concordiam civium constabiliendam comparata non modo non esse pœnitenda, verum etiam vos istæc ita providentes atque caventes fecisse et decori vestro et saluti vestræ convenienter, pauca quædam etiam hoc de capite cum pace vestra disputabo. Majores vestri, rep. magnis malis afflicta, Pisistratidarum tyrannidem fuga devitarant, urbem servitute oppressam tenentium: concurritur ad Pallenium: prælio vincuntur tyranni: Leogoras avi mei pater et socer ejus Charias copias tum vestras ducebant; nam ex hujus Chariæ filia meus avus natus est; per hanc victoriam a tyrannis liberati cives domumque reversi, alios eorum qui cum tyrannis fecissent sustulerunt, alios in exsilium egerunt, et, si quos tandem in urbe manere sinerent, eos capite minuerunt. Verum tempore post, cum rex Persiæ suas illas tantas copias Græciæ admoveret, perspecta calamitatum imminentium magnitudine regisque apparatu et opibus, decreverunt exsules domum revocare capiteque minutis integra jura civilia reddere salutemque perinde atque pericula cum omnibus communicare. Quibus factis, sponsionum mutuarum et sacramentorum religionibus inter se obligati quam sanctissimis, audebant, id dignum se putantes, primam occupare aciem, cunctisque pro Græcis objecto capite suo, barbaris ad Marathonem occurrere, arbitrati virtutem suam vel solam idoneam esse quæ istorum multitudini opponeretur: commisso sic prælio, Græciamque liberarunt et patriam una periculo eripuerunt. Verum opere tanto atque tam arduo defuncti, de sumendis a quoquam pristinarum injuriarum pœnis nil cogitabant. Factum per hanc animorum nobilitatem fuit, ut, quamvis solum urbis desolatum atque devastatum recuperassent, fana deorum combusta, mœnia domosque collapsas, sorte carentes unde sumptus peterentur istis omnibus restaurandis, tamen concordia subnixi principatum Græciæ sibi parerent vobisque remp. a se restauratam talem ac tantam in manus traditam relinquerent. Quid? quod vos ipsi quoque postmodum mala experti, non minora malis quæ illi exantlarunt, cum essetis fortes e fortibus nati, virtutem insitam, id quod a vobis ex-

spectabatur, protulistis: æquum enim vobisque dignum censuistis, vos exsulibus in patriam redeundi veniam dare statumque civilem capite minutis reddere. Quænam igitur adhuc superest pars virtutis illorum vobis ad imitandum reliqua? Hæc nempe, ut pristina illa quæcunque sunt oblivioni mandetis, bene gnari, tametsi semen quasi prosperitatis, unde resp. vetustis illis temporibus rursus progerminaret, multo tum fuisset, quam postmodum fuit, exilius, remp. tamen fortunatam atque claram fuisse: sed erit nunc quoque non minus clara neque minus fortunata, si volemus nos, cives qui simus, ita ut cives decet, sapienter agere pacemque inter nos atque concordiam colere.

19. Verum de ramo quoque me accusarunt supplicatorio, quasi ego eum in Eleusinio deposuissem: ritus nempe avitus est, quicunque per dies festos sacris Eleusiniis consecratos ramum supplicatorium in ara dearum ponat, ut is morti detur. At enim vero tam sunt hi audaces, ut, quæ ipsi callidis machinationibus meam in fraudem compararunt, eorum me insimulent, quasi ego ea fecissem, neque satis habent, impune sibi fuisse facinus impium, mortis pœna sancitum, nisi etiam culpam ejus in caput meum, tanquam auctoris, intorserint. Nam ut ab Eleusine [post peracta ibi sacra Eleusinia] huc in urbem redieramus, et contra me exhibita [regi sacrorum a Cephisio] fuerat indicatio, adibat rex sacrorum ad prytanas de commissis per sacrorum Eleusiniorum celebritatem relaturus, quemadmodum mos est: prytanes spondebant operam se daturos, ut ipse ad senatum introduceretur, ad eum his iisdem de rebus per se relaturus; interim mandabant ei, ut suo [prytanum puta] nomine meque meumque accusatorem Cephisium in diem crastinum adesse juberet in Eleusinio; ibi enim consessurum esse senatum ex lege Solonis illa, quæ senatui injungit, ut prostridie mysteriorum in Eleusinio consideat. Aderamus, prout indictum nobis fuerat; numeroque senatorum completo, Callias Hipponici filius, cum ad dicendum assurrexisset in habitu Cerycum, nuntiat ramum supplicatorium super ara jacere, monstrabatque senatoribus ibi jacentem. Et tum præco prædicabat, Quisnam eum ibi deposuisset: verum nemo respondebat. Adstabamus nos, et hic Cephisius nos videbat. Abibat itaque Callias et intro ad senatores redibat: secundum eum hic Eucles [ad nos e curia] egressus [id idem nos interrogabat rursus, quod Callias modo interrogaverat; verum et ipse quoque pari silentio nostro refutatus abibat] — Cita tu mihi Euclem. Ante omnia edic, Eucle, atque testare, num vera hæc dicam.

TESTIMONIUM.

Vera esse quæ dixi, hoc vobis, viri, testimonio confirmatum est: fraus nimirum hæc erat, ab inimicis in caput meum structa, sed

incassum: multo mihi videtur aliter habere res, quam hi verbis jactabant. Ipsas nempe deas aiebant, quarum sacra profanassem, vertigine quadam et cæcitate menti meæ objecta, et manibus quasi pone tergum religatis, obtorto collo, me egisse atque impulisse, ut ego, legis illius de ramo supplicatorio latæ ignarus, eum deponerem, eoque facto pœnas ipsis meritas darem. Ego vero, viri, si vel maxime verum sit, quod nego esse, illi aiunt, a me ramum illum supplicatorium in ara esse depositum, contendam tamen, vel sic quoque a deabus saluti meæ prospectum fuisse. Nam, si deposui quidem ramum, interrogatus autem non respondi, num quid aliud ex eo potest colligi, quam hoc, deas omni modo me servatum isse; et me quidem, ponendo ramum, meismet me manibus perditum isse, dearum autem numine factum esse, ut imprudentiam facti mei silentio tegerem, et per hoc silentium meum, secunda quadam fortuna dearum voluntati ministrante, ex hoc præcipitio eriperer. Deæ enim si me perditum voluissent, debuissent ex consentaneo, menti meæ eum furorem linguæque eam trepidationem injicere, ut, quæ non fecissem, ea me fecisse, hoc est ramum deposuisse, faterer. Verum neque respondi interrogatus, me posuisse, neque reapse posui ramum. Ut autem Eucles ad senatum renuntiavit, interroganti sibi, quis ramum deposuisset, neminem respondisse, rursus assurrexit Callias atque legem affirmavit esse ritu patrio sancitam, edicto cujus is statim indicta causa morte sit afficiendus, si quis in Eleusinio ramum supplicatorium deposuisset: ad hunc nempe modum, in pari causa, patrem suum Hipponicum olim aliquando respondisse Atheniensibus de jure sacrorum consulentibus: a me autem ramum illum esse depositum fando inaudivisse. Ibi Cephalus hic, exsiliens: O Callia (inquit), impietatis antesignane, qua reliquos omnes homines longe post te relinquis, quid agis? qui sic furis? qui primum quidem de jure sacrorum ultro, non consultus, respondeas, tametsi non sis nisi ex inferiori ordine sacerdotum, Cerycum puta, cui Cerycum ordini fas non est de jure sacrorum respondere. Deinde commentum tuum pro lege ritu patrio et vetusto consecrata vendites, quæ lex nulla est; nam illa stela, in qua jus sacrorum exaratum est, et cui stas proximus et quam in conspectu habes, huic auso de quo nunc agitur nullam pœnam capitalem irrogat, sed solummodo mulctam mille drachmarum. Denique age, dic tandem, a quonam audivisti, ramum supplicatorium in Eleusinio ab Andocide depositum esse? Arcesse eum et adduc ad senatum, ut nos quoque audiamus. Ut autem lex [ad quam Callias provocaverat] e pila erat recitata [a Calliæ affirmatione prorsus dissentiens], et Cal-

lias eum nominare non poterat a quo se id audivisse simulaverat, constabat jam senatui, ramum illum ab ipso Callia depositum fuisse.

20. Verum quanam tandem Callias de causa id fecisset?—nam de hoc vos dubitare, viri, atque quærere consentaneum est—inimicus nempe mihi atque infestus erat, de medioque me sublatum volebat. Qua de causa, agite, enarrantem me (nam id agere nunc accingor) æqui audite. Epilycus erat Tisandri filius avunculus mihi, matris meæ frater: hic in Sicilia decessit, nulla relicta prole mascula: duæ filiæ, quas solas reliquerat, ex jure consanguinitatis mihique atque Leagro cedebant, ut eas domum duceremus. Res Epilyci familiaris male habebat: apertam enim atque conspicuam quam reliquerat substantiam, ea ne duobus quidem talentis æquivalebat, plus autem quam quinque talenta debebat. Nihilominus tamen ego Leagrum cum ad me arcessivissem, coram amicis ita cum eo egi: Bonorum est (inquam) atque fortium virorum, in ejusmodi temporibus planum atque testatum facere, ea se mente præditos esse, ut necessarios, quamvis egentes atque ab omni ope humana destitutos, ad se tamen pertinere existiment. Proinde nos decet Epilyci filias, tametsi indotatas, non contemnere, neque conditiones lautiores ipsis neque soceros opulentiores earum patri præferre: Epilycus enim si adhuc in vivis superesset aut si magnas opes reliquisset vita defunctus, procul dubio filias ejus in matrimonium ambiremus. Verum hoc pacto si filias Epilyci duxissemus, visi fuissemus, patre adhuc superstite domum eas nostram ducentes, patris in gratiam duxisse; sin autem, post patris excessum eas duxissemus, heredes luculenti patrimonii relictas, cupiditati nostræ fuisset id imputatum: jam vero quicquid fiet, id a virtute nostra nostrique animi nobilitate proficiscetur, eique referetur. Da igitur (inquam) tu, Leager, operam, ut altera filiarum Epilyci tibi ab Archonte adjudicetur; ego vero alteram mihi in jure addici curabo. Motus hac oratione Leager, o viri, recepit mihi sic facturum: et secundum hanc inter nos factam sponsionem curavimus ambo nos ambas Epilyci filias ab Archontis edicto nobis, ut legitimas matresfamilias contribui. Verum ea puella, quam ego mihi arrogari edicto prætorio curaveram, adversa quadam usa fortuna, valetudine decessit ante nuptias: soror autem ejus adhuc superest. Offerenda pecunia Callias Leagrum adducere tentavit, ut sibi permitteret hanc superstitem domum suam ducere; et videbatur Leager jam nutare: id quod ego sentiens, actutum posui παράστασιν [h. e. deposui pecuniam in judicio, sacramentum dictam, qua

mulierem illam controversam, arresto quasi indicto, mihi devinciebam, ut ab alio quopiam, ante litis meæ definitionem, neque peti, neque impetrari posset]; quo facto actionem exorsus sum, primam quidem adversus Leagrum, cui conditionem hanc deferebam, tu quidem, Leager (inquam), si domum ducere puellam vis, habe tibi, quod bene tibi vertat; sin autem tu ejus nullo duceris desiderio, tum ego eam aio meam esse postuloque vi juris eam ab Archonte mihi adjudicari. Callias autem, eo comperto, actionem adversus me capessivit, et libellum protestatorium Archonti exhibuit, quo confirmavit, virginem heredem, de qua controversia commota esset, in jure filii sui esse: fecit hoc die decima mensis [Boedromionis] quo [ob instantes dies festos mysteriorum Eleusiniorum] ego minus possem litem persequi, et pronuntiationem sententiæ urgere, qua puella mihi adjudicaretur. Die vigesimo et proximis insequentibus, tenentibus mysteriis, per Cephisium hunc, mille drachmarum mercede redemptum, titulo indicationis me detulit, et in hoc quod nunc decerto certamen conjecit. Ut autem me videbat in urbe manentem et neque hujus judicii periculum, neque terrores suos defugientem, deponebat ipse in ara Eleusinii ramum illum supplicatorium, quo me aut indicta causa de medio tolleret aut certe patria expelleret, ipse autem, Leagro nummis placato, filiam Epilyci domi uxorem haberet. Videns autem, ne sic quidem sibi rem sine magno certamine successuram, Lysistratum adibat Hegemonemque et Epicharem, cernens eos mihi amicos et me familiariter utentes: ad hos declarabat, videte quam pudendam ad audaciam legumque contemptum Callias processerit, adhuc si velim ab Epilyci filia desistere, se quoque finem mei vexandi facere velle, Cephisioque silentium esse impositurum, et luitionem injuriarum mihi oblatarum arbitrio amicorum delectorum esse permissurum. Ego vero illis, quos ad me allegarat, mandavi, ut ipsi meo nomine renuntiarent, me auctorem ipsi esse, ut et accusationem prosequeretur, et novos si quos posset veluti canes mihi immitteret: verum probe meminisset, si fiat, ut ego ex hoc judicii discrimine salvus evadam, per æquitatem Atheniensium vera et recta pronunciantium, facile factu esse, mea quidem sententia, ut ipse rursus pro parte sua virili de capite amittendo per me periclitetur. Et profecto haud committam, ut falsus ipsi vates fuerim, nisi si vos, judices, intercesseritis. Vera autem hæc a me dici, ut vobis constet, cita tu mihi testes.

TESTES.

21. Sed et hic filius, quem Callias subornavit, ut super Epilyci filia, tanquam sui juris puella, mecum in judicio contenderet, videte, viri, cujas sit, et qua usus origine, et quo pacto a Callia adoptatus: refert enim vos hæc tenere. Callias Ischomachi filiæ domum

ductæ, secundam uxorem, matrem ejus, anno primo matrimonii nondum exacto, superinduxit: sic homo hominum omnium consceleratissimus una cum filiaque et cum matre ejus rem habuit; ad exemplum nempe dearum, quarum sacerdotio fungitur, matrisque [Cereris] et filiæ [Proserpinæ], ambas una domo secum habebat. Et ille quidem nullo ducebatur pudore, nulla reverentia dearum: Ischomachi autem filia mortem sibi magis expedire arbitrata, quam vitam in qua tam acerba et dira spectacula ferre deberet oculis suis quotidie obversantia, laqueo tam miseram finire instituerat; sed a supervenientibus in ipso facinoris articulo exsoluta nodo, et lecto imposita, ut primum quiete fotuque ad vitam rediit, statim e domo Calliæ discessit: sic mater filiam in fugam egit. Verum illa ipsa quoque haud multo post exsatiatus Callias, etiam matrem exterminavit. At illa se gravidam e Callia ferre: denique puerum eniti: Callias vero puerum illum infitiari a se procreatum. Tum necessarii mulieris puerum una cum victima die festo Apaturiorum ad aram adducebant, et Calliam exordiri sacra jubebant. Ille tum percontari, cujas infans esset; hi respondere, esse Calliæ, filii Hipponici. Ego is sum (inquit Callias). Et est hic quoque filius tuus. Callias vero, aram manu tenens, negavit jurans, alium sibi filium esse aut unquam fuisse præter Hipponicum e Glauconis filia susceptum: sin autem sciens fallat, velle, ut dii se ipsumque genusque totum perdant: id quod etiam sic fiet. Interjecto longo tempore post, rursus, o viri, amore captus Callias anus audacissimæ atque impudentissimæ, ipsamque domi suæ recipit, et filium ejus jam adultum, aiens filium suum esse, in Cerycum inducit collegium. Obloquebatur quidem Calliades, negans aut puerum recipi oportere aut se unquam concessurum ut recipiatur; Ceryces tamen secundum illam legem sciscebant cujus legis hæc est formula, patrem ipsum oportere filium suum in collegium inducere, ubi jurejurando confirmasset, eum a se induci qui revera filius suus esset. Secundum hanc Cerycum sententiam Callias, aram manibus tenens, jurejurando confirmavit, hunc suum esse filium, legitime sibi e Chrysiade natum; illum ipsum quem pridem, item jurans, negaverat suum esse. Cita tu mihi horum omnium testes.

TESTES.

Age, viri, circumspectemus, num usquam Græciæ patratum sit ejusmodi facinus, ut, quam quis mulierem in domum suam induxisset quo sibi materfamilias esset, ejusdem fœminæ matrem idem vir eidem uxori suæ adhuc superstiti uxorem secundariam superinduceret, filiamque per matrem domo expelleret: verum non satis hoc est Calliæ: mulieri huic tam turpi tam incestuosæ cohabitans, Epilyci filiam adhuc vult superinducere, quo nempe neptis aviam ex-

pellat. At filio Calliæ ecquod nomen imponi par erit? Nam ego equidem despero tam solertem repertum iri conjectorem, qui id divinet. Tres enim cum sint mulieres, quibus pater ejus uxoribus usus est, idem erit earum unius filius, quem ipse sese fert, alterius frater, tertiæ denique patruus. Ecquis hic erit? Œdipus? an Ægisthus? aut quo tandem oportebit nomine monstrum hoc appellari?

22. Superest adhuc unum, viri, minutum quid, et quod paucis facile verbis expediatur, de Callia vobis in memoriam revocandum. Temporum adhuc si meministis illorum beatorum, quibus civitas nostra Græciæ princeps adhuc erat, et Hipponicus Græcorum locupletissimus, nostis in ore puerulorum vel infantissimorum et muliercularum versatam esse famam, tota urbe diditam, futurorum omen habentem, Hipponicum domi suæ suo sibi ære alere hominem piacularem sibique pestiferum, qui mensam ejus sit eversurus. Meministis, viri, hujus famæ, vos omnes. Ecquid ergo? exitus fidem famæ fecit? Plus etiam, quam oportebat. Quem sperabat Hipponicus a se filium ali, illum alebat sibi malum genium, meram pestem: Callias enim patris sui evertit divitias, evertit pudorem, honestatem, bonam famam, evertit reliquam omnem vitæ prosperitatem. Oportet itaque vos de Callia existimare, non ut de filio Hipponici, sed ut de mala peste, et numine quodam furiali, illi torquendo et excarnificando ex Orco immisso.

23. Sed ecqui tandem factum est, ut animum erga me pristinum tam subito et tam abnormiter mutarent hi, qui, conjuncta cum Callia opera, mihi nunc insidiantur, eique in hac certaminis forensis machina construenda et in caput meum intorquenda consiliisque pecuniisque conferendis præsto sunt? Domum e Cypro reversus triennium in urbe egi; quo triennio non modo ipsis impietatis crimine teneri visus non fui, tametsi Adelphumque aliosque hospites peregre venientes initiarem, et ad Eleusinium adirem et sacra facerem, quemadmodum me quoque decere et par esse ut faciam arbitror: sed etiam ipsi me ad obeundas splendidas functiones munerarias nominatim designarunt, primum ut gymnasiarchus in Vulcani ludis essem, deinde ut princeps legationis ad ludos Isthmicos atque Olympiacos nomine civitatis hujus mittendæ, denique ut quæstor et custos sacrorum thesaurorum essem. Miramini procul dubio, cur hominibus tam effusæ erga me liberalitatis repente videar jura divina cum humanis eo violasse quod in fana deorum ingrediar. Sed dicam vobis, viri, cur hac nunc erga me mente sint, et quam ob rem sibi ducant in me sic esse sæviendum. Triennium est, cum Agyrrhius, vir egregius, princeps fieret collegii redemptorum quinquagesimæ: redimebat hoc vectigal ille tum triginta talentis: collegæ ipsi hac in redemptura erant hi omnes, qui furtivos illos et illicitos et reip.

noxios cœtus apud illam albam populum agitant, quos quales sint vos omnes probe nostis. Hi mihi illuc coire videntur, quo horum duorum alterutro potiantur; ut aut taceant in licendo, quod cum faciunt, tum lautam mercedem aufferunt ab iis, a quibus sibi persuaderi patiuntur, ut contra ne liceantur; aut si vectigalis alicujus redemptio, nemine plus licente, exiguo væneat, ipsi cum redemptore in societatem redemptionis et communionem lucri coeant. Ex illa itaque redemptione quinquagesimæ, cujus auctor et princeps erat Agyrrhius, hi participes ejus, cum, facto trium talentorum compendio, didicissent usu suo, quam fructuosa res et quanti facienda sit vectigalis hujus redemptio, triennio evoluto, instante nova vectigalis licitatione, coibant in sodalitium, et quum reliquis, qui contra licituri viderentur, suo de lucro offulam objecissent, eoque ut contra liceri nollent, hos obstrinxissent, iterum reip. pro vectigali quinquagesimæ triginta talenta offerebant. Ibi nemine ex compacto plus licente, progressus ego ad senatum plus licebar, et illis item plus atque plus licentibus, tandem mihi redemptio vectigalis pro sex et triginta talentis adjudicata fuit. Hoc pacto illis per me de ponte dejectis, cum reip. fidejussoribus datis cavissem, collegi vectigal hoc atque ærario dependi, ex eoque non tantum nullum accepi damnum, sed etiam lucelli parum quid fecimus nos, qui consortes hujus redemptionis eramus; unaque Calliam ejusque consortes facultate exclusi sex talenta intervertendi et inter sese diribendi, vestro ærario surrepta. Coierunt itaque ad deliberandum secum, et hac inter se oratione usi sunt: Hic homo [Andocides] animum ita suum induxit, ut neque ipse de publico peculio furetur neque nos furari patiatur, sed acribus oculis fures observet intercedatque quominus opes publicas inter se discerpant: neque satis hoc illi erit; nostrum enim vero si quem in fraude quapiam deprehenderit, inducet eum in concionem Atheniensium, ubi necessario pereundum ei erit. Opera itaque nobis est danda, ut hic homo de medio tollatur quoquo pacto per fas nefasque. Non poterant illi quidem aliter agere atque egerunt, vos autem, viri, decet illis agere contraria omnia: vestra enim interest, et vellem equidem, esse vobis cives quam plurimos mei similes, hos autem aut mala peste interire, id quod utique foret præstabilius, aut, si fieri tamen hoc minus queat, saltim esse qui cupiditatem atque scelerositatem eorum refrenent; quos cum dignitas personæ suæ admoneat, ut boni fortesque velint esse vestrique studiosi, tum præter voluntatem facultate quoque gaudeant bene de vobis merendi. Ego quidem vobis recipio, aut hos a me meliorem ad frugem revocatum et coactum iri, ut ab hoc genere fraudum desistant; aut si quos eorum videro nihilominus temperare suæ cupiditati non posse, quo

minus vos compilent, eos a me in judicium vestrum inductum iri, ubi meritas pœnas luent.

24. Superest nunc tandem a me diluendum accusationis caput hoc: naviculariam nempe quod fecerim mercibusque per mare vectandis atque distrahendis quæstum fecerim, id accusatores mihi vitio dederunt, ex eoque docere conati sunt, iram deorum in caput meum exarsisse: videte quam subtiliter colligant: a diis aiunt ideo me servatum maritimis e periculis salvum huc esse perductum, quo Cephisio videlicet pessumdarer. Ego vero diis nego, viri, mentem esse tam brutam, atque his est accusatoribus meis: dii infesti si mihi fuissent ob nescio quas injurias, si quas sibi a me accepisse visi essent, næ tam stulti non erant futuri, ut, habentes me in potestate sua, inimicum suum, quem ultum irent, nactique me maximis septum et conclusum periculis, ut effugere nequirem, quibus periculis alia majora et formidabiliora nulla esse possunt, tamen abire salvum et impunitum paterentur. Ecquod enim aliud homini potest periculum majus esse, quam per hyemem aut sævientibus procellis mare peragrare? Ibi dii, quanquam corpus meum ultioni suæ obnoxium spiritumque atque fortunas meas in potestate habebant, atque, si voluissent, efficere poterant, ut exuviæ meæ ipsis sepulturæ carerent honoribus, tamen salvum me superesse voluerunt. Accedunt ad horrorem submersionis in undis, adhuc aliæ formidines ex itineribus maritimis exsistentes, a quibus omnibus deorum me protexit providentia: bellatum quoque illo tempore fuit, quo mare peragravi: triremes piraticique lembi mare persultarunt, a quibus capti multi, bonis spoliati, totam reliquam vitam in miserrima et durissima servitute protelarunt: haud pauci quoque, cum a procellis in oras ejecti fuissent a barbaris insessas, in tormenta atque supplicia inciderunt crudelissima, a quibus artus suos cum ipsi vidissent carptim mutilatos et contruncatos, tandem exspirarunt: — itane vero dii vobis videntur ita degeneres planeque verveces, ut, cum me tot tantisque periculis eripuissent, tum vero partes puniendi mei suas Cephisio demandarent, Cephisiumque loco sui tortorem mei constituerent? Cephisium, o dii immortales, Atheniensium omnium unum pessimum atque scelestissimum! quorum Atheniensium tametsi se civem fert, neutiquam tamen est. Vestrum profecto, quotquot hic assidetis, nemo facile, qui quidem usu suo Cephisium cognitum atque perspectum habeat, ei rerum suarum privatarum partem ullam curandam commiserit. Ego, viri, pericula ab hostibus, a piratis, a barbaris, in periculis humanis arbitror habenda esse; maris autem incerta divini rem numinis. Quodsi ergo fas homini est de natura deorum opinari iisque animorum perturbationes tribuere nostris similes, atque suspicari hac quoque in causa partes deorum intervenire, tantum absum, ut deos mihi suspicer iratos esse verearve ne

me punitum eant, ut potius confidam eos multo etiam magis iis succensere atque indignari, si qui perditum eant eos, quos ipsi servassent.

25. Recordari denique vobiscum, viri, decet etiam hoc, opinionem vestram publicam penes Græcos esse nunc eam, ut nulli non Græcorum videamini laudem virorum et fortissimorum et prudentissimorum eo meriti esse, quod a malis superioribus non ad ultionem vos incitari passi sitis, sed illa mala ad salutem reip. constabiliendam et ad concordiam civium confovendam converteritis. Nam infortuniis affligi, vulgare et tralatitium est; aliis quoque permultis suæ clades contigerunt, haud illæ vestris leviores: dissidia autem, si quæ forte inter cives coorta fuerint, bene et salubriter componere, hoc enim vero merito habeatur virorum civilium atque compositorum esse. Quæ laus cum consensu atque confessione omnium vobis tribuatur, sive amici vobis sunt sive inimici, nolite mutanda mente vestra committere, ut hac laude privemini, videaminique, quæ de oblivione pristinarum injuriarum recte atque salutariter sanxistis, temeritate magis secundæ cujusdam fortunæ quam consilii atque prudentiæ veritate atque certitudine sanxisse.

26. Rogo itaque vos, ut quam de meis majoribus conceptam animis sententiam habetis, eandem de me quoque velitis habere, quo mihi quoque liceat eos imitari: recordamini eos de caritate vestri studioque bene de vobis merendi eorum omnium nemini concessisse, si qui vel maximis atque splendidissimis vos ornamentis condecorassent; sed multis de causis se tales erga vos gessisse quales gesserunt, verum imprimis caritate atque providentia nostri qui eorum posteri sumus, ut, si quando periculum nobis aliquod ingrueret aut calamitas quæpiam nos opprimeret, venia a vobis digni habiti, salvi atque sospites a judicio vestro discederemus. Merito autem vos majorum nostrorum memineritis; quia vestrorum quoque majorum virtutes cunctæ reip. decori maximo atque præsidio fuerunt tutissimo. Classe enim nostra funditus deleta, multi cum essent qui civitatem malis implicatum irent insanabilibus, Lacedæmonii tamen, tametsi tum hostes, urbi parcere decreverunt, memores virtutis illorum virorum, qui universæ Græciæ libertatis auctores fuissent ejusque fundamenta solida jecissent. Quodsi ergo majorum vestrorum virtus universam civitatem tuita est et salute beavit insperata, postulo ego quoque, ut meorum majorum merita de vobis emolumento mihi sint meamque salutem in tuto ponant. Ipsorum enim illorum facinorum, per quæ salus tum parta fuit civitati, majores mei partem haud minimam de suo contulerunt: quapropter mihi quoque fas est a vobis salutem pari modo impertiri propter majorum meorum merita, atque vos ipsi a Græcis universis salutem impetravistis, ad merita majorum vestrorum de se respicientibus.

27. Etiam hoc vos considerare velim, viri, qualem me civem sitis imposterum habituri, nunc absolventes: primum e magnis opibus, quarum vos ipsi nostis magnitudinem, non mea culpa sed per clades reip., ad egestatem decidi pæne incredibilem; deinde victum quæsivi modis honestis atque legitimis, ingeniique mei manuumque mearum industria; tum meo doctus usu novi, quæ sit felicitas talis civitatis civem esse, et rursus, quæ sit miseria extorrem errare et inquilinum in regionibus finitimis commorari; novi, quanti referat pudori atque temperantiæ studere rectisque uti consiliis; novi item contra, quam acerbum sit delicto quopiam sibi rerum suarum perturbationem atque fortunarum jacturam contraxisse, unde in miseria vivendum sit; denique cum multis versatus habui multorum usum, unde contracta mihi sunt hospitia familiaritatesque multis cum regibusque et civitatibus aliisque privatis hominibus, quorum omnium fructum vos, reddita mihi salute, participabitis, prout vobis pro re nata videbitur. Tandem cavendum quoque vobis arbitror esse, ut generis mei nobilitas in infamia mea ne exstinguatur: solus ego de genere meo vobis adhuc supersum: quodsi ergo me perdideritis, nemo vobis alius hoc de genere supererit, sed totum stirpitus erit eradicatum. Atqui Andocidis atque Leogoræ domus, donec superfuit, dedecori vobis utique non fuit; sed hoc multo magis fuit dedecus, quod Cleophon, ille lyrarum faber, extorre me agente, illam domum nostram incoluit. Nemo enim fuit unquam, qui, domum nostram præteriens, ab ea in memoriam ullius mali sive publice sive privatim ab ea accepti induceretur: nostri potius majores in bellis, quæ suis auspiciis gesserunt quam plurima, de hostibus devictis tropæa quam plurima terra marique fixerunt; honores gesserunt alios quam plurimos pecuniasque vestras publicas administrarunt, et nullam tamen unquam mulctam debuerunt, neque nos quicquam in vos deliquimus neque rursus a vobis injuriam accepimus; domus nostra omnium fuit antiquissima et in paucis communis omnibus qui ope nostra indigerent, neque fuit in illis excellentibus viris, qui, conjectus in certamen forense, vos horum meritorum gratiam poposcisset. Nolite itaque committere, ut, ipsis e rebus humanis exemptis, præclara eorum facinora obliti fuisse videamini: recordati potius operum ab ipsis profectorum, opinamini corpora quoque eorum vos coram adstantia cernere, rogantium, ut me servare velitis. Ecquemnam enim ego alium huc adscendere jussero pro me deprecaturum? Num patrem? Atqui vivere desiit. Num fratres? Atqui nulli mihi sunt. Sed liberos? Atqui nati nondum sunt. Vos itaque mihi et patris loco et fratrum et liberorum estote; ad vos receptum habeo, vos oro supplex, vos obsecro, servate me, ipsimet a vobis me exorate: nolite, in Thessalis quidem et Andriis civitati vestræ adscribendis

studium demonstrare civitatem vestram civibus instruendi, viris exhaustam; cives autem vestros qui jam sunt perdere, qui cives sine controversia sunt, et quibus convenit viris bonis atque fortibus esse, quoniam ipsorum interest eos esse, et qui esse cum velint, tum etiam poterunt, vobis quidem sinentibus. Neutiquam, obsecro, neutiquam hac tanta vosmet polluite iniquitate, ut hos perdatis. Etiam hoc vos rogo, ut beneficia a me jam ad vos profecta, aut adhuc speranda, honore mihi habendo reluatis. Mihi enim si obsecundabitis, non fraudabimini bonis quæ a me ad vos proficisci poterunt; sin autem, inimicis meis morem gerentes, me sustuleritis, pœnitendo nil quicquam profeceritis, ne si quidem tempore post fiat ut severitatis vestræ vos pœniteat. Neque igitur vosmet ipsi spe bonorum a me impetrandorum private, neque me spe bonorum a vobis proventurorum. Tandem hos ego viros, qui virtutis illustrissimæ voluntatisque erga plebem vestram prolixissimæ documenta ediderunt, rogo, ut hunc in suggestum adscendant, ex eoque vos de me quid sibi videatur doceant consiliorumque vobis auctores fiant. Huc ades Anyte, huc Cephale, huc adeste vos tribules qui a tribu mea delecti estis ad causam meam mecum defendendam, tu, puta, Thrasylle et quotquot estis reliqui.

ANDOCIDIS

DE SUO REDITU

ORATIO.

---

1. Alia quidem quapiam in re, viri, si sententia non sit eadem omnibus ad dicendum prodeuntibus, haud equidem mirer: ubi autem hoc agitur, ut resp. a me beneficio quodam ornetur alio quopiam modo, quam quo quis alius velit me teterior atque inferior, ibi mecum alios consentire, alios dissentire, neque sensum omnibus eundem inesse, id vero arbitror omnium esse indignissimum. Civitas enim si communis est omnibus in ea commorantibus atque res civiles tractantibus, necesse est, ut, quæ civitati salutaria eveniunt, cunctis quoque sint civibus communia ad cunctosque pertineant. Hoc autem, quod grave et indignum aio esse, nunc fit, et licet cernere alios id nunc jam agentes, alios paulo post forsitan acturos: miror equidem majorem in modum, ecquid tandem sit, cur hi tam angantur animi, tam urantur vehementer, tam ferant impatienter, a me boni quicquam ad vos esse perventurum. Oportet eos utique aut hominum omnium tardissimos, aut reipublicæ vestræ malevolentissimos esse. Nam si persuasum sibi habent, rep. florente, res quoque suas privatas meliore loco futuras esse, stultissimi sunt omnium, commodis ipsi suis officientes; sin autem sua sibi habent privata commoda a vestris publicis sejuncta, haud video, qui possint reip. non infensi esse: arcana cum ad senatum intronunciassem iis de rebus, quæ res exitum si sortiantur, tot afferent et tanta reip. emolumenta, ut alia nulla possint esse majora, quanquam ex his ipsis, adversus quos hæc mea pugnat oratio, nonnulli in senatu tum adessent audirentque me documenta senatoribus proponentem perspicua et certa emolumentorum ad remp. ex arcanis meis consiliis proventurorum, et quanquam eo ibi adessent, quo, si quid a me secius diceretur, id redarguerunt, tamen neque illi me erroris ullius convincere poterant neque alius quisquam convicit; nunc autem consilia istæc mea conantur penes vos in suspicionem odiumque adducere. Id quod documento est, eos non sponte sua facere — nam alias tum statim in senatu fuissent adversati —, sed instigatos atque subornatos ab aliis quibusdam, cu-

jusmodi sunt hac in urbe, qui vitam videantur haud merituri, ut sinant emolumentum aliquod ad remp. a me proficisci. Hi ipsi quidem capita sua periculo non audent objicere neque sententiam suam de conditionibus arcanis a me in senatu propositis palam pronunciare, suæ nempe erga vos malevolentiæ ulcus metuentes ne sic denudetur; sed alios immittunt hujusmodi homines, qui, quod dudum insuevere impudentiæ, æquissimo animo, quæ in alios intorquent probra turpissima, eadem in se retorta ferunt. Solum id in eorum orationibus inveniatur quodammodo plausibile et solidum, quo fidunt, ut quocunque loco meas mihi calamitates exprobrent, quasi vos eas ignoretis, qui melius etiam nostis quam ipsi: quo fit, ut nil cuiquam causæ sit, cur gratiam ejus rei ipsis habeat. Mihi vero, viri, quicunque fuit, qui primus dixit, recte et sapienter is dixisse videtur, omnes homines tum ad prosperam tum ad adversam fortunam nasci: est autem error in capiendis consiliis et in rebus gerendis in generibus adversæ fortunæ præcipuis; atque sunt felicissimi quidem hi, quibus quam rarissime contingat labi, prudentissimi autem qui, perspecto protinus errore, quam citissima ducantur pœnitentia et a lapsu quam promptissime resurgant. Communis hæc est lex humanitatis, a qua nemo exemptus est; sed fatale omnibus omnino est, ut aliqua in re labantur et miseri sint. Quapropter, Athenienses, de me si humaniter statuatis, habeamini æquiores. Res enim meæ sunt ejusmodi, ut æquius sit, vos earum commiseratione duci, quam iis invidere: tam iratis enim sum diis usus et ad id deveni sortis adversæ, sive id juventuti atque imprudentiæ meæ tribuendum est, sive potentiæ eorum qui cohortationibus suis ad istam me dementiam adegerunt, ut facere non possem quominus inter duo mala, malorum omnium palmaria, optarem: auctores enim istorum facinorum si prodere nollem, non de me solo periclitabar, fatale quid, necessitate ita ferente, pati, sed etiam patrem nullius culpæ consortem metus erat ne una mecum perimerem — nomina enim edere me recusante, pater effugere mortis necessitatem nullo modo poterat —, ex altera parte rem gestam si aperirem, et ipsemet e vinculis emissus salvo cum spiritu abibam, et liberabar a necessitate cædis in patre meo meismet manibus patrandæ. Ecquid autem est, quod tu non subire atque audere malis, quam patrem occidere? Ego itaque, pro re nata, conditionem optabam eam, quæ mihi quidem mœrores atque molestias ad tempus quam longissimum erat allatura, vobis autem mali, quo tum premebamini, depulsionem quam citissimam. Recordamini modo, quanto in discrimine tum versati sitis quantaque constricti perplexitate et consiliorum inopia, et quam vehementer trepidaveritis ipsique vos mutuo exhorrueritis, ut vel in forum prodire cunctaremini, unoquoque metuente, ne corriperetur et in vincula daretur. Quæ mala ut

vobis hunc ad modum contingerent, deprehensum est me partem contulisse vix millesimam; finis autem ut iis imponeretur, ego solus in causa fui. Et nihilominus tamen effugere non possum, quo minus sim mortalium omnium infelicissimus: nam quo tempore procella hæc in remp. incumbebat, fama vulgaris ferebat esse neminem diis natum magis iratis, quam ego essem; et rursus, reddita reipublicæ pace atque securitate, sum tamen unus ego omnium miserrimus. Mala enim reipublicæ, tot illa numero atque tanta, sanari nullo alio modo quam dedecore meo poterant, quo fiebat, ut, quod mihi noceret, id ipsum saluti vobis esset. Quapropter consentaneum est, me per hoc infortunium meum non odium a vobis aufferre, sed gratiam potius inire.

2. Verumtamen ego calamitatis meæ tum temporis intelligens, nam profecto non novi genus ullum malorum dedecorumve a quo intactus mansissem, sive cœcitate mentis meæ delusus, sive necessitate rerum circumstantium constrictus, rebar et vos unum hoc maxime juvare et mihi expedire, ut ad illud vitæ genus me demitterem, et in illum terrarum angulum me abderem, ubi minime vestris oculis essem obversaturus. Ut autem tandem aliquando me, id quod fieri par erat, et desiderium cepit illius vitæ, quam olim civis vester inter vos egissem, et tædium istius commorationis, unde me huc ad vos retuli, statuebam expedire mihi, ut aut de vita prorsus decederem, aut tanto remp. mihi obstringerem beneficio, ut vos haud inviti essetis passuri me inter vos æquo cum jure civili versari. His ego momentis impulsus feci ab eo inde tempore, ut nulli parcerem neque sumptui e re mea familiari faciendo neque molestiæ corpore meo exantlandæ, nullumque ut defugerem periculum; sed tunc statim in castra vestra ad Samum induxi remiges, Quadringentis jam rerum hac in urbe potitis, Archelao homine Samio, quo pater jam familiariter usus fuerat, indulgente mihi atque concedente quæ vellem omnia fieri, et a me importari atque exportari quos vellem. Ita factum est, ut ego remiges illos inducerem, pro quibus quanquam licebat in singula capita quinas drachmas poscere, dedignatus tamen sum plus poscere quam ipsi mihi constitissent: sed frumenta quoque præterea et arma induxi, quibus illi alti armatique postmodum Peloponnesiacos prælio navali vicerunt, solisque mortalium omnium his debet respublica, quod servata tum fuerit. Quodsi ergo illi ita de vobis promeriti sunt, ut labores eorum pro vobis exantlati in numero ingentium beneficiorum haberi paribusque præmiis rependi debeant, videor mihi ego quoque in partem hujus laudis haud minimam venire. Ego enim si alimenta ad eos nulla advexissem, tantum abfuisset, ut de restituenda republica cogitarent, ut potius ne suam ipsi quidem salutem atque vitam tueri potuissent. Verumenimvero, quanquam res ita se habebat, ut studii mei præmia a vobis sperare

possem lautissima, huc tamen appulsus res reperî multum a spe mea discrepantes. Proficiscebar nempe Samo huc, nullus dubitans, fore ut industria mea bene de vobis promerendi paratas penes vos laudes reperiret: sed secus cecidit; Quadringenti enim ut cum nave me appulsum ad portum vestrum audiverant, protinus me requirebant inventumque in senatum inducebant. Ibi Pisander in medium progressus: Viri senatores (inquit), lateri meo adstans, ego vobis hunc hominem indico, ceu hostem causæ nostræ; hostes enim nostros adjutavit frumentis et remigibus ad eos convectandis. Quibus ille dictis, totam protinus rem ut gesta fuerat exsequebatur. Actum de me tum videbatur, et ipse jam de salute mea desperabam: nihilominus tamen ex hoc tanto discrimine salvus elabebar, beneficio secundæ cujusdam fortunæ. Incidebat adventus meus ad urbem in illud tempus, quo jam in urbe innotuerat, in castris ad Samum agentes a Quadringentis dissentire. Orantem itaque Pisandrum cum senatorum permulti fremitu secundarent, unde ego mortem mihi augurabar instantem, nil cunctatus ad aram Vestæ supplex accido et simulacrum deæ aliaque quæ ibi sunt sacra manibus amplector. Id quod a me factum tanti penes me fit, ipseque mihimet eo congratulor, ut haud diffitear, ei uni facto me meam salutem debere; nam si me ab ara abstractum occidissent, impietatis erga deos commissæ infamiam ipsi sibi contraxissent; verum hi majore mei, quam homines, commiseratione moti sunt, quippe qui spiritum hunc conservarunt, quem homines illi exstinctum ibant. Quas autem quantasque molestias postmodum a carcere vinculisque toleraverim, longum sit enarrare. Devenit oratio mea in locum luctuosum, ut sæpe me meæ sortis misertum fuerit prorsus lamentabilis: qua enim in re populus injuriam noxamque videbatur accipere, ea res multa in mala me conjecit; rursus illud idem emolumentum, quo populum ornaveram, parum abfuit quin pestem mihi afferret. Adeo clausæ mihi septæque omnes erant ad bene sperandum fidendumque viæ. Quoquo enim me verterem, ibi malum mihi paratum cernebam. Verumtamen his quoque tantis malis tandem liberatus, nihil habui prius neque antiquius, quam ut remp. ornare beneficio quodam studerem.

3. Decet autem vos, Athenienses, considerare, quanto genus hoc officiorum quod ego vobis præstiti, officiis præstet iis quibus alii vos demerentur. Civium enim vestrorum quicunque negotia vestra tractantes pecunias vobis conficiunt, num quid agunt aliud quam ut opes vobis vestras administrent? militarium porro vestrarum copiarum imperatores, num quid aliud, quam corpora vestra molestiis conterunt et capita vestra periculis objiciunt et ærarium vestrum exinaniunt, quo efficiant aliquid, quod e re vestra sit? In quo si quid etiam peccarint, non ipsi dant pœnas, sed vos pro illis luitis.

Et nihilominus tamen iidem a vobis coronisque et illarum coronarum præconiis ornantur, ceu viri fortes atque boni. Neque ego infitiabor recte ita vobis fieri: magna enim virtus est patriam ornare, quocunque quisque modo potuerit. Verumtamen hoc certe necesse est neminem non cernere, summi debere illum fieri, si quis opibusque suis ipsoque corpore in aleam datis promereri cives suos haud recuset.

4. Jam quæ in vos jam dudum contuli, videmini mihi vos omnes propemodum ea tenere: quæ autem imposterum vobis sim commodaturus et quæ jam nunc instituam paremque vobis profutura, ea cum quingentis e numero vestro, hoc est cum senatu, communicavi; quos in capiendis consiliis minus aberraturos esse consentaneum est, quam si vos oporteat, a me doctos hæc eadem, jam nunc statim super iis in deliberationem ire. Illi enim, senatores vestri, de rebus ad se relatis per otium deliberant, errorumque si quos committant rationem vobis debent turpemque in famam apud vos reliquos cives incurrunt; quapropter necesse est, eos in capiendis consiliis summa fide atque circumspectione versari: vos autem ipsi quicquid tandem ulla de re decernitis, nemo est, qui vos ideo incuset, si quid inde secius eveniat; æquum enim est, vobis salvum esse jus vestrum, vestris de rebus pro arbitrio vestro, sive bene sive secus statuendi. Quæ tamen extra illa sub silentii fide senatui commissa communicari vobiscum possunt, ea, cum jam gesta atque peracta sint, ex me nunc audietis. Nostis nempe, diditum ad vos permanasse rumorem, frumentum e Cypro nullum huc esse perventurum; et erant profecto qui id agerent, atque machinarentur, ut ea vos clade afficeremini: ego vero, ut illi spe atque designatione sua exciderent, nihil mihi ad contentionem feci reliquum, ut efficerem. Quibus autem id modis artibusque effecerim, nil attinet vos ex me audire; id unum vos nolim ignorare, quod nunc agitur: quatuordecim naves granis onustæ tantum non jam nunc in Piræeum invehuntur, reliquæ jam dudum e Cypro evectæ haud multo post simul omnes appellent. Vitam mereri nolim, si vobis quoque jam nunc arcana possim eadem illa impertire, quæ senatui impertii, quo eo jam nunc sciretis, vel ante quam effectui dabuntur. Verum quoniam id non licet, intelligetis illa tum temporis, quum effecta erunt, unaque fructum eorum percipietis: jam vero si velitis, Athenienses, gratiam mihi quandam indulgere, eamque exiguam nulloque vobis labore constituram, rem feceritis perquam mihi jucundam futuram. Quam justa autem et æqua sit eadem, intelligetis nunc. Quod enim vos ipsi ultro mihi decreveratis olim et dandum promiseratis, postmodum autem ab aliis aliam ad sententiam traducti rursus ademeratis, id idem nunc, aut peto, si vultis, aut, si mavultis, repeto atque reposco, atque hoc magis quo vos estis liberaliores. Sæpe enim video, vos servis adeo

hominibus peregrinisque omnis generis, aliis jus civitatis, aliis ingentia in ære dona dantes, si qui bene de vobis meriti visi fuissent. Et sapienter quidem sic datis: facitis enim hoc pacto, ut a quamplurimis beneficiis cumulemini. Illud itaque, quod ego vos unum rogo, hoc est, ut immunitas ea mihi restituatur, quam olim dedistis per illud decretum, quod auctore Menippo meam in gratiam tulistis. Quod decretum scriba vobis recitabit: adhuc enim superest in tabulario senatus.

DECRETUM.

5. Quod modo audistis, Athenienses, decretum, id cum ipsi meam in gratiam tulissetis, rursus alius cujusdam in gratiam postmodum ademistis. Sed date hoc precibus atque flagitationibus meis, ut tandem aliquando desinatis mihi succensere, si cui vestrum simultatis aliquid atque malevolentiæ adhæsit ex iniquis criminationibus conceptæ. Verum enim si est, quod utique est, quæcunque homines mentis errore delinquunt, eorum culpa corpus vacare, corpus hoc meum extra culpam est, quippe quod adhucdum idem est atque olim fuit, tum nempe, cum mens crimen committeret, cujus nihil ad corpus pertinet, mens autem, quæ culpa tenetur, nunc est nova mihi prorsus ab illa pristina diversa: quocirca nihil jam superest, ob quod merito mihi succenseatis. Quemadmodum autem tunc temporis indicia rerum gestarum pro indiciis omnium certissimis habentes, aiebatis oportere me in numero hominum improborum haberi, ita hujus meæ quæ nunc est ergo vos voluntatis nolite ullum aliud quærere documentum, præterquam illam recentissimam fidem officiorum a me vobis nuper admodum præstitorum. Nova enim hæc benevolentiæ erga vos meæ indicia multo magis, quam illa vetusta malevolentiæ, mihique conveniunt et in usu atque more sunt mei generis. Mentiri quidem si juvet, haud possim seniores certe vestrum quotquot assident fallere: verum non mentior, sed verum aio, affirmans, Leogoram patris mei avum paternum, cum potuisset in gratiam cum Pisistratidis redire, quibuscum studio partis popularis dissidebat, contractaque cum ipsis affinitate potuisset æqua tyrannidis portione potiri, maluisse tamen cum plebe molestias exsilii tolerare, quam patriæ proditor esse. Quapropter consentaneum est, me quoque libertatis studiosum et plebi deditum esse, cum propter exempla majorum meorum, tum propter eam mentem, quæ si prius mihi non fuit, nunc est. Pari de causa vos quoque decet, ubi constiterit vobis hominem frugi me nunc esse optimeque de vobis meritum, studia mea hoc benevolentius acceptare. Immunitatem a vobis semel mihi tributam, quod rursus ademeritis, certiores vos facio, credite mihi vere affirmanti, me id nunquam ægre tulisse: ubi enim horum hominum præstigiis hoc tribuistis, ut

ab eorum insidiosis et ad imponendum compositis orationibus induci vos pateremini ad consilia capiendum teterrima vobisque ipsis pestilentissima, ut nempe pristinum vestrum imperium cum servitute mutaretis, hoc est, ut, prodita libertate et æqualitate juris civilis, paucorum optimatium in potestatem vos dederetis, eccui mirabile possit videri, si callidæ atque captiosæ orationes imponere vobis potuerunt, ut iniquius de me statueretis? Verumtamen, quemadmodum in vestris ipsorummet rebus, si quid a dolosis auctoribus decepti deliquissetis, eorum decreta, qui male vobis suaserant, irrita fecistis, ex quo vestram illam pristinam libertatem atque majestatem recuperastis; ita velim vos de me quoque, si quid inclementius alieno motu statueritis, id abrogare atque exsecutionem ejus supprimere, operamque dare, ut neque hac in re neque in ulla alia quacunque cum inimicissimis vestri hominibus consentire videamini.

ANDOCIDIS

DE PACE CUM LACEDÆMONIIS

ORATIO.

ARGUMENTUM.

Bello Græcorum in longum producto, Atheniensibusque et Lacedæmoniis multa mala passis, et utrorumque sociis, Athenienses ad Lacedæmonios legatos miserunt, quibus omnia permiserant: quorum unus Andocides erat. Quibusdam vero a Lacedæmoniis antea ordinatis privatimque legatos mittentibus, visum est intra quadraginta dies populum de pace consulere. Propterea Andocides Atheniensibus consulit, ut pacem accipiant. Consultationis itaque forma est, caput negotii utilitas. Philochorus dicit legatos a Lacedæmone venisse, reque infecta discessisse, Andocide non persuadente. Dionysius vero orationem Andocidis non esse dicit.

1. Pacem iniri æquam et legitimam multo esse satius quam bellum geri, probe id vos omnes nosse videmini, Athenienses: sed oratores vestros nomini quidem pacis locum dare, rebus autem adversari per quas pax coalescit, id vero non omnes cernitis. Territant nempe vos hoc jactando rumore, pax ubi coaluisset, nihil esse magis verendum, quam ne forma qua nunc utimur reip. gubernandæ mutetur. Qua oratione nihil arbitror esse vanius: quodsi enim populus Athen. nunquam antea cum Lacedæmoniis pacem contraxisset, merito primum ejus periculum reformidaremus, cum ideo quod rei usu careremus, tum quod Lacedæmonii infidi sint et perfidiæ infamia laborent; sin autem antehac sæpe numero pacem cum Lacedæmoniis inierimus (et iniimus) salva libertate nostra, ecqui parum sit consentaneum ad illa vetusta exempla nos respectare et quærere quæ pactorum nostrorum cum illis sors fuerit? Oportet utique, Athenienses, e vetustis futura colligere. Age itaque per exempla eamus. Bellum in Eubœa gerentes, Megaramque tenentes et Pegas et Trœzenem, pacis tamen desiderium nos incessebat; quo factum, ut Miltiadem Cimonis filium ostracismo e civitate ejectum e Cherrhoneso, quo relegatus fuerat, revocatum, civitate rursus reciperemus eam ipsam ad rem, quo ante feciales nostros Spartam missus, quippe qui Lacedæmoniorum Athenis procurator esset, negotium pacis constituendæ prælibaret eique aditum communiret. Miltiadis hujus opera conciliatæ tum fuerunt cum Lacedæmoniis in annos quinque induciæ, quas ambo populi in annum a decimo tertium conservavimus. Age primum videamus hoc, utrum per hanc pacem forma

regiminis popularis hac e civitate fuerit sublata. Profecto nemo est, qui id factum doceat fuisse: ego contra, quot et quanta bona vobis ex hac pace effloruerint, docebo. Primum, Piræeum mœniis tunc sepsimus intra illud quod dixi tredecim annorum spatium, tum arcem borealem condidimus: quarum navium ministerio Persam deviceramus eoque facto Græciæ libertatem asserueramus, cum eæ naves vetustate dissolutæ militiæque maritimæ inhabiles factæ fuissent, earum in locum centum numero novas alias triremes construximus: tum primum trecentorum equitum instituimus militiam, totidemque Scythas sagittarios ære nostro redemimus. Bona hæc sunt ad remp. ab illa cum Lacedæmoniis pace profecta; hæ copiæ illlinc partæ. Interjecto tempore post rursus bello cum Æginetis sumus impliciti, quo in bello multis utramque in partem datisque acceptisque cladibus, denuo nos desiderium pacis subiit; quo factum est, ut ex universa civitate decem legati Spartam de pace constituenda arbitraria cum potestate mitterentur, quorum in numero quoque Andocides erat avus noster. Hi legati pacem nobis cum Lacedæmoniis trigintennem conciliarunt. Hoc toto tempore estne unquam majestas populi imminuta? Negas: quid tum? Suntne tum deprehensi, qui convellere civilem constitutionem conarentur? Nulli usquam sunt: nemo certe est, qui fuisse doceat. Quid? quod alia omnia evenere. Pax hæc sublimem sustulit populum Atheniensem ejusque nervos adeo corroboravit, ut illo in otio mille talenta argenti in arcem intulerimus, eaque ut populo propria et consecrata essent lege sanxerimus; nec non triremes de novo centum alias fabricaverimus, etiam ipsas pari modo solius reip. usibus consecratas; navalia item ædificaverimus, mille et ducentos equites constituerimus totidemque sagittarios, et illa longa mœnia australia communiverimus. Hæc sunt illa bona per hanc secundam cum Lacedæmoniis pacem reip. parta, et hæ sunt copiæ illinc ei quæsitæ. Rursus exorsi ob Megarenses bellum, cum necessario bonis multis careremus, agro nostro ferro et flammis hostium permisso, pacem denuo fecimus, auctore atque conciliatore Nicia Nicerati filio. Atqui nemo vestrum est omnium quem fugiat, per hanc Niciæ pacem septies mille talenta pecuniæ signatæ a nobis in arcem illata fuisse, triremes plus quam quadringentas comparatas: in vectigalibus redibat quotannis plus quam mille et ducenta talenta: tenebamus tum Cherrhonesum et Naxum et Eubœæ plus quam dotrantem; reliquas enim colonias tum temporis a nobis deductas enumerare longum sit. His fruentes bonis rursus in bellum cum Lacedæmoniis incidimus, impulsu tum quoque Argivorum.

2. Jam recordamini mihi, quæso, Athenienses, ante omnia, quid ego a principio inde hujus orationis et vobis animo spectandum et

mihi oratione agitandum proposuerim. Num quid aliud, præterquam hoc, nunquam esse per pacem factum ut majestas populi Athen. convelleretur? Atqui planum hoc feci, neque fuit qui me id commentum aut mentitum fuisse coargueret. Sed audio quosdam jactantes, e novissima nostra cum Lacedæmoniis pace triginta tyrannos exstitisse, a quibus multi præclari viri cicutam bibere coacti exspirarint, alii solum verterint. Quæ qui jactant, næ multum illi falluntur: multum inter se, multum pax et induciæ differunt. Pacem enim ineunt, qui, æquales viribus et dignitate, de causis discordiarum suarum inter se prout convenerit paciscuntur: inducias autem victores in bello facti victis pro arbitratu suo imperant. ut, e. c. Lacedæmonii nuper belli victoria potiti nobis et mœnium demolitionem et classis deditionem et proscriptorum revocationem imperarunt. Tunc itaque induciæ fiebant per necessitatem ex imperato: nunc autem de pace deliberatis ineunda. Spectate differentiam ex ipsis formulis conditionum, et tum imperatarum prout in stela scriptæ prostant, et earum quæ vobis nunc ultro pacis condendæ ergo offeruntur. Ibi mœnia vestra vestris manibus demoliri jubebamini; hic potestas datur collapsa rursus exædificandi: tunc naves habere non concedebatur, nisi duodecim; nunc tot habendi vobis venia datur, quot ipsi vultis: tunc cavebatur, ut Lemnus et Imbrus et Scyrus in possidentium jure atque potestate essent, nunc vobis permittuntur: proscriptos receptare nemo nunc invitus cogitur; tunc autem necessum erat, unde libertas popularis interempta fuit. Ecquanam in re novæ hæ pacis conditiones cum conditionibus illis superioribus induciarum conveniunt? Brevis ut sim, ita causam definio atque aio me censere, pacem quidem populari regiminis constitutioni conducere ejusque nervos consolidare, bellum autem pestem libertatis civilis esse. Et hæc quidem hactenus.

3. Bellandum autem nobis esse, cum sint, Athenienses, qui aiant; age quæramus, quamnam tandem ob causam bellemus. Mortales, ni fallor, omnes in eo consentiunt, ut aiant, bellum eo esse suscipiendum, quo aut ipsi a se depellant injurias sibi oblatas aut ut aliis succurrant vim passis. Utrumque nobis evenerat: et ipsi læsi fueramus injuriis, et Bœotos defensum ibamus pariter oppressos. Quodsi ergo et nostræ res eum sunt in locum perductæ cum Lacedæmoniis, ut nil jam sit cur metuamus ne imposterum vexemur, et Bœoti pariter si decreverunt, Orchomeno pristinam in libertatem remittenda, finem discordiarum facere, quid porro, quæso, bellemus? Num, quo resp. nobis libera sit? Atqui est. Num, quo mœnia recuperemus? Atqui pax eorum copiam nobis facit. At, ut classem nobis liceat condere, navesque quæ jam sunt reparare et jure quo optimo tenere atque exercere? Atqui

etiam hoc licet: pacta conventa enim civitatibus libertatem reddunt, ex suis cujusque legibus et institutis rem civilem administrandi. At ideo tamen utique bellemus, quo insulas recuperemus, Lemnum et Scyrum et Imbrum? Annon in conditionibus pacis planis et expressis verbis cautum est, has Atheniensium fore. At hæc denique tamen idonea bellandi causa erit, ut Cherrhonesum nostrasque ibi colonias et possessiones et æra nobis debita recuperemus? Atqui rex Persiæ intercedet; intercedent item socii nostri, sine quorum auxilio ista obtinere nequimus. Verumtamen bellandum utique tantisper, medius fidius, erit, donec Lacedæmonios eorumque socios debellaverimus? Atqui non videntur mihi eæ esse copiæ nostræ, neque rerum nostrarum ea ratio, ut id nobis facile factu sit. At fac tamen tandem negotium hoc prospere succedere et ex animi nostri sententia confici; quæ tum nobis erunt et quanta mala a barbaris toleranda! Fingamus jam, hoc quod dixi bello esse propositum, depressionem et exstirpationem Lacedæmoniorum hoc bello spectari et quæri, præsto nobis esse pecuniarum quod satis sit, virisque nos florere et abundare: at ego tamen vel sic quoque bellandum esse negem. Quod si autem neque causa bellandi est idonea neque viri sunt neque arma neque pecuniæ, qui jam non erit nobis pax omni pacto ineunda?

4. Etiam hoc, Athenienses, meditari vos velim, agi nunc a vobis hoc et quæri, ut pacem libertatemque cunctis Græcis communem pariatis, rerumque atque jurium communionem omnium omnibus impertiatis: atqui hoc aut per pacem hanc, aut alio nullo pacto, obtinebitis. Recogitate modo, civitates primariæ quo pacto bellum componere paratæ sint. Primo loco Lacedæmonios spectate: bellum hi adversus nos sociosque nostros exordientes principatum terra marique tenebant; verum hunc geminum principatum iidem nunc per hanc pacem rursus amittunt, non coacti armis vestris, sed libertati universæ Græciæ eum condonantes. Belli enim victores sunt sine controversia, quippe qui tribus præliis vicerint: primo illo apud Corinthum, quo socios nostros omnes in armis præsentes, sola virtute sua præpollentes omnibus, ita vicerunt, ut victis excusationem nullam relinquerent; rursus Bœotos, duce Agesilao, pari cum gloria virtutis excellentis atque haud controversæ vincebant; tertio prælio, cujus exitus is fuit, ut Lacedæmonii Lechæo potirentur, Argivos quidem cunctos cunctosque Corinthios, nostrarum autem copiarum Bœoticarumque eam solummodo partem vincebant quæ tum in castris aderat. His tantis editis facinoribus, in armis prevalentes Lacedæmonii bellique victores pacem tamen vobiscum inire nihilominus parati sunt his legibus, ut ditionem suam illam pristinam salvam tutamque habeant teneant, ut reliquæ civitates Græcæ sui juris suæque spontis sint, ut mare denique sibi victoribus cum victis

commune sit. Atqui, amabo, quam duram illi et quam intolerabilem fuissent a vobis pacem impetraturi, si vel unum solummodo prælium amisissent? Bœoti autem, quonam pacto pacem contrahere volunt? Orchomeni causa bellum cum suscepissent, quam pati nollent suæ spontis esse suoque jure civili libere uti, nunc, tot numero viris fortibus amissis, parte agri devastata, ærarioque publico exinanito, et re cujusque privata exhausta, pecuniisque iis omnibus incassum effusis et perditis, bello quartum in annum extracto, pacem admittunt hanc in legem, ut Orchomenus libera suique juris sit: frustra itaque laborarunt, frustra jacturas illas omnes virorumque pecuniarumque fecerunt, frustra molestias illas omnes pertulerunt, qui potuissent damnis illis omnibus vacare, si a principio statim libertatem Orchomeno haud denegare ipsique quieti vacare voluissent. Videtis jam, quo pacto Bœoti pacem contrahant. At vobismet ipsis quo pacto licet, Athenienses, pacisci? Cogitate, quæso, quales Lacedæmoniorum erga nos experti simus animos atque mores, et quales hi rursus erga se nostros. Veniam huic orationis meæ parti deprecor, si quem vestrum fortassean offensura sit: non enim dicam, nisi id, quod res est. Classe in Hellesponto amissa cum obsideremur, quamnam de nobis sententiam pronuntiarunt hi, qui nunc belli societate vobiscum copulati sunt, tunc autem cum Lacedæmoniis faciebant? Non hanc, ut liberi quotquot essent pro mancipiis vænirent et urbs nostra incolis desolaretur? Quæ quominus fierent, quinam intercesserunt? Nonne Lacedæmonii, qui soli socios ab illa funesta et furiosa sententia averterunt, ipsi autem ne commiserunt quidem ut vel deliberatio solummodo de re tam atroci proponeretur? Postmodum, jurejurando cum fidem ipsis nostram obstrinxissemus precibusque conditiones induciarum eas ab ipsis impetravissemus, quæ stelæ insculptæ supersunt adhuc, volenti cuique noscitandæ atque legendæ, duras quidem illas et in se exsecrabiles, verumtamen, prout in illo temporum articulo misera rerum erat conditio, satis etiam optabiles, ut vel congratulari nobis deberemus, quod leges latæ nobis non essent adhuc duriores, in formulam pactorum condictorum inducias egimus: deinde contracta cum Bœotis et Corinthiis societate belli, quos a societate Lacedæmoniorum abstraxeramus, Argivosque innectendo amicitiæ olim aliquando diris publicis devotæ atque interdictæ, necessitatem Lacdæmoniis imposuimus pugnæ apud Corinthum committendæ. Persarum autem regem quinam ipsis infestum reddidere? Cononem quinam classe instruxerunt, quinam copiis armarunt navalibus, ut eo posset prælio navali Lacedæmonios concidere, quo prælio principatum maris illi amiserunt? Et nihilominus tamen, istæc a nobis passi, Lacedæmonii nobis eadem, quæ socii nostri, concedunt ut habeamus, offeruntque mœnia, classem, insulas. Ecquæ jam erit ea pax, cui nos per legatos conciliatæ par sit acqui-

escere? Nonne impetratis ab hoste conditionibus iis, quas ipsi socii offerunt, et, quæ ut nobis concederentur, ideo bellum primitus exorsi fueramus? Et reliqui quidem omnes paci serviunt, tametsi partem bonorum suorum dedere atque amittere a pace cogantur; nos autem pacem recusabimus eam, per quam non solummodo jactura nulla facienda sit, sed etiam ad præsentia bona, alia nova, ultro oblata, sint accessura?

5. Ecquid igitur superest, de quo dignum sit deliberari? Quænam illa sunt ad quæ Argivi nos invitant? Primum doceri velim, Bœoti si nos deserant, renunciata nobis societate belli initaque cum Lacedæmoniis pace, quanti tum Corinthus facienda nobis sit? Recordamini nempe, quæso, Athenienses, diei illius qua cum Bœotis belli societatem inibamus quanam id mente faciebamus? Non existimantes, si Bœotorum copiæ ad nostras accessissent, idoneas fore copulatas hasce copias ad repellendum vel universum genus humanum? Nunc autem deliberemus, ubi a Bœotis deserti fuerimus, utpote cum Lacedæmoniis reconciliatis, num et quo pacto sperandum sit, ut arma Lacedæmoniorum sustineamus. Næ, aiunt quidam, sustinebimus, Corinthum si custodiamus Argivosque belli socios si habeamus. Atqui Lacedæmonii Argos si adoriantur, utrum faciemus? opemne feremus Argivis, necne? Non enim facere poterimus, quo minus horum faciamus alterutrum. Sive enim Argivis succurrere insuper habebimus, nullam nobis reliquam faciemus excusationem, quominus Argivis injuriam fecisse videamur, et quominus Argivi, in agrum nostrum incurrendo et in nos pro lubitu sæviendo, si faciant, perfidiæ pœnas a nobis meritas repetere videantur: sin autem Argivis præsto erimus et laboranti ipsorum urbi succurremus, nonne parata nobis et inevitabilis erit cum Lacedæmoniis armis decernendi necessitas? Procul dubio. Dimicabimus igitur. Quo quid fiat? quo nobis emolumentum contingat, ecquodnam? quo nempe aut vincamus, aut victi discedamus. Sed victis quid fiet? Scilicet, cum ditione Corinthiaca una nostram quoque amittemus. Sed facta victores nos esse dicessuros. Corinthum nempe Argivis in potestatem trademus. Non propter hoc tum bellemus? Age, jam Argivorum quoque spectemus causationes. Hortantur nempe nos, ut secum et cum Corinthiis in societatem congressi bellum adversus Lacedæmonios exordiamur, ipsi tamen seorsim pro agro suo ab hostilibus incursionibus eximendo stipulantur. Quo fit, ut fines suos tutos habeant, ut in quos Lacedæmoniis ex pacto haud liceat aream Martis inferre: porro proponenda nobis Lacedæmoniorum perfidia, terrent nos, quo minus audeamus cum iis pacisci, negantes Lacedæmonios pactis staturos, quæ nos una cum omnibus nostris sociis fecissemus; et iidem tamen Argivi negant unquam a Lacedæmoniis pactum esse violatum, quod Lacedæmonii secum privatim

inissent. Avitam sibi pacem hanc appellantes qua utuntur, cæteros Græcos omnes arcere contendunt ab usu pacis item avitæ [h. e. diuturnæ, perennantis, et a majoribus ad nepotes sine armorum interpolatione transeuntis]: scilicet extracto in longum bello, sperant fore ut Corintho potiantur, et, ubi eos vicissent [Lacedæmonios puta] a quibus nunquam non victi sunt, sperant futurum, ut eos in potestatem suam redigant, quorum opera atque auxiliis usi hos suos victores devicissent.

6. Hujusmodi spes participantes vos facere non poteritis, quominus alterutram harum duarum conditionum optetis, ut scil. aut cum Argivis arma Lacedæmoniis infesta inferatis, aut ad exemplum Bœotorum cum Lacedæmoniis paciscamini. Ego vero etiam atque etiam vereor, ne morbus ille noster domesticus atque familiaris etiam nunc nos incessat: solemus enim, melioribus amicis posthabitis, sequiores præferre; aliorumque causa bella gerere, quanquam licet nobis nostri causa quiescere et salvis esse. Exempla vultis? Accipite: oportet enim recordatione præteritorum adminiculo ad salubritatem honestatemque capiendorum consiliorum uti. Persarum itaque cum rege pactis induciis et amicitia in perpetuum duratura, quas inducias Epilycus Tisandri filius, matris nostræ frater, illa, qua ad regem Persarum functus est, legatione conciliavit, non multo post decepti ab Amorge, servo regis eoque fugitivo, ingens rerum nostrarum columen, opes regias, amisimus, et quasi rem vilem atque contemnendam abjecimus, atque amicitiæ cum rege amicitiam cum Amorge prætulimus, servum domino potiorem ducentes: qua contumelia rex ad iracundiam accensus et ad vindictam stimulatus, Lacedæmoniorum ad partes se transtulit, initaque cum illis belli societate, quinquies mille talenta ipsis ad bellum adversus nos gerendum administravit, quo factum est, ut Lacedæmonii, per has tantas opes superiores facti, nostras opes omnes everterint majestatemque nostram humo afflixerint ad nihilumque redegerint. Unum hoc erat de multis nostris scitis et egregiis prosperisque inventis: videtis jam quale id fuerit? Adde aliud. Syracusani olim aliquando nos per legatos adibant, rogantes, ut secum pro simultate amicitiam colere et pro bello pacem gerere mallemus, docentesque, quanto magis e re nostra facturi simus, si secum malimus, quam cum Egestanis atque Catanæis, belli societatem contrahere. Quid nos tum? Prætulimus nempe paci tum quoque bellum, et Egestanos Syracusanis, et otii domestici quieti qua poteramus gaudere Siculæ molestias expeditionis: quo factum est, ut flore juventutis nostræque et sociorum nunc careamus, lectissimis quibusque viris amissis, magnoque navium numero et ingenti vi pecuniarum opumque magnaque potentia mulctati, paucos quosdam, luctuosissimæ cladi superstites factos, cum dedecore domum reversos recuperaverimus. Postremo,

qui nunc Argivi huc venere vobis persuasum ut bellum denuo capessatis, ab iisdem induci nos nuper patiebamur, ut, pace quæ nobis tum cum Lacedæmoniis erat rescissa, in Laconicam infesta cum classe incurreremus: quo facinore ipsorum irritata ira multorum nobis fuit magnorumque malorum principium; bellum enim inde exarsit tam dirum et tam fatale nobis, ut tandem cogeremur mœnia nostra nostris manibus demoliri, classem hostibus tradere, exsules inviti recipere. Harum tantarum cladium in compensationem, ecquod nobis Argivi emolumentum attulerunt? ecquod discrimen pro Atheniensibus adierunt? Ecquid jam superest, quod volunt a vobis fieri? Hoc nempe, ut nunc quoque pro pace bellum optetis, ut Argivos bellorum vestrorum socios habeatis pro Bœotis, ut Corinthiorum factionem illam quæ nunc rerum potitur Lacedæmoniis præferatis. Quæ sunt tam fœda dictu, tam cogitatu horrenda, ut esse nolim quenquam, qui ea vobis, Athenienses, persuadeat: hominum enim parti sapientiori satis et super est documentorum in exemplis præteritis, ut denuo in idem saxum impingere caveant.

7. Sed sunt rursus alii, tanto ardore pacis quam citissime contrahendæ inflammati, ut illo ipso quadraginta dierum spatio, quod indultum nobis ad deliberandum fuit, negent quicquam opus esse; quid? quod eo ipso sibi factam a nobis querantur esse injuriam, quod copiam deliberandi vobis impetraverimus: missos enim nos ideo Spartam aiunt esse plena cum potestate decernendi atque stipulandi legatos, quo hac de re ad vos rursus ne referremus. Referendo ad vos hac tanta de re, quod saluti nostræ caverimus, eam pro cautione meticulositatem appellant, negantes unquam fuisse, qui, simplicitate atque sinceritate orationis consiliorumque usus, vos e malis vestris eripuisset, sed eos esse vos aientes, qui servari et ad salutem reduci nolitis aliter, quam aut clandestinis machinationibus quæ sedulo celentur atque ab oculis et a cognitione vestra amoveantur, aut captiosis strophis quibus deludamini. Quam ego orationis turpitudinem nego mihi probari. Etenim, Athenienses, bello quidem tenente, aio utique imperatorem frugi, reip. deditum eundemque prudentem, ejusque rei quam agit certum, oportere consilia sua clam plerosque agitare militesque ignoratione discriminum propositæque spei blandimentis delusos ad discrimina adducere; de pace autem agitantes legatos ea, quæ et cum universa Græcia communicanda sit et jurisjurandi religione sancienda et literarum monumentis consecranda stelæ publice fixæ insculpendarum, nego decere, ut committant, ut acta sua occulta sint aut ut callidis strophis vos circumveniant, imo vero laudem eos mereri magis quam notam, si, potestate a vobis data pro arbitratu suo decernendi atque paciscendi, nil usi summam consiliorum ad vos retulerint. Oportet itaque consilia quidem capere quam fieri potest tutissima, quæ autem semel depecti

fuerimus et jurejurando sanxerimus, ea rebus ipsis salva et rata præstare. Non sine causa hanc inculco pactorum servandorum constantiam, qui voluntatum vestrarum mirificam norim volubilitatem; cujus respectu par etiam atque consultum est, nos, quibus legatorum partes demandatis, non solummodo tenorem earum spectare literarum quas nobis pro norma dicendorum agendorumque additis, sed una quoque, et magis etiam, animorum vestrorum incredibilem revereri mutabilitatem. Soletis enim copias quidem jam præsentes et apparatas suspectas habere, de iis queri, mediocritatem atque insufficientiam earum contemnere; copias autem quibus caretis jactare, quasi jam iis instructi sitis: ubi bellare referat, ibi pacem appetitis; pacem rursus si quis conciliatum vobis eat, vos bona tum enumeratis quot et quanta bellum vobis pepererit, præsertim cum jam nunc sint, qui se negent intelligere quidnam prosint ejusmodi pacta, per quæ cum classis et mœnia nobis restituantur, tum de restituendis sibi suis possessionibus privatis in extero solo sitis, per bellum amissis, item de nominibus penes se incolis alienæ ditionis contractis diluendis, nil caveatur: illas enim vero possessiones, unde sibi victus olim fuisset, per pacem non restitui, a mœnibus autem se non pasci. Quibus istæc querentibus convenit a me pari modo satisfieri. [Non videntur nimirum hi, neque arctissimam cernere privati sui commodi cum rep. necessitudinem, neque intelligere, in classe et in mœniis velut in præcipuis quibusdam cardinibus versari prosperitatem publicam. Quod ita esse, perfacile est docere.]

8. Erat aliquando tempus, Athenienses, quo mœniis et classe carebamus. Quibus ut primum potiti sumus, primum gradum ad splendidam fortunam fecimus, et fundamenta posuimus eorum bonorum, quorum desiderio si adhucdum tenemini, age, comparemus nos quoque nobis eadem præsidia atque adminicula, quibus majores usi tantam potentiam reip. adstruxerunt, quantam alia nulla resp. consecuta est. Eam vero potentiam majores adepti sunt, partim a volentibus Græcis et eloquentiæ vi atque lenociniis delinitis, partim ab ignorantibus et circumventis, alia ære suo redemerunt, alia denique vi armorum invitis extorserunt. Eorum in numero, quæ majores a Græcis orationis comitate impetrarunt, hæc habentur, primum, ut quæstores ærarii Græcorum communis hic Athenis constituerentur; deinde, ut universæ Græcæ classi si quando conveniendum esset, hic in portu nostro conveniret; tum, ut cui civitati triremes propriæ nullæ essent, ei nos earum copiam de nostro faceremus: ignaris porro atque invitis Peloponnesiis mœnia condidimus; cujus fraudis ut nullas daremus pœnas, id a Lacedæmoniis ære nostro redemimus: per vim denique, ringentibus nequicquam adversariis, principatum Græciæ obtinuimus. Bona hæc atque decora spatio quinque et octoginta annorum cum parta

nobis tum usu fructuque exercitata sunt. Ad extremum autem bello fracti, una cum reliquis bonis etiam mœnia perdidimus, classemque nostram pro arrha fidei atque obsequii nostri ceperunt Lacedæmonii: et classem quidem sibi a nobis traditam susceperunt, mœnia autem nos ipsos manibus nostris demoliri coegerunt, metuentes, ne geminum hoc veluti principium habentes nos pristinam reip. gloriam atque potentiam restitueremus. Nunc autem hi iidem Lacedæmonii, oratione nostra permoti, per legatos suos adsunt, plena illos agendi atque paciscendi potestate instructos, et cum arrham nobis nostram reddunt, tum permittunt mœnia rursus habere classemque novam comparare, et insulas juris nostri esse. Et quanquam nunc secundæ fortunæ principium prorsus idem nanciscamini, quod olim majores vestri nanciscebantur, sunt tamen nihilominus, qui pacem hanc, quæ vobis hoc principium reddat, negent pacem esse appellandam, negent pro pace esse habendam. Procedere hos velim in medium atque docere — quod ut facere possint, nostræ providentiæ imputabunt, qui cavimus ut clausula hæc conditionibus pacis adjungeretur, ut quadraginta dierum spatium indulgeretur deliberando super his pacis conditionibus, probandæne an reprobandæ videantur —, docento itaque, si quid in illis conditionibus minus recte habet; licet enim id expungere: aut si quis adhuc addendum quid censeat, vobis volentibus et persuasis, id adscribito. Quæcunque ad hunc modum in literas relata et rata habita fuerint, iis si utemini, pace item licebit uti. Sin autem horum omnium nihil placet, bello licet decernere. In potestate vestra omnium est, utrum horum voletis, id optare. Adsunt enim Argivi atque Corinthii per legatos, qui docere contendent, bellum geri expedire; rursus Lacedæmone veniunt legati, ad pacem contrahendam vos adhortaturi. Causæ hujus arbitratio penes vos est, non penes Lacedæmonios; et hoc nostræ debetis cautioni. Partes itaque legatorum, quas nobis mandaveratis, rursus a nobis in vos transferimus, facimusque vosmetipsos omnes vestri legatos: quicunque enim mox in suffragando manus attollet, sive pacem sive bellum sciscet, perinde est habendus ac si ipse suo nomine legatione fungeretur. Age jam, decernite ea, quorum velim ut vos inposterum nunquam pœniteat.

ANDOCIDIS

CONTRA ALCIBIADEM

ORATIO.

ARGUMENTUM.

Andocides Alcibiadem Cliniæ filium accusat, quippe qui et orbis et sociorum res pessumdaret, luxurioseque viveret: populoque consultante, ut ipsum Andocidem relegaret, primum rejecit seipsum jam defendisse dicens innocentemque esse. Sæpe enim dictum est, eum qui suis propriis delictis obnoxius sit, ut se ipsum primum liberet, deinde alios calumniari. Causam alii definitivam, alii vero negotialem, esse dicunt. Accurata quidem causa est, nam a principio translatio est — refellit enim —: in fine vero negotialis, æquum enim dicit et utile, Alcibiadem relegari.

1. Non nunc solum, in hac quam cum maxime agitamus causa didici, rem publicam attingere quam sit anceps et fallax, verum etiam dudum ante, quam partem ullam reip. tractandam mihi sumerem, rem hanc duxi esse perarduam. Verumtamen boni civis atque fortis hoc autumo esse, ut caput periculis pro multitudine objicere nil dubitet, neque metu privatarum simultatum amandata reip. cura in otium secedat: per eos enim, qui rerum solummodo suarum privatarum satagunt, civitates nihilo fiunt neque splendidiores neque opulentiores; publica vero negotia qui administranda capessunt, his civitates incrementa sua libertatemque debent. Quorum ego studens in numero haberi bonorum virorum, gravissima incidi in discrimina; æquos tamen atque benevolos si vos nactus fuero judices, nil metuam, sed confidam certo futurum ut ex hujus judicii discrimine salvus ac sospes discedam, tametsi calumniis inimicorum et plurimorum et teterrimorum exagiter. Agitur itaque hoc quod mihi nunc certandum est certamine, non corona, sed hoc, utrum patria per decennium carendum mihi sit, nec ne; comparati mecum sunt hoc in certamine Nicias et Alcibiades: nostrum ergo, quicunque is erit, unum aliquem necesse est hoc infortunio feriri.

2. Legem hanc testulariam facere non possum quin reprehendam, quæ utrique jurijurando, cum illi quod civium, tum isti quod senatorum unicuique dicendum est, contraria sanxerit: ibi enim, in illis quas commemoravi jurisjurandi formulis, spondetis, vos neque civitate civium quenquam esse exterminaturos neque in custodiam

daturos neque extremo supplicio causa non audita addicturos; hujusmodi autem causarum ea est iniquitas, ut, neque die neque defensione dicta neque tabellis clam diditis, misero exterminando per tam longinquum tempus patria carendum sit. Fieri enlm per eam potest, ut nocentissimus quisque malo intactus abeat, innocentissimus percellatur; nam qui sodalium et conjuratorum numero prævalent, hi vincunt et secundiore cum fortuna discedunt: non enim sortiti judices disceptant hoc causarum genus, ut reliquas solent, verum universus populus hic intervenit. Præterea lex mihi alia ex parte deficere, ex alia modum excedere videtur; aut minor est justo, aut major est: privatorum enim delictorum hæc si pœna debet esse, justo est atrocior; sin autem criminum pœna est ad cunctam remp. pertinentium, tum ego eam minutam atque contemnendam arbitror esse: poterant enim hæc sive mulcta pecuniaria, sive carcere, sive extremo supplicio castigari; quæ castigationes multo sunt, quam ostracismus, acerbiores. Adde, quod, qui migrare hinc alio propterea jubetur, quod malus civis est, is hac pœna non emendatur: quoquo enim se contulerit, non desinet ibi malus esse, sed corrumpet etiam illam civitatem in quam se ingesserit; et non solummodo patriæ non minus insidiabitur postmodum, atque ante fecit quam expelleretur, sed vel magis etiam atque titulo juris speciosiore. Sin autem virum bonum extrudatis, ea die qua id faciatis, amicos quidem vestros incredibilem animo tristitiam atque ægritudinem esse concepturos autumo, inimicos autem lætitiam, intelligentes, si per imprudentiam atque inscitiam vestram contingat ut ex ejiciendis optimum ejiciatis, futurum esse, ut resp. ab hujus viri virtute toto decennio nullum fructum percipiat. Verum hinc quoque facile sit cernere legem hanc testulariam malam et noxiam esse, quod Græcarum omnium civitatum nulla hac lege ad exemplum nostrum uti voluerit. Atqui hominum omnium consensu ea scitorum habentur præclarissima atque saluberrima, quæ plebeiis perinde atque optimatibus conveniant, et in quorum appetitione quam plurimorum certet æmulatio.

3. Verumenimvero pluribus me hac de re disputare, haud video quid ad rem attineat; nihil enim profecto ad rem præsentem aut gubernandam aut mutandam multitudo verborum super hoc loco profecerit: quare unum hoc vos rogo, ut dicendorum æqui et communes velitis arbitri esse, et, ut reliquarum estis omnium rerum magistri atque gubernatores, ita hujus quoque sitis, hoc est, ut neque convitiorum importunitati neque adulationum intemperantiæ locum concedatis, sed modeste quidem atque composite causam dicenti patulas aures mentesque præbeatis propitias, infestas autem clausasque insolenti atque clamoso. Quo enim diligentius de uno quoque loco atque articulo rerum in medio propositarum audiveritis,

hoc melius vobis licebit de nobis statuere. Hæc hactenus. Accedo nunc ad ipsam causæ meæ dictionem.

4. Insimulatus nempe fui odii erga statum regiminis popularis atque factiositatis: verum, hoc quidem de crimine quod dicam, parum esse mihi relictum video. Quodsi hæc de me criminatio nondum in judicio fuisset agitata atque disceptata, merito vos accusatores ferretis eo de crimine me postulantes, mihique nunc necesse foret defensione maculam hanc purgare: posteaquam vero jam quatuor e judiciis, in quibus hac ipsa de causa judicatus ego sum, semper absolutus discessi, æquum haud arbitror esse me denuo cogi hac de re verba facere. Nam priusquam hæc causa in foro agitaretur, sciri nullo pacto poterat, verane esset an commentitia hæc criminatio: post dictam vero sententiam, quæcunque ea est, utramvis in partem, sive absolvens sive condemnans, perempta et definita est lis, et de reo pronunciatum, sons an insons sit. Grave itaque mihi et periniquum videtur, condemnatis quidem moriendum esse, etiamsi una solummodo tabella suffragia condemnantia numero plura sint quam absolventia, et ad mortis supplicium bonorum quoque publicationem adjungi; absolutis autem jamdudum et sæpius, iterum atque iterum sustinendas atque depellendas esse iisdem de criminibus actiones; et perdendi quidem extremisque suppliciis damnandi potestatem penes judices esse, servandi autem nullam, sed sententias eorum, ut mortem irrogantes ratas, ita salutem condonantes irritas et cassas esse; idque lege disertis verbis vetante, de eodem homine eadem in causa bis judicari, et tametsi vos fidem vestram de legibus tuendis atque exercendis jurejurando obstrinxeritis.

5. Quamobrem juvat, præterita omni mei prædicatione, Alcibiadis instituta et mores omnemque vitam memoriæ vestræ subjicere. Quod instituenti mihi dubitare occurrit unde ordiar, tot sunt numero delicta ejus et facto quasi agmine circumstant et ingerunt sese; quare delectu utar, et in præsentia tacita transmittam ea, quæ de stupris ejus matronarumque raptibus aliisque hujusmodi contumeliis, cum violentia conjunctis pacem civilem disturbante, commemorare possem; neque enim tempus ad dicendum mihi præfinitum his exsequendis suffecerit, et præterea civium perquam multorum in offensionem sim incursurus, si labes eorum domesticas et ulcera abscondita denudem: quæ autem in rep. mala patravit, ea mala injuriasque quibus et cognatos et civiumque peregrinorumque innumeros læsit (læsit enim primum quemque obvium sibi factum) ea demonstrabo. Primo itaque loco, ut hinc exordiar, auctor cum esset vobis factus, ut vetustum illum ab Aristide summa cum æquitate statutum modum pensionum a Græcis civitatibus contribuendarum reformaretis, eique rei ut se una cum aliis novem collegis

præficeretis, sociis vestris tributa propemodum duplicavit: qua in re cum planum atque testatum fecisset, quantum posset et quam esset formidandus, vectigalia publica suam in rem intervertit atque depeculatus est. Jam cogitare vos velim, neminem reip. vestræ pestem afferre præsentiorem, quam eum qui sociis vestris tributa geminata imponat, in confesso cum sit utrumque, et hoc, vestram omnem salutem in salute vestrorum sociorum esse sitam, et istud, socios multo nunc esse teteriore loco atque olim fuerunt. Civem itaque bonum et justum fuisse Aristidem si existimatis, convenit ut Alcibiadem hunc civem habeatis unum omnium nequissimum, quippe cujus scita et instituta scitis et institutis Aristidis adversa fronte repugnent. Quid enim hac nova tributorum descriptione effectum est? Hoc nempe, ut complures e civitatibus, quæ quibusque sunt patriæ, exsulatum eant, et in Thurios concedant habitatum. Prodet sese hæc sociorum erga nos simultas atque malevolentia, quamprimum fiet ut cum Lacedæmoniis bello maritimo committamur. Malum ego eum judico reip. dispensatorem, qui præsentis solummodo temporis habeat rationem, nullam futuri, plebique consiliorum auctor fiat, jucundorum magis, quam salutarium.

6. Satis equidem eorum mirari non possum tarditatem qui Alcibiadem status popularis studiosum dictitant esse, qui status æqualitatis jurium inter omnes communis tuendæ ergo est excogitatus et in vitam inductus, quam æqualitatem ne privatis quidem in rebus ab Alcibiade observari ipsi tamen cernunt, videntes cupiditatem atque superbiam et insolentiam, qua Calliam uxoris suæ fratrem exagitavit: sororem nempe Calliæ cum in matrimonium duxisset cum dote decem talentorum, coegit Calliam doti alterum tantundem addere, postquam Hipponicus Calliæ et mulieris pater, in castris apud Delium imperium militare gerens, vita excessisset; ab hoc enim Hipponico aiebat Alcibiades sibi præter dotem adhuc alia decem talenta promissa fuisse, si filium e filia sua suscepisset. Et quanquam Alcibiades, id quod e dictis constat, uxorem haberet domi ita dotatam, ut alia nulla unquam, ex quo Athenæ sunt, parem dotem alii viro attulerit, modis tamen illam tractavit tam indignis, tam se gessit lascivum, importunum, iniquum, insolentem, impurum, ut eam in domum, quam materfamilias ita laute dotata incoleret, scorta induceret et ingenuæ et servilis conditionis, eoque uxorem adigeret, matronam insignis pudicitiæ, ut domo mariti derelicta ad archontem questum iret de malis atque iniquis modis quibus a marito haberetur, cujus rei copiam leges uxori male habitæ dabant. Verum ibi vel maxime potentiam suam declaravit Alcibiades: conducta enim satellitum caterva impressionem in forum fecit et uxorem inde per vim et armata manu eduxit; quo facto

testatum ad omnes fecit, et magistratus et leges et cives reliquos a se flocci non fieri. Verum ne hic quidem substitit, sed et vitæ adeo Calliæ insidiatus est, quo solus ipse Hipponici facultates devoraret: nostis vos omnes, Alcibiadem coram vobis in concione insimulatum hujus sceleris fuisse: populumque bonorum Calliæ ab ipso Callia heredem dictum, si contingeret ipsi ut sine prole decederet; id quod metuens faciebat Callias, ne cupiditas Alcibiadis sibi exitium afferret. Atqui erga necessarios secum conjunctissimos qui se tam scævum atque tam immanem gerit, ut uxorem contumeliosissime habeat ejusque fratrem per insidias clandestinas de medio tollere conetur, ecquem ab eo animum, quos mores erga reliquorum quemque civium exspectabitis? non multo majori hos insolentia, superbia, immanitate tractabit? Omnes enim profecto alii homines carissimos habere plurimique facere solent necessarios. Præterea nudus et desertus ab amicis non est, ut facile et inulto lædatur; sed divitiæ, quibus circumfluit, adjutores ei vindicesque quamplurimos contraxerunt.

7. Quod autem omnium est indignissimum, is cum sit Alcibiades, tam sceleratus tam impurus, ea insolentia atque arrogantia, tamen quasi populi studiosissimus concionatur, aliosque optimatium studiosos et plebem exosos appellitat; et jam dudum mortem publice a vobis irrogandam meritus criminibus in vos commissis iisque studiis quibus deditus est, tamen, si qui, apud vos infamati atque suspecti vobis redditi, publice sint accusandi vestroque nomine actione criminali prosequendi, tum Alcibiadi partes accusatoris a vobis demandantur: quanquam ita est incivilis, ut alii Atheniensium nemini jus secum par et æquale aut etiam non multo saltim minus concedat, tamen civitatis se custodem fert, et ita vos nullo in loco habet itaque despicit et fastidit, ut, cum vobis in concione congressis et velut in unum corpus coalitis aduletur, tum viritim vestrum singulis quibusque insultet. Exemplum vultis? Eo processit audaciæ, ut Agatharchum pictorem, persuasum secum domum suam venire, coegerit ibi manere illamque coloribus incrustare atque picturis exornare; illoque necessitatem admotam precibus declinante verasque excusationes allegante (se nempe jam aliis operam suam elocasse), comminatus sit carcerem, nisi protinus sine ulla cunctatione sibi penicillum manumque commodaret. Quid ageret Agatharchus? necesse habebat necessitati præsenti servire: expingit itaque Alcibiadis domum, donec tandem quarto mense post opportunitatem nactus, clam custodes appositos auffugit; custodibus enim Alcibiades, veluti rex quidam, utebatur. Et nihilominus tamen idem Alcibiades tam erat impudens, ut ultro ad Agatharchum adiret, cum eoque velut injuriam passus quereretur, et tantum aberat ab ausorum per violentiam pœnitentia, ut potius pictorem insuper

etiam minis territaret, quod opus affectum destituisset: ibi pictori nihil proderat, quod civis liberæ civitatis, quod ingenuo loco natus esset: nil sibi pictor metuebat minus, quam si servus perinde fuisset, atque qui confessione omnium servi sunt. Quod cum factum ego mecum reputo, continere me non possum, quo minus indigner et ingemiscam sorti vestræ, cives: ne fures quidem atque latrones sicariosque vobis satis tutum est in carcerem abducere, quia actori ex titulo ἀπαγωγῆς, seu abductionis, mulcta mille drachmarum luenda in lege præscripta est, nisi partem minimum quintam suffragiorum obtinuerit: Alcibiades autem, cum civem vestrum domi suæ, velut in carcere quodam, tam diu coercitum tenuisset atque pingere coegisset, non tantum impune id abstulit, sed etiam hoc sibique aliisque videtur majestuosior atque formidabilior esse. Et reliquis quidem civitatibus, quibuscum pacta de jure commerciorum mutuo inimus, in literis, quibus hujus juris capita perscripta sunt, recipimus inter alia atque cavemus, hominem ingenuum neque in custodiam neque in vincula dandum esse; quam legem qui migret, ei ingens mulcta proponitur: ab hoc autem Alcibiade, quanquam ista patravit, nemo unquam pœnam neque privatim neque publice repetiit. Ego vero salutem omnium hoc uno autumo contineri, ut omnes magistratibus atque legibus pareant: quæ aspernans, firmissimum destruit civitatis præsidium. Acerbum semper et indignum est malum accipere, etiamsi ab iis accipiatur qui jura cuique debita nesciant: multo autem id est acerbius, si quis sciens volensque ea violet quæ summa cuique sunt atque carissima; ejusmodi enim homo palam quasi jactat et veluti præconio suo denuntiat omnibus quemadmodum hic Alcibiades quoque fecit, æquum se atque conveniens existimare, non ut ipse patriæ legibus obsecundet, sed ut vos libidini suæ serviatis.

8. Verum non in pictore substitit Alcibiadis audacia: processit ulterius. Taureæ casum, viri, recogitate, qui antichoregus Alcibiadi fuit. Lex est hanc in formulam scripta: Quoniam haud liceat peregrinorum saltatorum aliquem quem velis, actu jam saltantem, ex orchestra deducere, ideo fas esse, quem peregrinum videas id conantem atque parantem, ut, quamvis vetitum sit, tamen in publico saltet, eum impedire. Hanc in legem tam enormiter impegit Alcibiades, ut Tauream, spectantibus vobis et reliquis Græcis qui ludos spectatum et concelebratum convenerant, nil reveritus magistratuum majestatem, quamvis omnes tum in urbe adessent [eorumque opem implorare Alcibiades potuisset, atque debuisset, si quid a Taurea læsus sibi videretur], e scena verberibus exegerit, tametsi spectatores Taureæ studerent et Alcibiadem odissent, et chorum Taureæ quidem laudarent, Alcibiadis autem ne spectare quidem vellent: et Taureas tamen, quanquam hac insigni læsus injuria, nihil ista

acceptæ contumeliæ indignitate ad ultionem profecit; judices enim certaminis, alii metu Alcibiadis, alii gratia victi, victorem eum declararunt, pluris eum facientes, quam jusjurandum quo sese obstrinxerant. Et recte quidem atque consentanee judices mihi videntur Alcibiadis gratiam eblandiri voluisse, videntes, Tauream quidem, quamvis tantam pecuniæ summam in chori sui instructionem atque institutionem et exhibitionem profudisset, tamen inulta contumelia affectum; violatorem legum autem, tam enormiter legibus illudere ausum, immoderata abutentem potentia atque grassantem. Culpa tantæ repugnantiæ penes vos hæret, qui pœnas petulantiæ et arrogantiæ dispensatis: clam enim peccantes castigatis, palam autem lascivientes suspicitis. Qui fructus sunt hujus vestræ turpissimæ conniventiæ et gratiæ ad servitutis humilitatem abjectæ? Hi nempe. Contra fiunt omnia, atque per naturam rerum fieri oportebat: summa imis vertuntur. Adolescentes vestri non in gymnasiis sed in tribunalibus habitant, et seniores arma gerunt militiæque funguntur muniis; juniores autem orationibus consiliisque suis deliberationes de rep. moderantur, exemplo freti Alcibiadis, qui sceleribus committendis prorsus immaniter et belluinum in modum grassatur et furit. Exempli causa, in illa deliberatione, quæ de pœna a Meliis sumenda habita est, auctor fuerat Alcibiades, ut pro mancipiis vænirent: væniere: redemit e captivis Alcibiades mulierem aliquam Meliam e qua filium suscepit, nascendi sorte usum a jure naturæ hoc abhorrentiore quam Ægisthus olim usus fuit, quod natus fuit e pari hominum inter sese mutuo capitaliter exosorum: huic uni contigit, ut in necessariis arctissime secum copulatis haberet eos, quorum alter alteri injurias intulisset eas quæ in humanis excogitari possunt extremæ, altera ab altero easdem acceptas pertulisset. Mentem me meam dilucidius verbis declarare par est, et Alcibiadis crudelitatem pluribus exponere. Liberos quæsivit ex ea muliere, quam libertate privasset et in servitutem detrusisset, cujus patremque necessariosque occidisset, cujus patriam desolavisset. Ex ejusmodi muliere quem sperare poterat sibi filium nasciturum? inimicum nempe sibique et huic civitati quam fieri posset infestissimum: tot enim tantisque ille filius nothus Alcibiadis tenetur constrictus necessitatibus odii erga patremque patriamque Athenas exercendi. At enim vero vos talia scelera in fabulis quidem tragicorum videntes in scenam producta detestamini, atrocia ducentes atque infanda portenta; cernentes autem ipsi vestris oculis cum intra mœnia vestra fiunt, pensi non facitis. Quanquam illa quidem tragica scelera non nostis verene patrata quondam fuerint, an solummodo a poetis illusionis et oblectationis ergo conficta: hæc autem certo cum sciatis fieri, et fieri quidem contra jus et fas, tamen æquo fertis animo.

9. Adde, quod sint, quos nil pudeat de Alcibiade sic affirmare, non fuisse unquam civem tam fortem tam admirabilem tam præclare de patria meritum atque hic sit. Ego vero contra censeo, neminem unquam magis atque hic Alcibiades est in patriæ pestem natum esse, patriamque ab eo tantas esse clades accepturam tantamque rerum omnium perturbationem hunc esse creaturum, ut pristinorum malorum memoria præ his quæ hic concitabit ex animis hominum effluxura videatur: alienum enim a probabili exspectatione non est, ut, tale qui sibi vitæ principium instituerit, is abnormi quoque exitu ejus utatur. Sed est hominum sobriorum atque sapientium, ut incrementa civium modum excedentia præcaveant, reputantes secum, a talibus tyrannidas constitui.

10. Et sunt hæc quidem tam evidentia, ut Alcibiades ad ea nil videatur esse responsurus: at illud afferet, de victoria sua Olympiaca, et alia potius omnia defensioni suæ immiscebit, quam ut ea purget quorum incusatur. Verumtamen vel ex his ipsis ab hac causa alienis, quibus ingerendis ille vos ludificari conabitur, planum confido me facturum, eum multo esse digniorem, qui morte a vobis mulctetur, quam qui servetur. Narrabo nempe rem vobis, ut habet, a principio. Diomedes ad Olympiam descenderat par equorum agens, et e re familiari, quamvis illa perquam mediocri, tamen decus patriæque domuique suæ parere studens, quippe qui secum reputaret equestria certamina non a fortunis certantium gubernari, sed a temeritate sortis fortuitæ disceptari. Huic Diomedi itaque, tametsi civis vester is esset neque de contemptissimis, tamen Alcibiades par illud equorum de quo dico per vim extorsit, gratia apud munerarios Eleorum prævalens, et pro Diomede ipse certamen peregit. Quanquam, civem vestrum qui modis tam indignis tractavit, quid eum facturum existimatis fuisse, si quis alius sociorum vestrorum cum bigis equorum certare doctorum ad Olympiam venisset? Unquamne is permissurus fuisse vobis videtur, ut sociorum vestrorum quisquam ex adverso secum cursu equestri contenderet, qui, bigas cum civi vestro per vim eripuisset, alienis in equis discrimen certaminis experiri nullus dubitavit? quo Græcos docuit nil mirari, si quem eorum per vim atque nefas injuriis vexet, quippe qui ne civibus quidem suis æqui secum juris usuram relinquat, sed aliis bona per vim eripiat, alios pugnis et verberibus concidat, alios domi suæ coercitos teneat, ab aliis invitis pecunias extorqueat: quibus rebus omnibus perspicuum atque testatum facit omnibus, merum orationis jactabundæ ludibrium esse illam vestram tantopere celebratam democratiam, nomen speciosum, sed re cassum et tanti non faciendum: oratione cum ad vos in concionibus utatur adulatoris, auræ populari servientis, tum facinora de se edit tyrannum prodentia; non ausurus id facere, nisi usu suo didicisset, vos vocabuli [democratiæ] præstigiis in-

tentos, rem ipsam insuper habere. Lacedæmonii quidem æquo ferunt animo a sociis se vinci, si quis horum in certamen secum coire sustineat: Alcibiades autem Lacedæmoniis tam est dissimilis, ut pati nolit se vel a cive vinci, sed palam audientibus quamplurimis negarit se cuiquam concessurum, quem juvet secum in contentionem ullius cujuscunque rei descendere. Quid tum? non ex hujusmodi civium vestrorum moribus necesse est hoc consequi, ut civitates Græcæ animos a partibus vestris ad partes inimicorum vestrorum transferre a vobisque desciscere, et odium vestri imbibere discant? Verum Alcibiadis insolentia in Diomede deprimendo haud acquievit: ipsum suimet pœnituit, nisi universam adeo civitatem vestram contumelia respergeret, eaque publico in loco, quo se cum insolentia sua ad omnes jactaret. Legationem mittere soletis, id quod neminem fugit, quæ nomine vestræ reip. ludis Olympicis intersit: ab hac legatione, pridie diei sacrificii, rogabat ea vasa aurea atque argentea, quæ die ipso sacrificii spectaculi ergo in pompa traduci solent, ad unius diei brevem usuram concedi, quo ea in abaco spectatum exponeret; verum decipiebat legatos, a quibus illa vasa, rogatu suo, utenda, sub sponsione maturæ redditionis, acceperat; die enim postero malluvia atque thuribula vestra legatis reddere recusabat, quo ipse illis prior uteretur, quam legati nomine locoque vestræ reip. iis uti possent. Quo factum est, ut peregrinorum si qui rei veritatem ignorarent, videntes pompam reip. succedentem pompæ ab Alcibiade productæ, opinarentur legatos vasis uti ab Alcibiade mutuo acceptis; aut si qui tamen eorum sive rei veritatem a civibus vestris accepissent, sive ipsi per se jam nossent mores Alcibiadis vanitatis jactantiæque plenos et scurriles, reique quæ illi domestica est rationes tenerent, hi vos riderent, qui unum virum plus cuncta civitate posse sineretis.

11. Verum unum solummodo ex me audivistis insolentiæ genus ab Alcibiade tum demonstratæ, quum per ludorum Olympicorum occasionem domo abfuit; atqui dignum est hominem vobis a me proponi spectandum, qualem toto illius absentiæ tempore se gessit: regem se, non privatum gessit, qui id ageret, ut patientiæ vestræque et sociorum illuderet omniumque cervicibus insultaret. Socii quoque vestri tum testatum fecerunt, eum a se pluris quam vos fieri: Ephesii enim ei tentorium exstruxerunt duplo majus quam erat vobis exstructum; carnes ad sacrificia atque epulas et pabula equis Chii præbuerunt; vini præbitionem cæterorumque sumptuum attribuebant [Asiatici] Lesbiis. Atque tam prospere ipsi res succedunt, ut, quanquam cunctos habet Græcos insolentiæ suæ testes, pœnas tamen ad hoc diei nullas dederit: reliqui quidem magistratus quotquot vel in una sola civitate socia honores gessere, tenentur, iis defuncti, rationem administrationis suæ vobis reddere; hic autem unus vir, tam-

etsi a sociisque civibusque largitiones acceptarit et ab invitis expresserit et quosdam adeo cum facultatibus ipsa vita spoliarit, tamen hoc tot tantorumque facinorum tulit præmium, ut in Prytaneo epuletur, et præterea cum fastu odioque intolerabili in illa sese ementita victoria Olympiaca jactet, quasi non remp. illa victoria multo magis infamasset quam coronasset. Considerare atque memoria repetere si voletis, in cœptis ausisque Alcibiadis multa invenietis esse ejusmodi, ut alii, qui partem eorum ullam quamvis minutam ad tempus quamvis breve tentassent exercere, rem omnem suam familiarem pessumdederint. Hic autem, nullum non luxuriæ genus insana cum sumptuositate atque prodigalitate exercens, rem geminavit. Soletis vos quidem, parce atque frugaliter victitantes et ad rem augendam attentos, opum et pecuniarum cupidos appellitare; sed fallimini: hi non sunt. Nemo est lucri cupidior, quam nepotes et ganeones: hi quo pluribus indigent, hoc fœdiore atque sordidiore cum aviditate pecunias conquirunt. Facinus itaque de vobis edituri sitis fœdissimum, si caritate amplectami velutique in oculis circumferatis hunc, qui, vestris opibus abusus, eas materiam suæ libidinis insolentiæ atque scelerositatis fecit; postquam vos iidem Calliam Didymii filium, qui certaminum eorum omnium, quibus coronæ in præmium contentionis sunt propositæ, victorias [non equis alienis, sed] corpore suo meritas abstulit, testulario judicio condemnatum ex urbe ejecissetis, pensi non facientes, quod nervorum suorum contentione gloriam reip. peperisset. Recordamini quoque fortitudinis et sanctimoniæ majorum vestrorum, qui Cimonem, ob legum contemptum et ob facinus a patrio ritu abhorrens (sororem scilicet Cimon in matrimonio habebat), urbe jusserunt emigrare, tamesi non Cimon solum, sed etiam pater ejus Miltiades remp. palmis Olympicis exornassent: verumenimvero pensi non faciebant illas victorias; neque e palmis certaminum, sed e studiis, quemque judicabant.

12. Gentes porro nostras inter se si conferatis, nullo modo mihi conveniet genus hoc pœnæ: non enim facile sit, qui doceat, in gente mea ullam unquam fuisse, ea usum calamitate, ut per testulas urbe expelleretur; Alcibiadis autem genti ita est proprium et quasi domesticum, ut nemini Atheniensium omnium alii magis, quam huic, conveniat. Nam et maternus ejus avus Megacles et paternus ipsi cognominis obstracismo perculsi sunt; quocirca nil mirandum neque abhorrens ei accidet, si honos ei quoque decernatur idem qui majoribus ejus olim decretus fuit: præsertim cum ne ipse quidem Alcibiades videatur conaturus infitiari, hos majores suos se fuisse multis modis sapientiores, atque temperantiæ justitiæque studiosiores quamvis de reliquo Atheniensium illi omnium æqualium suorum erant flagitiosissimi æquique juris et legum contemnentissimi; hujus enim Alcibiadis tot sunt et tanta flagitia et scelera, ut nemo sit,

qui ea, etiamsi velit, pro dignitate rei, oratione notare atque exagitare valeat.

13. Et legem hanc testulariam qui tulit, ille mihi videtur eam tulisse, eos ad cives respiciens, qui potentia et auctoritate sua magistratus legesque prægravant, et quia oppressorum unusquisque sigillatim ab ejusmodi præpotentibus civibus pœnas repetere nequit, ideo lege hac ferenda pœnam constituisse ab universa civitate iis irrogandam, qua danda satisfieret injuriam passis: et in hoc civium præpotentium numero Alcibiades quidem est, ego vero non sum. Quater enim passus sum hoc de me haberi judicium in publico, quo cuique et accusandi et audiendi ergo accedere liceret; et privatas si quis unquam ob offensiones mecum experiri jure voluit, nunquam impedivi; Alcibiades autem, tot facinorum reus, a se tamen impetrare non potuit ut vel unius criminis pœnam cuiquam daret. Est nempe tam sævus et truculentus, ut non modo præteritarum injuriarum pœnas ab eo repetere nemo audeat, sed etiam multi metuant ne imposterum quoque novas alias injurias idem inultus ingerat: mala qui ab eo acceperunt, hi expedire sibi judicant, ut ne mussent quidem, sed injurias acceptas taciti devorent; Alcibiades autem, mala aliis inulta dans, parum sibi videtur egisse, nisi præterea quoque versutia, gratia, minis perfecerit, ut imposterum quoque impune sibi sit quicquid voluerit agere. Itane vero, Athenienses, egone exsilio dignus habebor, qui mortis pœna indignus habitus fuerim? eo in judicio, quo capitis causam egi, absolutus, nunc patriam fugere cogar, indicta causa? e tot numero certaminibus forensibus victor factus, et jure quidem merito, nunc rursus exsilio puniendus videbor ob eadem ipsa, jam dudum et toties purgata crimina? Forte dicat aliquis, in illis superioribus judiciis exiguam mihi commotam fuisse invidiam, accusatores in me tum insurrexisse contemnendos, ab inimicis levibus et tralatitiis in discrimen adductum me tum fuisse: ego vero ab inimicis exagitatus tum fui valentissimis et facundia et usu rerum agendarum; hi iidem actores, qui me tum oppugnabant, alios duos, ejusdem mecum criminis reos, morte damnarunt. Haud itaque vos decet eos homines vestris e mœniis ejicere, quos, quamvis sæpius accusatos et in judicium adductos, nunquam tamen vere reos culpæque insimulatæ obnoxios reperire potuistis; sed eos, qui vitæ suæ rerumque a se gestarum rationem reddere postulati recusant. Res enimvero, ni multum fallor, gravis et indigna, istæc vestra in causarum paritate judicii disparitas: judicio vestro damnati si qui pœnas extremo dederint supplicio, haud videmini æquo animo laturi, si quis eos postmodum defendere vestrumque judicium iniquitatis arguere sustineat. Eccur non eadem constantia in absolutis quoque judicii vestri dignitatem tuemini? qui fas erit jam dudum absolutos eorundem criminum iterum atque iterum incusari? qui conveniet,

de vivis vos non idem atque de mortuis statuere? Decet quidem Alcibiadem (et ab ejusmodi homine nil aliud exspectes), ut, quemadmodum ipse legumque sanctimoniam et jurisjurandi religionem vilipendit, ita vos quoque conetur ad similem rerum sanctissimarum violationem oratione adducere: dignum item ejus est persona, ut, quemadmodum alios sine misericordia partim e patria expellit partim occidit, ita ipse, vos cernens atrocem in se sententiam expedientes, commiserationem vestram infimis precibus atque supplicationibus lacrymisque lamentabilem in modum profundendis expugnet. Non miror hoc in eo, qui facinora perpetravit uberrimis lacrymarum rivis digna: dubito tamen, atque circumspicio quinam hi sint, quos speret a se oratione precibusque suis flectendos. Junioresne? quos apud plebem in invidiam odiumque adduxit insolentiæ atque petulantiæ suæ fœditate, item eo quod juvenes docuit palæstras deserere, quo vetustæ disciplinæ severitas exstincta fuit, nec non eo quod ætate adhuc immatura rebus civilibus gerendis sese immiscuit. Num seniores? a quorum moribus suos habuit quam dissitissimos, et quorum studia contempsit. In pœnis irrogandis non solummodo habenda est ipsorum peccantium ratio, neque danda est opera ut hi soli pœnas dent criminum meritas, sed hoc quoque spectandum est, ut reliqui, cum sontes plecti vident, eo justitiæ atque temperantiæ studiosiores reddantur. Quodsi ergo me expuleritis, meticulosos facietis eos qui jam sunt pudentes et moderati; sin autem Alcibiadem pœna affeceritis, certus sum fore, ut petulantibus majorem legum reverentiam æquique juris studium acrius injiciatis.

14. Nihil jam, quod agam, superest, præter hoc unum, ut coram vobis rerum a me gestarum summa capita brevissimis perstringam. Legationibus ad Thessalos, ad Macedonas, ad Molossos, ad Thesprotos, in Italiam denique Siciliamque obeundis, effeci, ut si qui vobis usquam locorum essent infestiores, eos vobis reconciliarem: amici vobis qui essent, eos in fide confirmavi: alios ab hostium vestrorum partibus avocavi. Quod si optimatium unusquisque idem fecisset, nœ perpaucos nunc haberetis hostes et socios vobis permultos acquisivissetis. De muneribus a me editis piget commemorare, nisi hactenus, ut aiam, imperata me exsequi, sumptus facientem, non ex ærario publico furtis imminuto, sed e re mea privata. Victorias reportavi, unam titulo *εὐανδρίας*, seu fortitudinis virilis, aliam in cursu cum facibus ardentibus, tertiam in choris tragicis, non cædens antichoregos, neque pudori mihi ducens, me minus quam leges valere. Tales ego cives multo aio esse digniores, qui in urbe manere, quam qui emigrare, jubeantur.

LYSIÆ

INTERPRETATIO LATINA.

LYSIÆ
PRO CÆDE ERATOSTHENIS
APOLOGIA.

---

1. Permagni faciam, viri, hac vos mea in causa de me pari modo statuere, atque vestra ipsi sitis in causa judicaturi, in fortuna mecum pari. Certus enim sum, animo si sitis erga alios eodem quo erga vosmet estis affecti, neminem facile fore qui non super casu meo graviter indignetur: omnes potius pœnas a legibus in designatores hujusmodi flagitiorum constitutas, vel maximas quasque, meritis tamen inferiores sitis judicaturi. Neque existimandum est, apud vos solos ita sancitum esse ; in universa enimvero Græcia ita statutum est; hujus enim unius solius criminis, adulterii, pœnæ eædem tam iis in populis qui legibus et libertate civili utuntur, quam in his qui optimatum in potestate sunt, vel infimis quibusque atque infirmissimis scriptæ sunt atque veluti debitum aliquod jus attributæ, quod vel ab editissimis atque potentissimis exigant; quo fit, ut ubique locorum infimus quisque cum nobilissimo pari jure gaudeat; humanum genus in hoc tam consentit, ut hanc unam contumeliam omnes omnium longe existiment atrocissimam. Criminis igitur de magnitudine quidem vos ego equidem universos paria mecum sentire arbitror, negoque vestrum cuiquam tantum inesse torporem animi atque supinitatem, ut aut venia donandos aut modica certe pœna censeat afficiendos eos a quibus ejusmodi dedecora profecta sint : jam vero oportere arbitror hæc me docere, Eratosthenem uxorem meam constuprasse, et præterquam quod illam vitiavit, liberos quoque meos ignominia affecisse, ipsi mihi contumeliam obtulisse clandestinis meam in domum ingressibus, præter hanc unam alias nullas simultates inter nos unquam intercessisse ; non quæstus gratia hoc ausus sum, quicquid id est facinoris, ut paupertatem opum amplitudine commutarem, neque ullius alius commodi respectu, sed sola ductus legitimæ vindictæ cupiditate.

2. Statim igitur a principio vobis omnes meas aperiam fortunas atque rationes, nil dissimulans, sed veritati studens, qui hanc solam mihi patere viam salutis existimem, ut mihi liceat totam rem ut acta est ordine enarrare. Ego itaque, ex quo visum fuit matrimonium

inire, uxorem duxi domum, atque ita me erga eam gessi, ut neque severitate et importunitate molestus ei essem neque rursus ipsi liceret admodum pro arbitrio suo agere quæcunque vellet, sed observabam eam quam poteram diligentissime, animumque ei qua decebat attendebam: ut autem puerulum ex ea susceperam, jam fidere ei cœpi et omnia mea ejus fidei commisi, existimans hanc fiduciæ demonstrationem familiaritatis vinculum arctissimum et certissimum esse. Initio quidem igitur, Athenienses, uxor erat omnium optima; quippe quæ rem domesticam sedulo solerterque administraret, frugalitati dedita diligentiæque atque ordini rerum omnium tuendo: verum ex quo mater mihi decessit, mutata uxor in pejus est. Mors matris malis meis omnibus portam aperuit: uxor enim funus socrus prosequens, ab hoc homine, Eratosthene, forte fortuna conspicitur, a quo postmodum corrupta est et pessumdata, ministerio ancillæ, qua nos ad obsonandum e foro utebamur. Hanc ancillam Eratosthenes cum observasset domo exeuntem, sermonibus aggressus, internunciam habuit ad heram.

3. Ad quam initio quidem aditus erat paulo impeditior; habitabat enim primitus in editiore tabulato: præfari enim hoc me ad vos necesse est, judices, domunculam mihi esse duarum contignationum, rebus omnibus ita inter se similium, ut superius secretum mulieribus consecratum esset, inferiora spatia negotiis marium gerendis paterent. Ex quo autem uxor filiolum peperisset, permutare visum fuit habitationes; ne toties necesse haberet cum periculo suo per scalas ad infantem descendere aut lavandum aut lacte satiandum; uber enim ipsa mater dabat: sic factum est, ut rerum ego mearum satagerem in superiori tabulato, mulierculæ in plano. Tractu temporis ita insueveramus huic mori, ut uxor sæpe totas noctes inferiori in tabulato penes puerum maneret, quo præbendo ubere vagientem sopiret. Morem hunc diu cum teneremus, ego tamen malæ fraudis nihil unquam suspicatus sum, sed, qua eram tarditate mentis, uxorem matronarum hujus civitatis omnium longe pudicissimam esse confidebam.

4. Verum temporis processus errorem hunc mihi detraxit: rure enimvero aliquando præter exspectationem meorum redieram domum, Eratosthene intus latente. A cœna vagire puerulus, pertinacius querulus, vellicatus de industria ab ancilla, id quod postmodum comperi, quo uxori mei relinquendi atque discedendi prætextus speciosus daretur. Ego tum imperare uxori, ut descenderet ad puerulum eumque dando ubere pacaret. Simulare illa initio recusantem, quasi ab amplexibus meis avelli nollet, quem e diuturna absentia reversum libenter et cum congratulatione spectaret. Ubi autem ego illi discessum per iracundiam et cum minis imperaveram, illa U t tu nempe interim (ait) ancillam tentes: etiam

haud ita pridem temulentus eam vexabas. Ad quæ ego, velut joco dicta, ridere; illa vero surgere, abire, fores adducere, per joci simulationem, et clavem secum aufferre. Quorum ego omnium nihil quicquam ad animum revocans, neque de fraude suspicans, somni dulcedine cupide perfruebar, rure reversus et e via fessus. Illucescente sensim die, uxor rediens ostium reserabat; et a me interrogata, quid fores de nocte concrepuissent, causabatur lychnum ad caput puelli ardentem exspirasse, ita necesse fuisse ut e vicinia lumen arcesseretur. Tacere ego, sic se rem habere autumans. Verum tamen videbar mihi os uxoris cerussatum videre, tametsi dies illi nondum trigesimus ab excessu fratris exisset: nihil tamen eo motus ego domo exii, ne hiscens quidem.

5. Tempore post accedit ad me, o viri, a sensu et conscientia malorum meorum longissime distantem, anus a matrona quapiam immissa, quam matronam Eratosthenes antehac, id quod postmodum comperi, stupro cognitam habuerat: illa igitur, injuriam sibi factam rata ab eo a quo non tam assidue atque antea frequentaretur, speculari et insidiari, donec causam sui contemptus investigaret. Anus igitur illa, quam dico, cum domo exeuntem me diu præstolata tandem cerneret, Euphilete (ait propius congressa), nolim tibi videri male feriata quadam sedulitate res alienas scrutandi congressum tecum venata esse: vir enim, qui teque tuamque pariter uxorem dedecorat, inimicus nobis est. Ancillam vestram, quam obsonatum ad macellum missitare aliisque minutis negotiis foris exsequendis adhibere soletis, seorsim si sumpseris, ex eaque confessionem veri tormentis extorseris, rem universam intelliges. Eratosthenes Œensis horum est (ait) facinorum architectus: is non tuam solummodo corrupit uxorem, sed aliorum quoque multorum multas: hanc enim artem factitat. His anus dictis, o viri, discessit: quibus ego confestim conturbabar, omnibus simul in mentem redeuntibus, et suspicionibus implebar, recordans, me in cubiculo conclusum fuisse, binasque fores concrepuisse, tam eas quæ e semita in ædes quam quæ ex ædibus in cavædium ducunt — id quod antea nunquam factum fuerat —, item os uxoris mihi visum fuisse cerussatum. Hæc omnia simul in mentem redeuntia suspicionibus eam implebant. Istæc in via. Domum sic reversus, per speciem ancillæ imperabam, ut in forum me comitaretur: ego vero illam ad amicorum aliquem adducebam, ubi ei significabam, quæ domi meæ fierent, ea me omnia tenere: Utrumvis igitur (inquam) optare penes te est, sive mavoles loris secta in pistrinum detrudi, ubi malis septa teneberis finem nunquam habituris, sive confessione

veri, quicquid id est, immunitatem a pœna et veniam delictorum redimere. Sed cave mentiaris: vera proloquere. Ancilla initio infitiari: agerem, quæ vellem; nam rerum se omnium ignaram esse. Eratosthenem autem ut commemoraveram, affirmans, eum ad uxorem meam itare, consternabatur ancilla, existimans, me totam rem tenere, et sic demum, ad genua mea provoluta, accepta fide impunitatis, denuntiabat, ab exsequiis Eratosthenem se convenisse, primo se recusasse, tandem importunitate hominis victam eum ad heram nunciasse, heram ægre sed tandem tamen aliquando precibus ejus concessisse; congressus quoque illius cum hera indicabat, quomodo processissent; item, ut Thesmophoriis, me rure agente, uxor una cum Eratosthenis matre in templum Cereris processisset; brevis ut sim, quæcunque evenissent, ea omnia ancilla diligenter edebat. Ibi ego, Hæc tu (inquam) cave ut hominum quisquam resciat: secus si faxis, pactorum inter nos ratum nihil esto. Sed postulo, in rem præsentem ut me ducas et delinquentes flagrante in delicto mihi commonstres: verbis nil indigeo, rei flagito, si quidem sic habet ut tu ais liquidam evictionem. Recipiebat ita facturam. Intercedebant quatuor aut quinque admodum dies, et ego Eratosthenem in adulterio uxoris meæ deprehendebam; id quod vere a me dici, magnis et perspicuis argumentis demonstratum dabo. Sed præmittam die novissimo gestorum enarrationem.

6. Sostratus erat, amicus mihi atque familiaris homo: huic ego sub occasum solis rure redeunti cum forte in via occurrissem, videns eum, qui istudt emporis redisset, neminem suorum esse domi inventurum, mecum cœnatum ire jubebam: haud is recusare: ibamus itaque domum meam, adscendebamus in tabulatum superius, cœnabamus, quod satis utrique esset. Tum ille quidem domum suam abibat, ego vero somno me dabam. Interim Eratosthenes ingreditur: statim ancilla me suscitat certioremque facit mœchum intus esse. Ego, mandato, ut ostium servaret, descendi, silenter domo me proripui, ad hunc ad illum amicorum accessi, quorum alios domi reperiebam, alios urbe peregre profectos audiebam. Adscitis igitur eorum quorum copia esset quamplurimis, facibus e proxima caupona sumptis, per ostium patens, ab ancilla ex composito sic comparatum, ingrediebamur; cubiculi januam impetu invecti perrumpebamus. Sic nos, qui primi irrupissemus, adhuc accubantem uxori meæ videbamus Eratosthenem, posterius autem ingressi stantem in lecto nudum viderunt. Ego vero ut una plaga hominem prostraveram, manus ei pone tergum religavi, interrogans, quanam re elatus eo excessisset insolentiæ atque arrogantiæ, ut meam in domum, inscio et invito domino, ingredi auderet. Fassus injuriam a se mihi fa-

ctam, orabat supplex, ut se ne occiderem, sed mulcta quadam pecuniaria mihi satisfieri paterer. Non ego te (inquam), Eratosthene, occidam, sed occidet te patriæ lex, quam tu legem migrando declarasti, te eam hisce tuis libidinibus postposuisse, atque maluisse tantum scelus in uxore liberisque meis committere, quam legibus obsequi et pudorem præ te ferre. Sic demum ille mercedem facinoris a me tulit eam, quam leges decernunt talia audentibus; non intro raptatus de via, neque a foco per vim abstractus, ad quem non confugit, tametsi hi, necessarii et vindices ejus, aiunt factum: ecqui enim ad aram confugerit is, qui statim ab inflicta plaga in cubiculo, ubi ara nulla est, conciderit, et cujus ego manus retroactas constrinxerim, et qui tot numero homines ingressos haud effugisset, si conatus esset auffugere, non ferro, non fuste, non alio quopiam armorum genere instructus, quo ingressos forsitan profligasset, si liberis uti manibus potuisset? Verum enim vero ipsos vos, viri, haud fugere arbitror, iniqua designantes non solere confiteri adversarios vera dicere, sed mendaciis potius a se confictis aliisque malis artibus invidiam atque odia justi et æqui studiosis consciscere laborare.

7. Ante omnia legem tu mihi recita.

LEX.

Non repugnabat Eratosthenes de injuria mihi facta, sed fatebatur eam; at offerebat mulctam quæ crimen lueret, cædemque suppliciter deprecabatur. Ego vero haud concedens æstimationi criminis ab ipso criminoso sibimet constitutæ, æquum ducebam legem civitatis potius obtinere: quocirca vindictam sumpsi eam, quam vos adversus omnes hujusmodi flagitiis deditos edixistis atque legitimam sanxistis. Adscendite huc vos, qui testaturi estis de veritate rei sic ut a me narrata est gestæ.

TESTIMONIA.

Recita mihi præterea hanc legem ex cippo Areopagitico.

LEX.

Auditis, viri, tribunali illi Areopagitico, cui jus in causis capitalibus de spiritibus civium pronunciandi et ex antiquo majorum more proprium et memoria vestra restitutum atque contributum est, planis et expressis verbis legis imperatam atque præscriptam hanc esse juris formulam, ut illum cædis reum factum nefas sit damnari, qui, cum mœchum deprehenderit uxoris suæ amplexibus implicatum, ejusmodi pœnas de eo, quas ego de Eratosthene repetii, repetat. Legis hujus auctor de matribusfamilias tam severe voluit hæc jura

æqua et sancta esse, ut, quamvis pellices illis multo sint loco et dignitate inferiores, tamen illis ipsis quoque juris eandem arrogarit prærogativam. Tametsi paret, legislatorem, si majorem pœnam super violatis matribusfamilias sancire potuisset, quam super pellicibus, facturum fuisse: jam vero negatam sibi videns copiam alius pœnæ, quæ pœna mortis esset atrocior, qua pœna crimen in uxore legitime desponsa domumque ducta commissum lui vellet, necessario statuit eandem pœnam harum violationi atque pellicum. Recita tu mihi hanc quoque legem.

LEX.

Auditis, viri, legem sic edicere: hominem liberum puerumve ingenuum si quis per vim stupret, duplum mulctæ illius dependito, quam debet is qui servum corpus vitiarit: sin autem matremfamilias per vim stuprarit, super quibus deprehensum mœchum occidere licet, iisdem ille pœnis tenetor. Minori ergo pœna dignos, o viri, legislator statuebat stupratores violentia usos, quam si qui blanditiis et lenociniis verborum pudicitiam quorundam expugnassent. His enim callide et blande subrepentibus extremum irrogavit supplicium, illis autem importunis grassatoribus duplum solummodo mulctæ, existimans, violatores vi usos a violatis abhorreri, persuasionibus autem si qui rem confecissent, eos alienarum uxorum mentes ita corrumpere atque fascinare, ut corruptores sibi cariores magisque familiares habeant quam ipsos maritos; quo fiat, ut universa res familiaris in potestatem arbitriumque mœchorum deveniat, de liberisque minus constet utrorum sint, maritorumne an mœchorum: horum itaque malorum ergo, quæ mœchi creant, pœnam illis legislator mortem sanxit.

8. Leges igitur, o viri, non solum me absolvunt, sed imperabant adeo quoque mihi ut hanc pœnam repeterem: in vobis autem situm est, utrum leges oporteat validas et efficaces esse, an inertes et nihili faciendas. Ego enim ideo civitates omnes existimo dare operam ut scriptæ sibi sint leges, quo, si quid occurrat in quo dubitetur quid sequendum nobis sit, has ad leges, velut ad oraculum, accedamus, ab iisque docti quid agendum nobis sit statuamus. Leges igitur hujusmodi in causis præcipiunt injuriam passis, ut hujusmodi pœnam a reis repetant; quibus cum legibus, ego pro jure meo postulo dignumque censeo, ut vestra quoque sententia consentiat: quod si secus eveniet, tantam vos impunitatem dabitis mœchis, ut furibus ipsis injecturi sitis cupiditatem audaciamque, furta adulterii prætextu excusandi, certi si sint, neminem fore, qui manus sibi violentas inferat, aientibus, alienas in domos mœchandi causa se irrepsisse. Scient enim tum omnes, leges de corruptelis matronarum latas flocci non faciendas, sed vestram so-

lummodo sententiam esse reformidandam; quippe quæ rerum in civitate sit arbitra omnium.

9. Videte hoc, viri: ancillæ me aiunt illa die mandasse, ut juvenem arcesseret. Ego vero, etiamsi vera dicerent, negaturus tamen sim male me fecisse: quacunque enim tandem fraude corruptorem uxoris meæ cepissem, viderer mihi tamen æquum servasse. Eum enim si arcessi jussissem, qui, cum per literas et per internuncios uxorem meam ad flagitium sollicitasset, perlicere haud potuisset, injuste utique egissem: eum autem si quocunque tandem modo venatus essem, qui nullum sceleris pensum sibi reliquum fecisset, domumque meam ejus causa sæpenumero esset ingressus, viderer mihi partes viri cordati peregisse. Verum videte, viri, quam impudenter illi hæc quoque mentiantur: quod ex hisce argumentis facile eruetis. Sostratus, homo — id quod paulo ante me dicere memini —, amicus mihi atque familiaris, vespere rure revertens cum mihi occurrisset, mecum cœnavit, satisque sibi cum videretur cibisque et sermonum hilaritate pastus, domum se suam recepit. Atqui existimate vos ipsi, judices, hoc primum, illa ego nocte si Eratostheni comparassem insidias, utrum e re mea fuisset magis, foris cœnare, an adducere convivam cujus metu mœchus ingredi minus fuisset ausurus? Alterum hoc spectate: conviva dimisso, videorne vobis solus et ab adjutore desertus mansisse, an potius illum mecum retinuisse, ut operam mihi daret, hostem ulturo? Non porro vobis, viri, videor de die amicos fuisse cohortatus et jussisse, in domos amicorum in proximo habitantium coire, quam commisisse, ut de nocte a primo mali mei sensu circumcurrerem, ignorans, quemnam domi quem minus essem reperturus; et ad Harmodium quidem illumque atque illum contenderem peregre agentes — id quod me fugiebat —, aliosque frustra requirerem, in urbe quidem illos agentes, domo autem tum absentes, temereque quos possem fortuito oblatos corraderem? Atqui, si præsensissem, non videor vobis et servos comparaturus atque instructurus et amicos convocaturus fuisse, quo et quam tectissimus atque tutissimus in domum meam ingrederer — ecquid enim nosse poteram, ferrone futurus esset Eratosthenes quoque armatus? —, et in conspectu testium quamplurimorum pœnas ab hoste repeterem mihi debitas? Ego vero nil præscius eorum omnium quæ illa nocte essent eventura, quos poteram per trepidationem corradere, socios assumebam. Adscendite vos huc, qui horum mihi testes eritis.

TESTES.

10. Audivistis, viri, testimonia testium: jam expendite vobiscum ipsimet hanc rem ita, ut inquiratis, aliane quæpiam mihi cum Eratosthene simultas unquam præter hanc unam intercesserit. Atque

nullam invenietis. Neque enim ille me unquam majestatis aut perduellionis reum egit, id quod sycophantæ facere solent, neque patria me expellere studuit, neque privatis de causis in foro mecum certavit, neque facinoris cujusquam mihi fuit conscius, quod ego metuens ne per eum ad hominum quenquam emanaret, illum de medio tollere studuissem, neque tandem, ubi pollicitationibus silentium ejus mihi obligassem ut scelera mea occulta penes se haberet, spem ejus pecunia promissa fraudavi: nam sæpe fit per hujusmodi causas, ut alii aliis exitium machinentur. Tantum porro abest, ut aut convicium aut rixa per temulentiam aut ullum aliud discidium nobis intercesserit, ut potius hominem hunc nunquam antea quoad commemini his oculis viderim, sed illa demum nocte primum et novissimum. Quonam igitur ego consilio tantum discrimen adissem, nisi injuriam tantam, quantam homo ab homine maximam accipere potest, ab eo accepissem? Neque satis habuissem ipse me clandestino scelere polluere, sed etiam alios ultro impietatis meæ testes futuros convocassem? ubi licuisset scelus sine teste patrare, si quidem animus semel gestiret eum de medio tollere.

11. Ego equidem, viri, vindictam hanc mihi videor exsecutus esse injuriarum non mihi soli oblatarum, sed universæ civitatis nomine. Dediti enim malis hujusmodi studiis cum videbunt, qualia parata sint hujusmodi facinoribus præmia, minus audebunt in alios insolentia atque injuriis grassari, videntes, vos quoque parem in severitatem exarsisse. Sin autem minus, multo erat satius leges fixas refigi atque expungi plane aliisque commutari, quæ cum maritos mulctari jubeant, si qui uxores custodiant, tum liberam iis decernant potestatem impunemque licentiam, si qui matronas stupris polluere audeant. Multo enim hoc foret æquo juri convenientius, quam cives ab iis legibus quibus serviunt in laqueum pertrahi, sancientibus quidem illis atque edicentibus, quicunque mœchum deprehenderit, ei licere quicquid voluerit in eum statuere: verumtamen certamina forensia in hujusmodi causis decertanda proponentibus multo acerbiora injuriam passis, quam his, qui, legibus invitis et interdicentibus, alienas uxores comminxerint. Ego enim nunc de capite fortunisque meis et quæcunque mihi cara sunt ideo periclitor, quod patriæ legibus obsecundavi.

LYSIÆ

IN CORINTHIORUM SOCIOS

ORATIO FUNEBRIS.

1. Fieri si posse judicem, o corona, ut ulla oratio virtutem virorum hoc monumento conditorum exæquet, questurus de iis sim, si qui laudes eorum ex apparatu paucorum dierum prædicandas demandent: quoniam vero toti generi humano universum quam latissime patet ævum haud sufficit ad comparandam orationem præclaris horum factis parem, ideo resp. quoque mihi videtur hoc e loco dicturis sapienter consulere eo quod, munus dicendi brevissimo ante mandando, præparationis otium excludat, existimans, hac potissimum ratione futurum ut dicentes audientium veniam adipiscantur. Est itaque mihi de his dicturo certamen propositum, non cum horum præclaris facinoribus, sed cum præconibus eorum, si qui ante me de iis pro concione verba fecere. Tantam enim rerum dicendarum copiam suppeditavit horum virtus et carmine potentibus et oratione soluta utentibus, ut, multa præclara de iis cum prædicassent majores, multa tamen nobis reliqua fecerint, et post nos quoque sat multa sint superfutura quæ posteri verbis exsequantur: nullius enim sunt neque continentis neque pelagi exsortes, sed in populis sunt, qui, cum propria et privata sua mala lugeant, tum horum virtutes celebrent.

2 Primo itaque loco vetusta majorum certamina persequar, memorias a fama proditas nactus: decet enim omnes homines eorum quoque meminisse, alias in carminibus cantantes eorum nomina, alias appellantes in commemorationibus virorum fortium, alias debito prosequentes honore in locis et temporibus huic nostro similibus, quo superstites exemplis defunctorum doceantur.

3. Amazones igitur, antiquum genus, Martis filiæ, quibus olim ad Thermodontem fluvium sedes erant, gentium circa omnium solæ ferro armabantur, primæque gentium quotquot usquam sunt omnium in equos inscendebant, super quibus subito invectæ adversarios nec opinantes cum oppressissent, eo vecturæ genere uti nescientes, et facile consequebantur hos fugientes et effugiebant persequentium manus: qua animi fortitudine hoc sunt consecutæ, ut viris similiores, quam mulieribus quas natura eas fecerat, haberentur; viris enim per animorum vim antecellere magis, quam per corporum infirmitates

cedere videbantur. Multis itaque populis imperitantes a se subactis, cum fando de patriæ nostræ magnis laudibus inaudissent, stimulatæ cum gloriæ illecebris tum spe præmiorum, bellicosissimis quibusque gentibus in societatem belli adscitis, adversus hanc urbem moverunt. Ubi cum fortibus occurrissent viris, rediere ipsis animi naturæ ipsarum similes opinionemque ipsæ sibi suis factis contraxerunt pristinæ famæ contrariam, qua factum, ut, minus e natura quæ ipsis contigisset, quam e speciminibus animorum quæ dedissent in certaminibus bellicis, mulieres haberentur. Solæ hæ caruerunt eo fructu, quem alii ab erroribus suis referunt: resipiscere quamvis e malis suis didicissent, non tamen licuit ipsis illa in posterum sapientia in capiendis consiliis uti, neque domum reversis licuit et suam cladem et majorum nostrorum virtutem renunciare; in acie enim cum pugnantes occubuissent easque dementiæ suæ meritas dedissent pœnas, civitati gloriam virtutis immortalem peperere, suæ autem patriæ e clade hic accepta dedecus ignobilitatis. Sic illas quidem injusta bonorum alienorum appetitio jure merito fructu suorum mulctavit.

4. Adrasto autem et Polynici et si qui alii cum illis infesta Thebis arma intulissent, cum acie victis Cadmei sepulturæ denegarent honores, Athenienses rati illos quidem, si quid deliquissent, ejus pœnas obeunda morte dedisse quæ dari possent maximæ, deos autem et inferos justis fraudari, et superos violari impietate quippe quorum fana polluerentur, missis ad Cadmeos fecialibus, rogabant veniam jacentes ad sepulturam tollendi, existimantes fortes quidem decere viros ab inimicis adhuc superstitibus injuriarum pœnas repetere, imbelles autem ipsosque sibi diffidentes in exanimis corporibus animorum vim ostentare: verum repulsi Cadmeos adorti sunt, neque horum odio quibuscum nullas ante simultates exercuissent, neque Argivorum superstitum gratia, sed censentes in bellis cæsos oportere justa ferre: quapropter adversus alteros pro ambobus dimicabant; pro Cadmeis quidem, ut imposterum jura defunctorum violando suam erga deos impietatem aliis ex aliis modis exaggerare ne pergerent; pro Argivis autem, ut in patriam ne redirent, honoribus e ritu patrio sibi debitis fraudati legisque Græcæ exsortes et spe communi exclusi. Hæc nostri spectantes animisque agitantes, bellorumque fortuita nemini non mortali communia censentes, multorum quidem in se odia et arma convertebant, verumtamen vincebant dimicantes, utpote jus et fas velut in auxiliis habentes: neque a secunda fortuna inflati, pœnas a Cadmeis acerbiores repetere aut superba imperare audebant, sed illorum impietati, velut adversariam, suam pietatem animique celsitudinem in exemplum quasi opponebant, adeptique suorum certaminum illa ipsa præmia quorum causa venerant, domum revertebantur, Argivorum puta corpora, quæ in oppido suæ ditionis Eleusine contumulabant. Ad hunc ergo modum erga illos

quidem e numero septem ad Thebas ducum, qui cecidissent, majores nostri sese gesserunt.

5. Tempore autem interjecto post cum liberi Herculis, e rebus humanis sublati, ab Eurystheo exagitati, et a Græcis quibusque populis rejecti, non illis quidem nullo motis pudore tantæ turpitudinis, at reformidantibus Eurysthei potentiam, huc igitur delati liberi Herculis, cum in aris deorum consedissent supplices, Athenienses eos reposcenti Eurystheo tradere recusarunt, virtutem Herculis magis verecundantes, quam periculum suum extimescentes, suaque censebant persona dignius, infirmiores, quibuscum jus et fas staret, armis tueri, quam gratiæ potentiorum condonare, per injurias eorum oppressos; Eurystheoque cum totius Peloponnesi qui tum erant incolis vim et arma prope admovente, judicii sui pœnitentia non ducebantur, periculo cominus urgente, sed constantes ipsi sibi in proposito perseverabant, tametsi neque a patre Heraclidarum privato quodam emolumento fuissent ornati, neque nossent, quales ipsi Heraclidæ olim aliquando, ad virilem ætatem adulti, erga se essent futuri. Neque simultas ipsis antea cum Eurystheo intercessisset, neque aliud sibi viderent lucrum propositum, quam gloriam bonæ existimationis: sed sola moti ejus ratione, quod jus et fas esset, tantum discrimen adibant, parique vim passorum commiseratione atque odio vim inferentium, hos reprimere conabantur, illis auxilium ferre festinabant, existimantes notam libertatis hanc esse, ut nil coactus facias, justitiæ autem, ut per nefas vexatis succurras, fortitudinis denique, ut pro utraque laude, si necesse sit, ipsam adeo mortem oppetere haud detrectes. Tanti erant utrinque spiritus, ut Eurystheo quidem addicti conditiones a volentibus oblatas aspernarentur, ab invitis iniquissima exprimere laborantes, Athenienses autem Eurystheo legem hanc præscriberent, ut, qui ipse aliquando supplex receptum ad aras suas habuisset, homines sibi supplices factos tutelæ suæ ne contenderet eripere. Collatis itaque signis copias ex universa Peloponneso collectas suis domesticis vincebant, Heraclidarumque non corpora modo in tuto collocabant, sed mentes quoque metu detrahendo in libertatem vindicabant, memoria moti virtutis ejus qua pater ipsorum inclaruisset, suisque illos periculis victoriæ corona induebant. Quo liberi Herculis patre fiebant hoc fortunatiores, tametsi adhuc pueri; quo pater quidem, quamvis nulli non hominum generi bona quam plurima peperisset, vitam tamen ipse sibi molestiis exercitam contentionumque atque certaminum plenam constituisset, et aliorum ultus scelera, unum Eurystheum, inimicum hominem et in ipsum sese infanda ausum, ulcisci nequisset; liberi autem Herculis eadem die per civitatem hanc et libertate sua potirentur et ultione inimicorum.

6. Sæpe quidem usu venit majoribus nostris concordia copulatis

pro æquo et justo decertare, quippe quibus vitæ principium ipsum jure fundatum esset: non enim, id quod multi passim locorum dicuntur ausi, undecunque collecti et in globum congressi miscellaneum, in alienum solum, ejectis legitimis incolis, invaserunt; sed eandem glebam, utpote Aborigines, matremque et patriam habuere. Primi autem et tum quidem temporis adhuc soli democratiam instituerunt, principatibus quorum sub jugo ad id temporis fuissent exterminatis, existimantes, libertatem omnium consensione animorum coalitam finem esse felicitatis humanæ: spes e periculis cum proposuissent omnibus pares, liberis animis gerebant rem et publicam et privatam quisque suam, e legis præscripto bonisque honores tribuentes et pœnas malis irrogantes; existimabant nempe illi, belluarum quidem esse, ut alii aliis per vim invitis imperitent, homines autem decere, ut ipsi sibi ferenda certa lege terminos rerum figerent, blandaque orationis persuasione argumentorumque evidentia alii aliis assensum extorquerent, iisque famularentur, legi puta, ceu regi, rationi autem verbis declaratæ, ceu magistro.

7. Quo factum est, ut majores virorum hoc monumento conditorum antiquissimi, ingeniique sui adjuti præstantia et concordiæ nervis firmati, multa ediderint præclara atque admirabilia facinora: verum fuit eorum posteris quoque ea virtutis excellentia, ut ejus monumenta et ingentia et ad nullius non ævi memoriam evictura et nusquam non locorum a se condita relinquerent. Hi enim, tametsi soli essent, pro cuncta Græcia adversus multas barbarorum myriadas dimicarunt. Asiæ nempe rex, bonis præsentibus haud contentus, sed Europæ quoque sperans se jugum impositurum, quingenta hominum armatorum millia huc misit. Rati hi, hanc urbem solam si aut volentem sibi adjunxissent aut invitam subegissent, facile se reliquos quoque Græciæ populos sub potestatem esse habituros, escendebant ad Marathonem, autumantes, tum maxime futurum ut nostros a sociis desertos opprimerent, cum, Græcia adhuc ipsa secum dissidente atque dubitante, quanam expeditissima ratione invasores depellendi sint, discriminis adeundi necessitatem ipsis admoverent. Præterea inhærescebat adhuc eorum animis hæc de republica nostra opinio, e gloriosis majorum factis enata, ut præviderent futurum, quamcunque aliam rempublicam Græcam priorem aggrederentur, ut una cum illa et cum Atheniensibus certamen haberent decertandum; Athenienses enim prompte sine cunctatione vim passis quibusque esse subventuros; hos autem in primos si incurrerent, neminem fore reliquorum Græcorum, qui, studio servandi atque tuendi alios, illorum in gratiam auderet apertæ secum simultatis semina spargere. Sic Persæ secum ratiocinari: nostri autem majores, non illi quidem consilia sequentes prudentiora atque tutiora, quippe bene gnari periculorum

bellis cognatorum, attamen arbitrantes mortem gloriosam immortalem virorum fortium famam relinquere, nil extimescebant hostium multitudinem, sed sua magis fidebant virtute; sibique pudori ducentes, a barbaris agrum suum persultari, non sunt morati, donec ejus rei fama ad socios permanaret eosque ad succurrendum excieret, neque se dignum putarunt committere, ut aliis suam deberent salutem, sed operam dare, ut reliqui omnes Græciæ populi suam assertam sibi deberent. Hac sententia rata et animis pariter omnium infixa, occurrebant pauci multis, existimantes decere se, fatalem diem cum omnibus obire, cum paucis autem partes virorum fortium agere, spiritumque sibi esse temporarium et quasi mutuo acceptum necessitate mortis fatalis obstrictum, præclaram vero memoriam e certaminibus a se obitis collectam laudem suam esse propriam ad posteros transituram. Quos soli vincere non possent, desperabant eos a se vincendos fore, etiamsi accessione sociorum firmatis: si succumberent, (ita statuebant) non deteriore se loco futuros, quam alios, hoc uno dispares, quod paulo ante alios essent occubituri; sin autem superiores a prælio discesserint, non sibi solis, sed reliquis quoque libertatem assertam esse reportaturos. Virorum itaque fortium partes tuentes, corporibusque et spiritibus nil parcentes dummodo virtutem proferrent, legesque patrias magis reverentes quam discrimen conflictus cum hostibus reformidantes, monumentum pro universa Græcia, domi suæ, ipsis in finibus agri sui, statuerunt barbarorum a se devictorum atque profligatorum, eorum, qui cupiditate bonorum alienorum allecti, alienos in fines invasissent: tanta quoque celeritate discrimen hoc exantlarunt, ut alios Græcos iidem nuncii et de barbarorum has in terras adventu et de majorum nostrorum victoria certiores facerent. Quo factum est, ut nemo de futuro periculo trepidaret, sed omnes quo tempore de illius adventu inaudirent, eodem tempore ab illius metu se quoque liberatos gauderent. Nil itaque mirum est, hæc tanta facinora, tametsi vetusta sint, tamen adhuc etiam nunc, perinde ac si recentissima sint, omnium hominum admirationem erigere, prædicationem exercere, æmulationem accendere.

8. Xerxes inde rex Asiæ, multis impulsus gravibusque causis, cum quod contemneret Græcum nomen, tum quod spei falsus fuisset, item quod acceptæ cladis ureretur dedecore, nec non quod damna ægre ferret iisque succenseret a quibus ea accepisset, denique quod malorum adhuc esset expers naturasque virorum fortium nondum haberet usu suo cognitas atque perspectas, copias per decennium conscriptas, alias super mille ducentis navibus adducebat, alias pedestres per continentem, tam numerosas, ut arduum sit, nationes signa ejus tum secutas vel nominatim solummodo percensere. Juvat unum, sed palmarium, multitudinis argumentum

indicare: potuerat pedestres copias per Hellespontum, qua fretum est angustissimum, super mille navibus ex Asia in Europam trajicere, sed noluit, ratus, illam moram sibi quam vellet diuturniorem fore; quapropter, et terminos a natura rerum fixos et cœlestia ostenta deorumque admonitiones et humanas auctoritates aspernatus, viam sibi per mare communivit, et invitæ continenti per agros suos navigationem extorsit, Hellesponto ponte juncto, et Atho monte perfosso, nemine resistente, sed aliis necessitati cedentibus, aliis ultro commune decus prodentibus. Illi enim depellere vim, cum vellent, suis viribus non poterant, hi corrumpi se largitionibus passi fuerant; metu illos, hos lucri spe ducente. Athenienses autem, in rebus Græciæ tam conclamatis, cum classe ad Artemisium occurrebant, ad sistendum incendium; Lacedæmonii vero, cum nonnullis sociorum ad Thermopylas hosti se opponebant, sperantes per locorum angustias futurum, ut meatum tuerentur. Discrimine defungentes sub idem tempus ambo, Athenienses quidem e prælio navali superiores discedebant, Lacedæmonii autem infortunio percellebantur, non virtutem illi quidem suam passi desiderari, verumtamen falsi opinionis, quam concepissent de numero, et eorum adversum quos erant certaturi, qui numerus ipsorum exspectationem longissime exsuperabat, et eorum quos a se tuendos speraverant, qui numerus multis partibus erat sperato minor; sic, ab hoste non victi, occubuerunt in statione quisque sua. Alteris itaque ab adversa fortuna subversis, alteri per fauces patefactas infusi, adversus hanc urbem procedebant: majores autem nostri, audita Lacedæmoniorum clade, trepidantes in ista rerum quibus septi deprehenderentur procella, certi cum essent futurum hoc, ut, sive pedestri itinere hostibus occurrant, hi classe mille navium invecti urbem viris denudatam occupent, sive in naves ipsi inscendant, urbs pedestribus hostium copiis præda fiat; negatum autem sibi videntes, muniis ambobus una fungi, hoc est, et hostem defendere et in urbe præsidium idoneum relinquere; proposita gemina conditione, utrinque dura, et patrio solo excedendi, et in castris hostium operam navandi jugo servitutis Græciæ cervicibus imponendo; satius existimantes esse, cum virtute libertate gaudere, tametsi jejuna et inope, quam servitutem tolerare turpem, tametsi splendidam et copiis rerum affluentem, maluerunt in Græciæ gratiam urbe exsulatum ire, quo possent altera cum parte hostium seorsim dimicare, neve cogerentur ambabus cum partibus simul decertare: liberis itaque atque uxoribus matribusque in Salamine depositis, congregabant reliquorum quoque sociorum navales copias. Diebus non multis post adveniebat hostium quoque et pedester exercitus et classis: O quanto tum et quam diro discrimine super Græciæ libertate decertatum est! quam existimatis tum fuisse

fuisse mentem aut e continente classiarios illos spectantibus, quibus perinde et sua salus et exitus accedentis cominus periculi infidus esset, aut iis ipsis quibus pugna navalis jamjam pugnanda instaret pro carissimis pignoribus, pro præmiis victoriæ in Salamine depositis; quos tanta nubes hostium undique cingeret, ut mortem suis tolerare corporibus minimum esset in malis præsentibus, quippe quam præscirent sibi imminentem, maximum vero hoc, quod indignitates metuerent acerbissimas, quibus paterent depositi in insula, si ad barbaros belli fortuna inclinaret. Fieri profecto non potuit, quin in illa circumstante trepidatione atque desperatione sæpe mutuos in amplexus ruerent, suamque ipsi sortem, ut facile judicatu est, lamentarentur, quippe qui probe et classis suæ mediocritatem nossent, et hostilis magnitudinem coram occulis cernerent, postremo urbem suam scirent ab incolis desertam, agrum devastatum plenumque barbaris, fanis deorum ardentibus, nullis denique non terroribus cominus ingruentibus, audientes item Græco pæani barbaricum obstrepentem, ambabus partibus suos ad dimicandi fortitudinem adhortationum contentione acuentibus, mixtosque fremitus et ejulatus utrinque cadentium, mari cadaveribus obsito, multisque inter se collisis quassatarum navium et amicarum et hostilium ruderibus, sorteque pugnæ navalis ad multum temporis ancipite extracta atque natante, sic ut sibi viderentur modo cum victoria salutem recuperasse, modo victi funditus perisse. Credibile hercle est, metu mentes occœcante et ludente, eos tum opinatos esse cernere quæ nulla cernerent, et multa audire nusquam audita. Quæ non tum fiebant deorum supplicationes! quæ non concipiebantur victimarum vota! quæ non subibant animos uxorum liberorumque desideria! quæ non incessit patrum matrumque miseratio! quæ non recordatio malorum, auris reflantibus exhauriendorum! Ecquis deorum in tanta magnitudine discriminis non eos sit miseratus? Ecquis hominum sorti eorum non illacrymaverit? aut fortes eorum fidentesque animi ecquem non admiratione defixerint? Profecto reliquis illi mortalibus omnibus antecellebant virtute et capiendorum consiliorum et tolerandorum in bellis laborum, ut qui, relicta urbe patria, in naves commigraverint, capitaque sua, numero illa quidem perpauca, innumerabili turbæ Asiaticæ tanquam aggerem opposuerint, victoriaque navali potiti planum universo generi humano fecerint, satius esse inter paucos secum concordes et jure civili æquo utentes pro libertate dimicare, quam pro servitute inter multos imperia regia reverentes. Assertæ autem Græcæ libertatis momenta, et numero plurima et re gravissima atque splendidissima, hi uni contulerunt hæc: imperatorem puta Themistoclem, virum unum omnium et facundia et consiliorum felicitate et strenuitate manuum in rebus gerendis præstantissimum maximeque idoneum, tum naves multo plures quam reliqui omnes

socii, virosque rerum gerendarum peritissimos. Cum his igitur ecquis unus reliquorum Græcorum omnium de principatu sive prudentiæ sive numeri sive virtutis contenderit? Tulerunt ergo meriti ab universa Græcia sine controversia præmia atque testimonia rei optime atque præclarissime in pugna navali gestæ: sed et felicitatem sibi pepererunt istis tantis laboribus parem, virtutemque non adventitiam neque insititiam, sed genuinam e suoque prognatam patrio solo, exemplo luculento barbaris ex Asia advenis testatam fecerunt.

9. Tales itaque se in pugna navali cum exhibuissent partemque periculorum longe maximam soli tolerassent, virtute tamen sua sibi propria libertatem reliquis quoque communem pepererunt: tempore post, cum Isthmum obducendo muro sepire atque intercipere instituerent Peloponnesii, et in salute ex insperato oblata gratulabundi acquiescerent, sibique jam metu liberati viderentur periculorum a parte maris imminentium, consiliaque jam agitarent de non intercedendo quominus reliqui sub barbarorum potestatem venirent, exardescentes nobili quadam indignatione Athenienses, auctores illis fiebant, si quidem ita facere in animos induxissent, non Isthmum solummodo occludendi, sed universam quoque Peloponnesum mœniis circumvallandi. Ipsi enim si a Græcis proditi atque deserti se barbaris adjunxerint, neque classe mille navium his opus fore neque murum Isthmo obductum illis esse profuturum: imperium maris enim penes regem Persarum esse futurum controversiæ atque discriminis expers. Meliora itaque ab Atheniensibus docti Peloponnesii cum sibi persuasissent et iniqua se patrare et prava capessere consilia, Athenienses contra æqua omnia suadere eademque saluberrima, auxiliatum ad Platæas convenere; ubi, tametsi sociorum plerique stationes sub noctem deseruissent, ab hostium expavefacti multitudine, Lacedæmonii tamen a Tegeatis firmati Persas profligarunt, Athenienses autem una cum Platæensibus armis devicerunt Græcorum eos quos desperata libertate servitutem subire haud puduisset. Illa die superioribus laboribus cum splendidissimam coronidem imposuissent, firmam Europæ stabilemque asserverunt libertatem, nulloque non in discrimine virtutem suam cum publice approbassent, et soli per se et una cum aliis, et in continente et in salo, et adversus barbaros et adversus Græcos barbaris addictos dimicantes, ab omnibus, tam quorum in commilitio dimicassent quam adversus quos arma gessissent, digni sunt habiti, qui principes atque duces Græciæ constituerentur.

10. Tempore autem post, intestino inter Græcos oborto tumultu, cum ob excellentiam fortunæ secundæ qua nostri usi æmulationem omnium concitassent, tum ob invidiam e rerum gestarum magnitudine collectam, magnos quidem spiritus alentibus omnibus, minuta-

rum autem criminationum et prætextuum quibusque egentibus, commissum est inter Æginetas eorumque socios et inter Athenienses navale prælium, quo nostri triremes hostium septuaginta ceperunt. Sub idem tempus Ægyptumque Æginamque infestantibus nostris, et juventute alia in navibus alia in castris procul a domo militante, incessit Corinthios eorumque socios cupido agrum Atticum invadendi, quem facili opera sperarent a se occupandum ut a suis desertum, aut hæc si se spes fefellisset, hoc certe futurum sperabant ut classem nostram ab Ægina sic revocarent; quapropter egressi domo cunctis cum copiis Geraneam ceperunt. Verum Athenienses, tametsi suorum alteri jam in reditu domum essent alteri prope abessent, abs se tamen non impetrarunt ut eorum quenquam arcesserent, sed ipsi suis freti animis et aggressores aspernati, senioresque et militaribus annis inferiores, sibi certamen deposcebant, illi quidem usu rerum virtutem adepti, hi autem natura magistra, et illi quidem recordatione acti fortium factorum sæpe multisque in locis a se editorum, hi autem istorum æmulatione accensi, periti seniores imperandi, juniores autem ardentes imperata exsequi, Myronide duce, cum ipsi sese hosti ultro in Megarica objecissent, vicerunt universas illorum copias suis, tametsi pars jam fessa laboribus atque defuncta esset, alia nondum matura capessendis, eosque, qui agrum suum infestare ausi essent, non domi suæ exspectarunt, sed ultro ipsis alieno in solo occurrerunt, in quo tropæum de ipsis fixerunt fugatis, suæ quidem gloriæ monumentum splendidissimum, dedecoris autem æterni hostibus insessuri; tametsi ipsis affecta senio et marcida corpora, partim nondum satis habilia tractandis armis atque valida essent, animi tamen ambobus supererant fortiores, quam aut ab illa aut ab hac ætate postulari exspectarive posset; quo facto domum reversi, gloria cumulati amplissima, juniores quidem ad consueta disciplinæ puerilis munia redibant, seniores autem ad solitas functiones atque consultationes de salute reliquorum civium tuenda se recipiebant.

11. Est quidem haud facile factu, viri, id quod cernitis, ut singula quæque decora multorum contentione elaborata unius oratio exsequatur, utve omni ævo gesta unius diei breve spatium complectatur. Ecquod enim tempus, quæ oratio, qui orator par tandem sit futurus virtuti virorum hoc monumento conditorum declarandæ? Laboribus enim hi suis quam plurimis certaminibusque splendidissimis et discriminibus honestissimis libertatem Græciæ asseruerunt, suamque patriam inter omnes excellere testatum fecerunt, quippe quæ septuaginta per annos principatum maris obtinuerit, sociosque in pace tumultuum expertes retinuerit, non postulando ut plebs optimatibus serviret, sed necessitatem æqui juris servandi omnibus imponendo, neque debilitando socios, sed illis quoque robur addendo, atque demonstrando suæ ipsorum potentiæ tam validos inesse

nervos, ut magnus rex non jam aliena appeteret, sed cum de suæ ditionis parte decederet haud contemnenda, tum de reliquis tamen metueret ne ea male tueretur. Neque triremes per id temporis infestæ ex Asia inferebantur, neque tyrannus e Græcia exsistebat, neque Græca quæpiam civitas a barbaris in servitutem redigebatur: tantum reverentiæ, tantum metus horum virtus reliquis omnibus hominibus injecerat. Quæ sunt eæ laudes, ob quas oporteat solos iis ornatos Græcorum protectores liberarumque civitatum principes constitui.

12. Verum etiam adversis in rebus virtutem suam extulerunt. Amissa enim in Hellesponto classe, sive per imperatoris ignáviam sive deorum arbitrio, quo vulnus impressum est gravissimum et nobis ipsis illa calamitate afflictis et reliquis una Græcis, paulo post testatum majores nostri fecerunt in civitatis nostræ potentia salutem Græciæ versari. Aliis enim principatum Græciæ adeptis, factum est, ut, qui barbari antehac mare ingredi ausi haud fuissent, hi nunc in Europam classibus aliis ex aliis veherentur Græcosque pugnis navalibus vincerent, ut civitates olim liberæ servirent, ut tyranni ipsis imponerentur, alii statim secundum cladem illam qua res nostræ conciderunt, alii secundum victoriam qua barbari res Græcas perculerunt. Quo constat, dignum fuisse Græcia, ut super hoc tumulo in funere tum cæsorum tonsa capillos et pullata hic compositos lugeret, velut eos, quorum cum virtute sua quoque libertas elata et contumulata fuisset: orbatæ sic tantis viris Græciæ conditio fuit miserrima; rex Asiæ contra secundis rebus effloruit, ex quo ei cum novis Græciæ ducibus contendere licuit: Græciæ enim vindicibus denudatæ jugum servitutis est impositum; regem autem, ex quo alii Græcis præesse cœpissent, admiratio atque æmulatio incessit illorum consiliorum quæ majores ejus olim agitassent. At enimvero, ad hos questus et ad hanc miserationem sortis universæ Græciæ communis, magnitudo mali et patriæ caritas et animi mei me perturbatio imprudentem atque invitum evexit; quare ad alios age progrediamur: convenit itaque illorum quoque et publice et privatim meminisse fortium virorum, qui, servitutem fugientes et pro jure suo pugnantes et pro jure civili adversus dominos illegitimos atque nefarios insurgentes, Peloponnesiis omnibus nequicquam adversantibus, in Piræeum rediere, non a lege coacti, sed a natura invitati, novisque discriminibus vetustam majorum virtutem imitati, corporum suorum contentione animorumque fortitudine remp. cum reliquis quanquam repugnantibus communicarunt, mortem cum libertate præferentes vitæ in servitute degendæ: cladium, si quas ab hostibus acciperent, non minus eos pudebat, quam iracundia in hostes exarserant; malebant mortem patrio in solo oppetere quam in alieno fortunarum fixas habere sedes, quippe qui pactis sanctissima juris-

jurandi fide confirmatis, veluti copiis quibusdam auxiliaribus, fiderent, tametsi ad pristinos hostes novi, cives ipsorum, accessissent. Verumtamen adversariorum non reveriti multitudinem, capita cum periculis objecissent, de hostibus a se devictis tropæum condiderunt: cujus suæ virtutis testes adhuc superstites habent tumulos Lacedæmoniorum huic tumulo assitos. Et profecto, quæ respublica ad istud temporis dejecta et contempta fuisset, eam hi rursus ad superiorem majestatem extulerunt, expulsaque discordia pacem et concordiam ei reddiderunt, atque effecerunt ut pro mœnibus dirutis mœnia rursus stantia conspicerentur. Reduces enim domum ab exsilio facti, consilia sua consiliis majorum hic conditorum accommodarunt, non ad ultionem inimicorum, sed ad salutem patriæ conversi: impetrare a se cum non possent, ut æquis animis sua jura minui iisque se fraudari paterentur, neque rursus ulla causa ad plus sibi quam conveniret arrogandum moverentur, perinde libertatem suam his ipsis adeo, si qui servitute delectarentur, impertiebant, atque servitutem horum participare dedignabantur; rebusque gestis et maximis et ad laudem amplissimis priores reipublicæ clades excusabant, ut jam constaret inter omnes, rempublicam antehac non ignavia sua neque hostium virtute concidisse: qui enim, tametsi inter se dissidentes, tamen invitis et ringentibus Peloponnesiis cæterisque hostibus a quibus septi tenerentur, in patriam reditum extorquere potuissent, liquet eos facile, si animis conspirassent, hostes debellare potuisse.

13. Laboribus igitur illi quidem in Piræeo exantlatis hoc consecuti sunt, ut in eorum admiratione atque prædicatione omnes homines versentur. Sed et mercenarios milites hic sitos par est a nobis collaudari, qui, strenua opera plebi præstita patriam recuperare contendenti, pro nostra salute cum dimicassent, ibi rati patriam sibi esse ubi virtuti proferendæ locus esset, hujusmodi exitum vitæ sortiti sunt: cujus rei causa respublica eos quoque et luxit publice et extulit, atque hoc tribuit, ut omne in ævum paribus honoribus atque cives ipsi afficerentur.

14. Qui autem nunc a nobis humantur, hi ope Corinthiis ferenda illustre totique humano generi spectabile suæ virtutis documentum ediderunt. Corinthios enim cum pristini amici Spartani oppressum irent, hi novi socii facti assertum ibant, diversa Lacedæmoniis sentientes—Lacedæmonii namque Corinthiis bona eorum invidebant, nostri vero vim et injurias Corinthiis a Lacedæmoniis illatas miserabantur, neque pristinas eorum secum simultates recordabantur, sed novam caritatem magni faciebant—: virtutem ecquis hanc neget esse ab his demonstratam, qui, Græciam ornare conantes ejusque caritate ducti, non pro sua solummodo salute pericula adire, sed pro libertate inimicis adeo hominibus restituenda mortem op-

petere nulli dubitarint? Lacedæmoniorum cum sociis confligebant, quo hos ipsos quibuscum confligebant in libertatem vindicarent: victoria enim si potiti fuissent, victis paria secum jura contribuissent; adversa autem fortuna subversi certam servitutem stabilemque Peloponnesi incolis pone se reliquerunt.

15. Illis itaque quidem, Peloponnesiis puta, hac sorte utentibus vita quidem fuit miserabilis, mors autem optabilis: nostri vero, et adhuc cum superessent et nunc fato suo defuncti, beati sunt habendi atque suspiciendi, ut qui in bonis virtute majorum partis educati eorumque exemplis instituti, postmodum adultiores facti, majorumque gloriam salvam conservarunt et suæ virtutis documenta ediderunt. Multis enim splendidisque decoribus patriam ornarunt, acceptas aliena culpa labes sustulerunt, bellum a finibus longe submoverunt; vitæ denique finem imposuerunt eum, quo virum quemque bonum decet suam obsignare, persoluta patriæ educationis mercede, quanquam mœrore et luctu educatoribus relicto. Quapropter eorum desiderio angi superstites par est ipsosque suam sortem lamentari, cognatosque defunctorum de vitæ postmodum degendæ caligine atque tristitia miserari. Ecquæ enim illis reliqua facta est hilaritas? qui eos extulerint tantos viros, qui, præ virtute pensi nil habentes, vitam ipsi suam projecerint, uxores maritis viduarint, liberos patribus orbarint, fratres cum patribus atque matribus desertos et desolatos reliquerint. Ego vero, in tanta malorum et multitudine et atrocitate, liberos tamen eorum nullus dubito beatos prædicare, eorumque sorti invidere, quos ætatis infirmitas jacturæ sensu in ejusmodi patribus factæ privet: at parentum, a quibus hi nunc humati procreati sunt, me miseret, natu grandiorum quam ut oblivisci suorum damnorum possint. Ecquid enim excogitari queat acerbius quam hoc, ut, quem tu genueris atque educaris, eundem ipse tute tuis manibus ubi humaveris, spe omni careas, invalido corpore, desertus ab amicis, necessariis vitæ adminiculis exutus, et, a quibus antea beatus fuisses prædicatus, eorundem nunc commiseratione gravatus? Eccui mors non sit tali vita desiderabilior? Quo enim illi viri erant fortiores, hoc superstitibus luctus fit acerbior. Cui luctui ecquid tandem unum est, quod modum imperare debeat? ubinam eos oportebit mœstitiæ finem facere? Reine publicæ in malis? Atqui refricabunt hæc publica mala hæc privata ulcera. Num publicis in gaudiis? Atqui satis ad mœstitiam ciendam hoc est, ut e liberorum tuorum tibi ereptorum virtute alios videas fructum lætitiæ percipientes. Num in malis privatis cuique suis? ecqui lætentur, videntes, quibus olim amicis usi fuissent, eos nunc paupertatem atque solitudinem suam devitare, inimicos autem calamitatibus suis illætari ab iisque ad insolentiam efferri? Una hæc mihi superesse videtur ratio, qua

et illos quodammodo solemur et hic compositis parem utcunque gratiam referamus, si nempe parentesque eorum non minoris faciamus atque illi adhucdum superstites eos facere insueverant, liberosque pari caritate complectamur atque si ipsimet eos suscepissemus, uxoribus denique viduatis si nos haud minus sedulos præstemus tutores atque illi olim fuere. Quosnam enim majoribus merito prosequamur honoribus, quam hic sitos? et ex superstitibus quosnam majori, quam horum necessarios, caritate complectamur? qui cum ex virtute suorum, quos nunc lugent, olim, illis adhuc superstitibus, non ampliorem atque alii fructum perceperint; nunc, sublatis illis, soli, si verum volumus, infortunii onus perferunt.

16. Verum enim vero, non video, quo expediat in hujusmodi lamentationes effundi. Non enim nos utique fugiebat, nos omnes legi naturæ natos esse obnoxios, cui semel parendum atque moriendum est: quid opus ergo est, quæ fata dudum exspectatione præcipiebamus, super iis angi? aut tam impatienter ferre mala a natura imperata, qui sciamus mortem ignavissimum atque infimum quemque perinde manere atque fortissimum et nobilissimum? Mors enim non magis prætervidet imbelles, quam strenuos reveretur, sed æquam se communemque præbet omnibus. Datum si foret, devitatis bellorum fortuitis, vitam sic tandem immortalem agere, deceret utique superstites, donec in vivis superessent, cæsos in bellis perpetuo deflere: jam vero et humana natura morbisque senioque est obnoxia eorumque plagis succumbit, et sors nascentem quemque sortita ad preces surda est flectique recusat. Quapropter eos oportet ducere beatissimos, si qui periculis defungentes ob res gravissimas easdemque honestissimas, sic tandem vitam cum morte commutarint, arbitrio sui non incertæ cuidam fortunæ permisso, neque exspectato mortis genere sponte sua obveniente, sed cum delectu generis nobilissimi. Sunt igitur eorum memoriæ senii expertes, honoresque illis habendi omnium hominum commovent admirationem atque æmulationem: cum enim ob naturam quam sortiti sunt mortalem lugentur, tum ob virtutem qua exsplenduerunt pro immortalibus celebrantur. Etenim efferuntur publice, ludique super iis eduntur, habentes locum et robori corporis demonstrando et ingenii solertiæ proferendæ et opulentiæ expromendæ: id quod testimonio est, si qui in bellis pro patria dimicantes occubuissent, eos dignos haberi honoribus iisdem, qui numinibus deorum immortalium consecrati sunt. Quamquam igitur eos ego equidem vitæ perinde mortisque beatos prædico admirorque, existimans illis solis nasci expetisse, si qui virtute hoc sint consecuti, ut corpus mortale sortiti in fama vivant immortali: necesse tamen video nobis esse, ut, morem antiquo ritui gerentes patriisque institutis, hic compositos lamentationibus prosequamur.

LYSIÆ

ADVERSUS SIMONEM

APOLOGIA.

1. Tametsi, Senatores Areopagitæ, Simonem novi multa alia atque atrocia ausum, nunquam tamen eum eo sperassem audaciæ esse processurum, ut, quarum rerum par erat eum pœnas dare, earum reos ipse alios quasi indigna passus ageret, dictoque jurejurando tanto et tam sancto ad vos prodiret. Quod si ergo judices quidem mihi essent alii de me pronunciare jussi, periculum hoc ego vehementer perhorrescerem, qui sæpe in judiciis versari plurimumque valere cernam, alias dudum ante a litigantibus comparata advocatorum præsidia, judices auctoritate, gratia, precibus, minis denique et convitio flectentium atque obruentium, alias alios mirabiles fortunæ casus, ut alia omnia sæpe eveniant quam jure certantes sperassent: ad vos autem ingressus, spero futurum, ut jus mihi debitum a vobis recuperem. Inprimis hoc, senatores, ægre fero, quod agendum mihi coram vobis sit iis de vulneribus, quorum cum me puderet multos mihi esse conscios, idcirco malui acceptam injuriam tacitus inultam perferre. Quoniam vero Simon ad hoc necessitatis eo me adegit, quod vos nihil celavit, ego rem totam ut gesta est a capite ad calcem vobis enarrabo: sed hac conditione, ut ego si reus injuriæ datæ deprehendar esse, veniam nullam impetrem; sin autem planum vobis fecero, criminibus illis me non teneri quorum me Simon cum jurejurando insimulavit, ita ut vobis solummodo videar amore erga adolescentem [Theodotum] exarsisse animi quadam levitate, aut si mavultis, dementia, gravitatem utique ætatis meæ non decente, tum ut vos, id quod majorem in modum vos rogo atque obtestor, ideo me nil improbiorem habeatis, bene memores, mortalium omnium esse neminem, qui non sensu quodam amoris afficiatur, at illum esse honestissimum atque sapientissimum, qui hujusmodi labes humanæ naturæ cognatas quam decentissime perferat. Simon autem, quem coram cernitis, his omnibus in rebus mihi offecit; id quod planum vobis faciam.

2. Ambo nos [ego et Simon] eundem erga Theodotum, adolescentulum quendam Platæensem, exarseramus, o Senatores: quem ego equidem beneficiis ducebam mihi obstringendum, ille vero contumeliis et injuriis hoc se sperabat perfecturum, ut puer impe-

rata quæque coactus exsequeretur. Longum fit, quæ Theodotus a Simone mala pertulit, enarrare; in me ipsum autem quæ Simon ausus est, ea vos arbitror ex me audire oportere. Simon nimirum, comperto puerum penes me esse, noctu meam in domum temulentus irrupit, effractis foribus, in fœminarumque secretum se ingessit, tametsi soror mea intus esset cum filiabus ejus, quæ omnem ad hoc diei ætatem ita egerunt pudicam, ut vel necessariorum quoque conspectum verecundarentur. Neque (videte, obsecro, quo petulantiæ processerit) abscedere prius voluit, quam homines, et qui fortuito intervenissent et illi ipsi adeo qui eum illuc comitati fuerant, per vim ejicerent, quod illis videretur vim et stuprum oblaturus esse puellis virginibus, patre orbis, quarum in receptaculum irrupisset. Verum aberat tantum ut Simonem hujus tantæ insolentiæ facinorumque tam contumeliosorum pœniteret, ut, loco ubi cœnaremus explorato, facinus auderet inprimis abhorrens dictuque incredibile, nisi si quis furorem ejus jam dudum cognitum atque perspectum habeat. Immisso enim nescio quo, foras me evocavit; prodii; vix prodieram, cum ille in me involat et pugnis me verberibusque concidit: ego vero inimicum ulciscebar par referens et in fugam vertebam fugientemque urgebam; ibi lapidibus ille me petit, quorum unus aliquis a me aberrans Aristocriti frontem sauciavit, qui Simonem ad domum meam euntem prosecutus fuerat.

3. Hæc ego quamvis gravia atque indigna mihi viderer passus, toleranda tamen duxi pudore metuque dedecoris si factum palam fieret — id quod memini me paulo ante dicere —, maluique horum delictorum pœnas exigere nullas quam apud cives dementiæ opinionem mereri, bene gnarus neminem fore qui in Simone istæc miretur reliquis ejus notis et solitis flagitiis consentanea, me autem qui riderent ita mulcatum, fore permultos ex eorum numero qui, civium si qui sint probitati studentes, iis invidere consueverunt. Verumtamen ita me sollicitum habuit istius scelerositas, dubiumque quibus ei modis occurrerem aut eam devitarem tractaremve, ut tutissimum mihi videretur esse ex urbe discedere peregrinatum. Assumpto itaque puero — convenit enim me nihil verorum vos celare — solum verti. Temporis intervallo post, quod satis diuturnum videbatur ad injiciendam Simoni et oblivionem pueri et pœnitentiam superiorum ausorum, redii; sed in Piræeum me abdidi: at ille tamen statim Theodotum animadvertit atque rescivit penes Lysimachum diverti, qui Lysimachus prope illas ædes habitabat, quas Simon mercede conductas incolebat; familiarium itaque nonnullos ad prandium atque compotationem invitat. Coepulones autem hi custodes in tecto constituunt, puerum domo egredientem observaturos, quo ipsi ab his custodibus admoniti puerum intro raperent. Interim ego e Piræeo in urbem redeo, et in transitu ad

Lysimachum salutandi causa devertor, pauloque post jam temulenti eximus: illi autem prorumpunt et in nos involant. Erant quidem in illo globo Simonem comitante qui scelus participare recusarent, Simon autem et Theophilus et Protarchus et Autocles raptabant puerum, qui abjecto pallio in fugam se conjiciebat: qua ego eum sperans elapsurum, hos autem, ut primum hominibus essent occursuri, a cœpto esse destituros, hæc igitur ego sperans animoque versans alia via discedebam; tam vehementer eos cavebam, omniaque eorum cœpta magnum mihi fore malum existimabam. Et quarum rerum causa Simon inter nos ait pugnam evenisse, illic neque illorum neque nostrum cuiquam comminutum est caput neque mali quicquam accepit quisquam, ut auctores vobis erunt quos ego testes ad vos producam, qui rei tum gestæ interfuere.

TESTIMONIA.

4. Simonem itaque, non me, auctorem fuisse injuriæ, insidiatumque, non me illi, sed illum nobis esse, confirmatum audistis, senatores, a testibus qui rei gestæ interfuerunt. Verum, ut rei processum et exitum enarrare pergam, puer in fulloniam quandam confugerat; verum hi eodem delati una cum puero irrumpebant, et vi abstractum abducebant clamantem et vociferantem, hominesque ad clamorem frequentes et cursim congregatos obtestantem, quos hi spernebant, succensentes facto atque stomachantes indignitatemque rei graviter ferentes: Molonem autem fullonem aliosque quosdam, qui eos cum rapto juvene auffugientes consectati erant vindicandi ejus atque rursus eripiendi gratia, verberibus commulcabant. Lamponis ad ædes jam processerant, cum ego solus inambulans illis occurro. Existimans igitur nefas et turpe esse, inultum si paterer puerum ita contumeliose raptari, manum vindicem ei injicio. Hi autem, a me interrogati, cur istæc auderent tam legibus contraria, nullo reddito responso, verbera mihi ingerebant, omisso puero. Coorto sic prælio, senatores, puero quippe saxorum conjectu eos eminus feriente atque a corpore suo arcente, in nos autem his contra saxa jactantibus, puerumque porro præ temulentia verberantibus, me denique vim defendente, cæterisque item, qui, cum rixæ intervenissent, nobis, quibus injuriam oblatam esse judicarent, opem ferebant, ita factum est in hoc tumultu ut capita nobis omnibus comminuerentur. Et reliqui quidem qui Simoni in ista per temulentiam commissa pugna sociam præstitissent operam, ut primum congressi mecum postmodum sunt, veniam erroris sui a me deprecati sunt, velut non a me læsi, sed aggressores ipsi, atrocia ausi; totoque quadriennio, quod inde efluxit, nemo eorum fuit unquam qui de me quicquam quereretur. Simon hic ipse adeo, qui unus hæc mihi mala omnia conscivit, quietum se toto illo tem-

pore tenuit, ipse sibi metuens: ut autem comperit in causa quadam privata, quæ mihi e fortunarum permutatione cum alio quopiam facienda esset conflata, me rem sinistre gessisse, ita me cœpit contemnere, ut, qua est protervia, nullus dubitaret in hoc me forense certamen conjicere. Hæc ipsa quoque vere a me affirmari, quo certiores sitis, senatores, testes ad vos adducam eos qui his quoque interfuerunt.

TESTES.

5. Rem jam ut gesta fuit tenetis, et a me et a testibus edocti: verum Simoni, senatores, o quam velim eandem esse atque mihi mentem; sic enim facile fiat, ut vos a nobis ambobus vera docti ex æquo et justo sententiam pronuncietis. Quoniam vero Simon jurisjurandi ore suo dicti nulla ducitur religione, conabor ejus mendacia refutare atque vos meliora docere. Asseverare nempe illum nil puduit, drachmas trecentas a se Theodoto esse datas ex pacto cum illo inito, me autem animum pueri malignis et insidiosis suggestionibus a se abalienasse. Atqui, si verum hoc erat, oportebat eum advocatis testibus quamplurimis hanc causam jure secundum leges exsequi. Verum paret, eum horum nihil fecisse, contra vero injurias mihi quam maximas obtulisse eo, quod ambos nos modis excepit contumeliosis, quod verbera nobis ingessit, quod comissabundus in nos grassatus est, quod fores meæ domus effregit, quod noctu in ædes mulierum ingenuarum irrupit. Quæ omnia vos oportet, senatores, pro certis habere argumentis eum hoc agere, ut mendaciis vos circumveniat. Totam suam substantiam ipse trecentis drachmis æstimavit, tanti ad censores professus; ecquotus jam erit qui non miretur, eum pluris, quam universis in bonis ipse habeat, puerum conduxisse sodalitii et amoris ergo. Verum non habet satis hoc comminisci, de dato argento; eo quoque procedit audaciæ, ut id argentum se aiat a me recuperasse: atqui, qui consentaneum est, tum quidem nos tantum facinus commisisse quanti nos Simon insimulat, ut trecentis eum drachmis fraudare conaremur; nunc autem, pugna depugnata, tandem pecuniam reddere, non ea usos cautione, ut Simonem syngrapham posceremus, qua is testaretur sibi a nobis esse satisfactum omnemque se inter et nos obortam simultatem et querimoniam sublatam, nullaque coactos reddendæ pecuniæ necessitate. Verum enimvero, senatores, versutiæ sunt hæ omnes Simonis atque imposturæ, callide ab ipso excogitatæ atque constructæ: dedisse ait pecuniam, quo infanda facere ne videretur, si, cum nullum intervenisset æris mutuo crediti negotium, tamen in puerum modis grassari tam indignis auderet; et rursus recuperatam simulat pecuniam, quia inter omnes constat, nunquam me ab ipso pecuniæ fuisse postulatum neque ipsum unquam æris a me sibi debiti mentionem fecisse.

6. Porro queritur ille quidem, se verberibus ante fores ædium

suarum a me mulcatum esse, ab iisque grave damnum corpore accepisse. Atqui constat, eum salvum et incolumem stadia plus quam quatuor cursu emensum esse, cum puerum persequeretur: quæ cum viderint homines plus quam ducenti, tamen infitiatur.

7. Tum nos ait ad ædes suas venisse testa vinaria armatos, necemque sibi minatos esse; hanc autem esse πρόνοιαν, *necem præmeditatam*. Ego vero, senatores, facile perspectu arbitror esse eum mentiri, non vobis solummodo hujusmodi causas cognoscere solitis, verum etiam quibuscunque aliis. Eccui enim credibile videbitur, me Simonis ad ædes cum proposito cædis paratisque insidiis accessisse de die, cum puerulo, tot hominibus penes eum rogatu ipsius congressis, nisi si cui videar eo furoris processisse, ut in mentem mihi veniret, certamini cum tanta multitudine me qui solus essem committere, præsertim qui bene nossem mire eum cupere ante suas ædes inermem me nancisci, quippe qui ultro meas in ædes irrupisset, pensi non faciens neque sororem meam neque filias ejus, cognitoque loco ubi tum forte cœnabam, evocatum me pugnis concidisset? Et tunc quidem ego me ab ultione repetenda continuerim, ne populi fabula fierem, quod existimarem, humani quid, in quod vel honestissimus quisque incurrere possit, me passum esse, qui in hominis impuri atque audacis furorem, velut in scopulum quendam, impegissem: tum vero, multo post, libido me—id quod hic ait—incesserit, rursus de me popello fabulam præbendi? Habiturum utique sit commentum hoc speciei non nihil, si puer penes eum hæsisset, quasi ego, cupiditatis impatientia actus, insolentius quid atque calidius quam par esset patrassem: jam vero nulli cum puero congressus ei erant, nil commune, quin imo puerum odio quam ullum alium hominem acerbiore prosequebatur; puer penes me versabatur. Eccui jam vestrum, senatores, erit credibile, me, qui conscensa nave cum puero ex urbe ideo excessissem, quo mihi omnis cum Simone digladiandi amputaretur necessitas, rursus post reditum in urbem, ultro ipsum ad ædes Simonis adduxisse puerum, ubi viderem mihi quamplurimum molestiarum atque discriminum esse propositum? Egone, illi cum insidiarer (insidiatum enim me sibi Simon queritur), sic venirem imparatus, ut neque amicos neque servos neque ullum alium hominem mihi præsto esse jussissem, præterquam hunc unum puerulum, qui cum ferre mihi opis nihil posset, tum, si quid ego fraudis commisissem, prodere me tormentis subjectus posset? At enimvero dementiæ processeram eo scilicet, ut locum tempusve minus observarem, quo Simonem, cujus vitæ dicor insidiatus esse, solum et inermem nanciscerer, sive noctu sive interdiu; sed illum scilicet in locum me demisi, ubi futurum erat, ut a quam plurimis et conspicerer et plagis usque ad necem conciderer, quasi meummet ipsius in caput fraudem hanc præmeditatæ necis excogitassem, quo acerbius atque crudelius ab inimicorum insolentia

exagitarer. Præterea, ex ipso quoque conflictu, senatores, colligatis eum mentiri. Puer enim, ut primum Simonem noscitavit ejusque globum, et quid designarent sensit, abjecto pallio, in pedes sese dedit, quem Simon cum satellitio suo insectatus est; ego autem diversa via auffugiebam. Utris jam decet culpam attribuere? fugientibusne, an insectantibus, deprehendere illos contendentibus? Ego equidem constare inter omnes arbitror, metuentes saluti suæ fugere, malum autem dare properantes insectari. Jam causari non licebit, probabilia quidem hæc dictu audituque esse, verumtamen ipsos multo secius atque ego aiam egisse: imo vero, puerum ut consecuti sunt, de via raptum vi abducebant; interveniens ego fortuito, non his quidem manus injeci, at puerum tamen eripere tentabam; quem illi pergentes vi agere, me pulsitabant. Id quod ex hominum qui rei gestæ interfuerunt testimonio constitit. Grave igitur et acerbum fuerit, quæ hi tam infanda jurique civili tam repugnantia perpetrarunt, ea me videri per fraudem dudum ante præmeditatam exercuisse. Ecquæ tandem erat mea futura sors, si res contra fuisset gesta atque nunc reapse est? si nimirum ego, multis stipatus familiaribus occurrissem Simoni, manus cum eo conseruissem, verberassem, persecutus essem, puerum deprehensum vi abducere laborassem, cum nunc ab eo, qui istæc omnia patravit, tantum in discrimen conjectus sim, ubi patrio de solo fortunisque meis omnibus periclitor? Sed maximum videte, senatores, argumentum omniumque luculentissimum. Injurias a me accepisse insidiisque petitus esse qui videri vult (quas enim rebus approbare nequit insidias, eas oratione jactat), toto ille quadriennio ausus non est ad vos suas de me querelas deferre. Alii quidem homines, ab amicorum consortio abstracti atque insuper plagis commulcati, statim ira stimulante animum ultioni adjiciunt; hic autem annis demum aliquot post.

8. Satis mihi videor, senatores, per ipsam rei gestæ veritatem verbis meis declaratam, planum vobis fecisse, culpa me vacare fraudisque nihil imputandum mihi esse; et præterea in jurgiis ex hujusmodi causis enascentibus tam placido sum atque tam composito animo, ut, quamvis alias multas a Simone contumelias acceperim caputque ab eo contusum retulerim, ad vos tamen ea de re referendum haud duxerim, belluis, non hominibus, dignum ratus ardorem vindictæ, si super amoribus mihi contractum cum quopiam jurgium fuisset, eum patria ejicere molientis. Tum si quis te sine proposito interimendi vulneret, ea mihi nulla videbatur πρόνοια, *cædes deliberata*, esse. Ecquis enim tam sit vecors, ut dudum ante secum deliberet atque constituat quomodo inimicorum cuipiam vulnus imponat? Liquet enimvero, qui leges hoc in tribunali obtinentes primi sanxerunt, eos exsilium non in hos decrevisse, si qui fortuita commissa pugna capita inter sese ruperint—nam profecto id si juris illi statuis-

sent, o quam multos in exsilium exterminassent!—; sed in eos, si qui ex insidiis quempiam vulnerent, quem occidere gestientes et parantes haud potuissent: his illi prisci legislatores pœnas constituere tam severas, existimantes, non impositorum vulnerum, sed agitatorum consiliorum atque machinationum funestarum illos pœnas debere; nam, etsi cupitis minus essent potiti, cædem tamen illos nihilominus, quantum in ipsis fuisset, patrasse, neque per ipsos stetisse quo homicidium minus committeretur. Sic vestri majores. At enimvero vos ipsi quoque sæpenumero temporibus præteritis ad hunc modum in causis *προνοίας* pronuntiastis. Et profecto, si qui, per temulentiam aut per contentionem aut ob amores aut ob ingesta convicia aut super meretrice digladiati, vulnera acceperint, aut denique super ejusmodi rebus quarum omnes, ubi resipuerint, pœniteat, grave sit atque sævum, vos ab iis pœnas tam atroces repetere, ut eos civitate exterminetis.

9. Præ cæteris in hoc Simone inconstantiam et mutabilitatem animi miror. Non enim mihi videtur ejusdem esse, ut amoris una calumniandique morbo teneatur; sed amare quidem animorum est simpliciorum, calumniari autem versutissimorum. Velim licere mihi reliquas quoque nequitias ejus coram vobis explicare; quo intelligeretis, multo eum esse digniorem qui capitis sui causam ipse dicat, quam ut alios in discrimen amittendæ patriæ conjiciat. Ego vero reliqua quidem omittam: quod vero et vestram flagitare audientiam et documentum fore videtur audaciæ atque insolentiæ hujus Simonis, de hoc uno commemorabo. In castra ad Corinthum cum venisset pugna jam depugnata et finita ad Coroneam expeditione, Lacheti cohortis tribuno repugnavit et verbera ingessit, eoque meruit, ut totius civitatis, quæ tum illis in castris universa agebat, ipse unus negligentissimus disciplinæ militaris atque nequissimus judicatus, cum infamia, voce præconis, jussu imperatorum expelleretur.

10. Multa forent alia præterea quæ de Simone prædicarem, verum, quoniam ex antiquo ritu non licet in judicio vestro, senatores, a causa aliena proferre, hæc pauca vobis proponam diligenter consideranda: hi meam in domum per vim irruperunt, hi nos sunt insectati, hi nos per vim raptarunt. Hæc recordati pronunciate id, quod jus et fas est, neque patimini ea me patria per nefas extrudi, pro qua multa certamina decertavi multisque functus sum muniis cum largitionibus pecuniariis conjunctis, cui malum nullum unquam neque ego neque majorum meorum quisquam conscivimus, sed multa contra emolumenta atque decora comparavimus; quo vobiscum alii me merito miserentur, non solum si quid eorum fatale mihi sit pati quæ Simon vult, sed etiam hoc vel solo nomine quod, per causam hujusmodi tam vilem tam turpem dictu, ad certamina forensia hujusmodi cum capitis et fortunarum omnium discrimine conjuncta fuerim adactus.

LYSIÆ
DE VULNERE PRÆMEDITATO
ORATIO.

1. Nulla nobis pacta reconciliationis intercessisse, de hoc hunc hominem contendere, id vero perquam est mirabile: quique par boum aratorum et mancipia, et quæcunque instrumenta rustica ex permutatione acceperit, ea se restituisse non potest ire inficias; at idem tamen, qui super omnibus rebus tam liquido mecum in gratiam rediit ut dubitationi locus nullus supersit, una de muliere contendit inter nos non convenisse, ut ea pari jure nos ambo uteremur. Constat illum propter hanc mulierculam permutationem bonorum mecum suscepisse, et causam tamen, cur quæ meorum abstulerat ea mihi reddiderit — verum fateri si velit —, aliam allegare nullam possit quam quod amici communes his de rebus omnibus inter nos disceptarint deciderintque et composuerint. O utinam judex in Dionysiis ludis sorte factus, victoriam tribui nostræ haud abjudicasset! quo possem hoc uti argumento perspicuo ad docendum, bona eum fide mecum in gratiam redisse: jam vero spoponderat ille quidem scripto sua manu exarato in tabulis illa ipsa de causa conditis victoriam tribui meæ se esse adjudicaturum, si eveniat ut a sorte judex designetur; designatus autem, nihilominus abjudicavit. Quæ a me vere perhiberi, cum sciant Philinus et Diocles, testari nequeunt, quoniam ea in causa, cujus reus agor, διωμοσίαν, hoc est, jusjurandum ante causæ in forum ingressum a litigantibus dicendum, non dixerunt; essetis alias perspicue intellecturi, nos suffragio nostro effecisse ut judicaturam hic adipisceretur, et per nos stetisse ut judex sederet. Sed erat nempe inimicus: et esto, per me licebit, siquidem esse vult, largiar hoc ipsi; neque enim mea interest. Veni ergo ad eum, juvat enim tantisper hoc comminisci, cum proposito cædis inferendæ; irrupi vi in domum ejus. Eccur itaque eum non occidi cujus corpus in potestatem meam redegissem, et tantum valens ut ipsam adeo mulierem mecum aufferrem? Dicat hoc coram vobis. Atqui non poterit dicere. Jam vero nemo vestrum est qui nesciat, multo facilius eum ictu sicæ, quam pugni, potuisse tolli. Constat ergo ne ipsum quidem adversarium ingressus ad se facti cum telo letifero me insimulare; sed testa vinaria se ait ictum esse. Atqui e dictis

ab ipso constat, eam non fuisse *πρόνοιαν*, *vim* aut *cædem præmeditatam*. Nam vim præmeditati si venissemus, non venissemus tam inermes, ut nunc coram vobis adsto, cum dubium esset, essemusne testam figlinam apud eum inventuri, etiamsi testa satis potens ad necem consciscendam fingatur, aut satisne validum ad mortem inferendam hoc teli genus essemus habituri; sed eo telo armati in viam nos dedissemus domoque id nobiscum attulissemus. Jam vero ipsi confitentur hi [adversarius, et ancilla, et iis addicti reliqui] nos ad pueros meritorios et ad tibicinas atque etiam bene potos venisse. Ecqui tandem hæc sit cædes præmeditata? Ego equidem haud esse putem. Verum hic homo contrario aliis modo perversus in amando atque miser est: utrumque vult, et argentum retinere et scorto solus potiri. A qua exstimulatus manu nimis citus et præceps ad contumelias est; unde necessario fit, ut læsi vim vi repellant atque ulciscantur. Scortum autem modo me summi facere simulat, modo illum, ab ambobus amari cupiens. Quod ego mulieris ingenium, ut a principio tuli animo æquo et facili, ita adhucdum fero; ille autem eo excedit rabiei, ut vibices vulnera appellare haud erubescat, et in sella gestetur, gravissimaque se affectum simulet valetudine scorti ergo, quo frui sine controversia queat, si partem pretii pro ea venali persoluti meam mihi reddere velit. Et ait ille quidem nos sceleratum in modum sibi insidiatos, rebusque in omnibus nobis contradicit: meretricem tamen illam ipsam, e qua tormentis subjecta poterat fidem verbis suis approbare, ad tormenta dedere recusat; quæ fuisset hoc primum indicatura, nostrum ne amborum ipsa sit communis an hujus propria, tum ad emptionem sui utrum ego dimidiam pretii partem contulerim an ille unus totum persolverit, post utrum inter nos reconciliati simus an simultates adhucdum exerceamus, item utrum invitati venerimus an injussu, postremo utrum hic prior manus violentas intulerit an ego verberandi fecerim initium. Et horum quæ enumeravi unumquodque sigillatim et reliquorum in controversiam venientium nihil non facili negotio meretrix hæc et alios docere poterat et hos ipsos nostros adversarios.

2. Nullum itaque hic subesse facinus præmeditatum nullamque a me factam huic injuriam fuisse, vobis, senatores, a tot numero documentisque atque testimoniis opinor esse demonstratum; rogoque vos dignumque vobis censeo, ut, quantum pondus ad conciliandam verbis adversarii fidem habitura fuisset mea tormentorum recusatio, si illum offerentem ego recusassem, tam perinde validum meæ veracitatis argumentum habeatis hoc, quod ille pati noluerit ex illius meretricis pelle veritatis confessionem exprimi; tum vos hoc rogo, ut, quod hic ait, mulierem liberam esse, tanti id ne faciatis, ut ab eo decipiamini: nam, ut libera sit, meum quoque con-

sensum accedere convenit measque partes hoc in negotio non minores versari quam ejus, quippe qui ad emptionem hujus corporis partem æris dimidiam de meo contulerim. Verum enim vero mentitur, deditaque opera verum vos celat. Misera enim vero et luctuosa sit istæc conditio. Mulieris ingenuæ ad redemptionem ex hostium captivitate æs si impendissem, liceret mihi ea quoquo vellem abuti nullamque non operam ab ea exigere; nunc autem periclitanti mihi de communione patriæ obtinenda, ne hoc quidem minutum licebit, ut ex hac muliere, quæ servilis est conditionis, iis de rebus, quarum causa capitis in discrimen adductus sum, perconter. Atqui ejusmodi in causa, tam capitali atque hæc mea est, eam tormentis subjici multo erat æquius, quam tum sub corona vænire, quum hoc ageretur (fingam enim tantisper) ut ego ex hostium captivitate redimerer pecunia, ex ancillæ venditione redacta; et erat hoc tanto æquius, quod e captivitate quidem tibi liceat in patriam redire multis aliis quoque modis, ut, si hostes ipsi te ultro dimittant, aut si redemptionis pretium aliunde extuderis: inimicorum autem in potestatem tradito tibi non licet eam in patriam redire, unde per immanitatem eorum ejectus fueris, qui ære placari nolint, sed, ut patrio te solo arceant, in summis votorum atque contentionum habeant. Decet itaque vos, non excusationem hujus hominis probare, postulantis mulieri tormenta ideo remitti quod ingenua sit, quod commentum est veritate cassum; sed multo magis, eum istæc æqua censentem pro sycophanta jus æquum pervertere conante habere, quippe qui facile sibi futurum speret, ut, argumento veri inveniendi tam certo prætermisso, mendaciorum suorum præstigiis vos circumveniat. Nam profecto vos non decet, sponsionem ejus nostra credibiliorem ideo habere, quod servos suos ad tormenta obtulerit. Quod enim illi unum norant, nos ad ipsum venisse, id ipsi nos ultro confitemur factum: num autem vocati venerimus necne, et utrum ego plagas prior acceperim an intulerim, mulier id melius norat, quam servi. Præterea, servos si torsissemus qui hujus proprii sunt, torsissemus incassum et stulte, si quid huic gratificantes meam in fraudem essent mentiti: mulier autem nobis ambobus erat communis (ambo enim nos pro capite ejus e catasta redimendo partem pretii æqualem contuleramus), et omnia optime norat. Propter eam norat adversarius maxime omnes has contentiones atque molestias nobis coortas esse, et in ejus pelle nihil posse occultum manere. Et, quanquam ego iniquiore quam adversarius loco eram futurus si mulier hæc torqueretur, nullus tamen dubitavi periculum hoc quoque facere; majoris enim hunc mulier facit, id quod ipsis e rebus constat, quam me: consilia operamque cum hoc illa conjunxit ad me lædendum atque vexandum, mihi autem nunquam illa operam navavit ad illi incommodandum. Et

nihilo tamen ego minus ad testimonium hujus mulieris confugi, quo testimonio fidere adversarius dubitavit, fidei mulieris se committere non ausus.

3. Oportet itaque vos in causa tantum periculum mihi creante, orationem hujus non temere probare, sed, recordantes de patria et de fortunis omnibus aut salvis retinendis aut amittendis mihi certamen esse propositum, rationem harum habere sponsionum. Documenta adhuc evidentiora ne requirite: alia enim præter hæc non facile habeam afferre, unde certi fiatis, me scelus non agitasse præmeditatum. Hoc enim vero, senatores, indignor et fero quam impatientissime, propter ancillam, quæ scortum sit, summarum rerum in discrimen me devenisse, qui vitæ innocentem nunquam non me gesserim: ecquod enim unquam aut reipublicæ aut huic ipsi malum creavi, aut cuinam civium omnium uni injuriam obtuli? Nullum unquam scelus patravi, quale hi me patrasse aiunt; quanquam, id quod cujusvis est factuque facillimum, aiunt solummodo, rebus ipsis non probantes: et nihilominus tamen per hanc meram verborum invidiam conflatum mihi tantum est malum ab his, ut de summa rerum pericliter. Per liberos itaque vestros, per uxoresque, per deos denique solum hoc Atticum obtinentes, oro vos supplex obtestorque, ut mei misereamini neque me sinatis ex hujus inimici mei arbitrio aut stare aut cadere, neque me in pestem immedicabilem conjiciatis: neque enim merui exsilii pœnam huic dare, neque hunc convenit tantam a me repetere pœnam earum injuriarum quas ait ille quidem a me tulisse, nullas autem unquam tulit.

LYSIÆ
PRO CALLIÆ SACRILEGIO
APOLOGIA.

Callias alia quapiam de re, non de libertate retinenda, si contenderet, sufficerent mihi ab aliis pro eo dicta: jam verò turpe mihi videtur esse, hortanti me Calliæ atque roganti, homini denique non mihi modo nunc amico, sed et olim cum patre meo conjunctissimo donec pater in vivis superesset, et quicum nobis multæ intercesserunt rerum contractarum necessitudines, pro virili mea, quoad jus et fas sit, nolle succurrere. Existimabam itaque Calliam inquilinum inter nos agentem ita se gessisse, ut dignus esset ornamento potius aliquo atque emolumento cohonestari, quam ex ejusmodi criminibus tantum in discrimen conjici: verum enim vero mali bonis insidiantes, vitam suspiciosam atque periculosam non minus innocentibus reddunt quam multarum noxarum reis. Vos autem non decet servorum orationi fidem adhibere, horum [advocatorum Calliæ] derogare, reputantes, de Callia quidem qui quereretur neminem unquam fuisse neque privatum hominem neque honore quopiam fungentem, eumque de civitate nostra, in quam fortunarum suarum sedem transtulerit, tam multis esse modis bene meritum ut sine cujusquam offensione atque sine criminatione ad id ætatis pervenerit; hos autem [servos] homines impuros, quibus universa vita sceleribus cooperta sit, quæ molestiis atque cruciatibus multis magnisque corpore tolerandis luerunt, nunc audere libertatis mentionem facere, ad eamque adspirare, quasi præmium egregiæ cujusdam operæ a se reipublicæ navatæ poscentes. Id quod ego equidem in illis haud quaquam miror: norunt enim, mendacii convictos se pejore conditione non futuros, quam hæc est qua nunc sunt; sin autem vobis imponere et verba dare potuerint, tum se malis præsentibus liberos fore. Atqui ejusmodi homines oportet neque in accusatorum numero haberi idoneorum et fide dignorum neque in testium: non hi, quibus in sua de aliis prædicatione magnorum sita spes est compendiorum; sed illi potius ad accusandum testandumque admittendi sunt, qui saluti publicæ consulentes atque succurrentes capita ipsi sua discriminibus objiciunt. Recte vos mihi facturi videmini, si causam hanc non privatam sed publicam habeatis, ad salutem omnium quotquot in civitate degunt pertinentem: non enim his modo quorum causa nunc agitur sunt servi, sed etiam reliquis omnibus, qui servi, in horum [consortium suorum] fortunam intuentes, non jam hoc agent imposterum neque ita secum instituent, ut bene de dominis merendo libertatem mereantur, sed ut falsa de illis denuntiando.

LYSIÆ

CONTRA ANDOCIDEM IMPIETATIS

ORATIO.

*** equum e marculo fani religatum quasi restitueret, insecuta nocte rursus inde subtraxit atque abegit. Hic igitur tanti facinoris reus genere mortis acerbissimo periit, fame: quanquam enim multæ ei lautæque dapes apponerentur, teterrimus tamen fœtor e panibus atque mazis exhalans, eum passus non est appositorum quicquam gustare. Multi nostrum istæc ex hierophanta cum narraret audivere. Quod Andocides suos ipsius cognatos et amicos a se delatos perdidit, quum diceret eos esse conscios. Quapropter æquum esse duco tum temporis dicta vobis a me per occasionem Andocidis in memoriam revocari, quo homo, qui necessarios amicosque suos indicina sua pessumdederit, sceleris sui conscios et participes eos criminando, non illos solummodo ore suo pessumdederit, sed ipse quoque rursus ab alio quopiam accusatore perculsus pessum eat. Neque vobis licet, ejusmodi in causa pronuntiantibus, aut commiseratione Andocidis aut gratia moveri, qui certi sitis, hominem religionum utriusque numinis [Cereris et Proserpinæ] palam violatarum reum vobis puniendum esse. Jam consentaneum est hoc exspectare futurum, ut, qui ipse sibi quisque videtur, idem aliis quoque videatur esse.

2. Fingamus tantisper, exempli causa, Andocidem sententia vestra ab hoc crimine absolutum hinc discedere, ad sortiendum in comitiis novem archontum accedere, a sorte regem sacrorum designari; numquid aliud tum fiet, quam hoc, ut pro vobis sacra faciat votaque suscipiat e ritu patrio, alia hoc in Eleusinio, alia in fano Cereris apud Eleusinem, et sub tempus mysteriorum festo præsideat operam dans atque cavens, ut nemo per sacros illos dies quicquam committat nefarium, irreligiosum, et sacris inimicum? At quam putatis mentem tum fore mystis undique huc congressis quo sacris occultis initientur, videntibus qui et cujas sit rex sacrorum omniumque ab eo impie factorum recordantibus? quam fore cæteris Græcis, si qui huc per festi causam convenerint, sive quod sacrificia

suo nomine per dierum festorum opportunitatem offerre, sive quod solummodo sacrarum cæremoniarum spectaculis interesse decrevissent? Auctores enim facinorum sive ad laudem sive ad dedecus insignium necesse cum sit ab iis inclarescere, non patiuntur scelera, quibus Andocides numina deorum violavit, eum cuiquam sive foris sive domi ignotum esse. Multos præterea quoque populos in erroribus ille suis exagitavit, Siciliam, Italiam, Peloponnesum, Thessaliam, Hellespontum, Ioniam, Cyprum concitavit: regibus multis blanditus est, quibuscum usquam locorum congrederetur, præterquam uni Syracusano Dionysio. Qui omnium aut fortunatissimus aut callidissimus est, eo quod ex omnibus Andocidis consuetudine usis ipse solus ab ejusmodi circulatore non deciperetur, hanc artem exercente, ut inimicis quidem nil incommodet, amicis autem malorum det quam possit plurimum. Quapropter facile factu vobis non erit, si qua in re ei per gratiam contra jus et fas conniveatis, ut id occultum Græcis maneat. Facere ergo non poteritis, Athenienses, quin, hoc de homine quid statuatis, diligenter atque severe deliberetis; qui probe noritis, negatum hoc vobis esse, ut una legesque patrias et Andocidem tueamini, sed alterutrum esse optandum, ut aut leges aboleatis aut hominem hunc amoliamini.

3. Eo vero progressus est audaciæ, ut aiat, in se latam legem jam dudum sublatam esse sibique jam licere forum et templa frequentare *** etiam nunc Atheniensium in senatu. Atqui Periclem aiunt aliquando vobis auctorem factum, ut in sacrilegos non solum legibus de jure civili perscriptis, sed illis quoque uteremini, quæ literis haud consignatæ custodes atque interpretes habent Eumolpidas de jure sacro consulentibus respondentes, quas leges ad id diei neminem unquam valuisse convellere neque ausum esse quemquam iis refragari, neque constare a quo profectæ sint, tam alta eas esse antiquitate venerabiles: hoc enim pacto futurum sibi videri, ut sacrilegi pœnas dent non hominibus modo sed ipsis quoque diis. Verum Andocides adeo deosque parvi facit eosque quibus mandatum est violatarum religionum vindicias exsequi, ut priusquam decem plus minus dies in urbe reversus ab exsilio exegisset, causam impietatis ad regem sacrorum deferret, judicesque sorte constitui curaret, quamvis Andocides esset, hoc est, is qui adversus deos tam nefanda esset ausus: Archippum (dicam enim, quo magis animum attendatis) aiebat in Herma sibi gentili et avito nefas patrasse. Archippus contra, Hermam illum salvum atque integrum superesse nihilque passum earum contumeliarum quas Hermæ reliqui accepissent: et nihilominus tamen, ut sibi cum Andocide, homine hoc animo, his moribus prædito, certandum ne esset, vexationem nummis datis redemit. Atqui se dignum qui censuit ut ab alio pœnas impietatis repeteret, ab eo alios quoque sceleris ejusdem

pœnas repetere utique jus et fas pietatique erga deos erit consentaneum.

4. Verum grave, aiet, indignumque esse, indicem quidem extrema pati, indicio autem notatos salvo gaudere statu et jure civili, perinde vobiscum fruentes juribus atque honoribus iisdem. Atqui grave qui non erit, eum satis non habere, si causam capitis sui sibi dicere liceat, sed etiam aliorum accusationem defensioni suæ admiscere? comparare inter se causas quam plurimum distantes? Nam alios quidem quod rursus civitate recepistis, quos sacrilegii reos factos exsilio mulctaveratis, nulla versatur in eo culpa vestra, sed illi deliquerunt, qui vobis revocationem eorum atque restitutionem in integrum imperarunt invitisque extorserunt; quo facto hi cum sacrilegis ejusdem sacrilegii reatu sese ipsi obligarunt: nunc autem, liberi cum sitis vestræque spontis et excusso tyrannidis jugo rerum vestrarum arbitri, si nunc vindicias deorum tollatis, culpa jam ipsi vos tenebimini, hi autem tyranni quondam vestri extra culpam erunt. Nolite ergo criminationem hanc et hunc reatum vestris ipsimet manibus ab illorum capitibus in vestra transferre, cum liceat vobis pœna sceleris reo infligenda infamiamque et piaculum effugere. Præterea, quos Andocides queritur vobis exprobrans in urbem revocatos, unde ob impietatis crimen exsulatum ire jussi fuissent, hi scelera infitiantur a se commissa esse ea quorum se delator Andocides insimulasset: Andocides autem ipse sua se confessione reum fecit. Atqui non in aliis solummodo judiciis, sed in ipso quoque Areopagitico, quod omnium judiciorum sanctissimum et juris æqui tenacissimum habetur, quicunque capitale crimen a se admissum fatetur, is statim capite pœnas luit; sin autem infitietur, inquiritur in causæ veritatem et convictionis per argumenta fidiculæ admoventur, quo sæpe factum est, ut accusati absolverentur, qui re diligenter explorata judicibus nihil deliquisse visi fuissent. Haud convenit ergo infitiantes crimen cum confitentibus pari conditione habere. Mihi utique grave accidit indignumque, si committatur ut deorum sit penes nos pejor atque hominum conditio: hominis corpus si quis vulnerarit, e. c. caput aut os aut manus aut pedes, illi jus Areopagiticum titulo vulneris præmeditati excessum ea ex urbe, in qua vulneratus rem familiarem habet, imperat, quo si redierit ab exsilio, indicatur senatui Areopagitico, qui eum statim morti damnat: deorum autem in simulacra si quis eandem vim atque idem nefas expedierit, eum vos templorum liminibus non arcebitis, sed ad aras accedere inultum sinetis. Atqui his prospicere, hos ornare, tueri, demereri, cum decet tum expedit, a quibus cum spe bonorum impetrandorum proposita metus quoque malorum accipiendorum immineat. Quid? quod Græcorum multos aiunt Andocidem ob illa tot ab eo sic inter nos impie facta suis templis exclu-

sisse. Vosne ergo, Andocidis injuriis ipsi læsi, ritus et jura vestra minoris facietis quam alii faciunt? Tanto est hujus Andocidis erga deos impietas, quam Diagoræ Melii fuit, atrocior, quod Diagoras in aliena fana ludosque orationis solummodo profanitate grassatus est, Andocides autem facinorum in sua patria sacra. Oportet itaque, vos, Athenienses, in cives vestros, circa religiones deorum delinquentes, severius quam in peregrinos animadvertere: injuria enim altera est adventitia, hæc autem domestica. Dedecus hoc stultitiæ ad vos ne admittite, ut, cum criminosos impune sinatis abire eos quos in potestate habeatis, tum, si qui fuga se vestræ animadversioni subduxerint, eos venemini atque comprehendere laboretis, talenti præmio per præconis vocem ei proponendo, si quis impium hominem aut vivum adhuc et spirantem ad vos adduxerit aut perempti caput pertulerit. Sin minus, videbimini Græcis vestram erga deos pietatem inanium verborum ludibriis jactare magis, quam rebus ipsis in pœnis sacrilegorum exsequendis approbare velle. Neque cavit Andocides, ut intra mœnia urbis patriæ impietatis suæ offensio subsisteret atque contineretur, sed ad Græcos quoque universos suum deorum contemptum palam jactavit, atque velut insultabundus declaravit nullum a se deorum numen haberi. Neque enim in terra continente se continuit, tanquam pœnas facinorum suorum metuens in undis se manentes, sed, veluti se fidens deosque ad ineundum secum certamen provocans, in mare se demisit, naviculariæ factitandæ animum adjecit, navicularia exercenda mare intutum atque infestum reddidit. Verum deus eum ad locum supplicii tolerandi velut obtorto collo attraxit, quo per causam mei ad loca reversus criminum commissorum ipsi conscia meritas tandem pœnas daret. Et mox daturum profecto confido: quod si tamen minus id evenerit, ego equidem haud sim miraturus. Neque enim deus delicta in continenti punire solet: verumtamen, quanquam hoc quod vos exercetis judicium mere humanum est, hoc est, incerti et fallacis exitus, quippe quod multimodis fraudibus ludi atque perverti queat, deorum tamen judicium qui aut falleret aut perfringeret, nemo unquam fuit. Id quod ita esse multis ego e documentis colligo, cernens alios quoque sacrilegiorum reos, quamvis lento et multo post, at certo tamen et inevitabili supplicio satisfecisse, et ipsos et eorum posteros majorum piacula suis capitibus luentes. Interea deus sceleratis terrores multos atque discrimina multa immittit, per quæ factum est, ut, impatientes malorum a quibus liberari gestirent, in mortem ruerent. Deus autem ne mortem quidem vitæ infinitis molestiis et cruciatibus exercitæ portum aperit quo confugiat, sed ad tartara mittit manes defunctos dirius etiam excruciandos. Longius ne abeam, hujus ipsius spectate vitam Andocidis, ex quo sacrilegii se reum fecit, num qua sit alia vita ejus similis. An-

docides enim, ut e mulcta arbitraria ob delictum ipsi irrogata in judicium inductus erat, ipse sese in carcerem compegit, eo quod ipse sibi sua æstimatione pœnam hanc carceris statuisset, nisi servum tradidisset, quem a se tradi non posse probe norat, utpote sui causa suorumque scelerum, ne index fieret, interemptum. Atqui fieri qui possit, ut minus videatur mentem ejus vitiasse deus atque occœcasse, qui facilius toleratu atque commodius arbitratus sit ipsummet sibi custodiæ mulctam irrogare, quam pecuniariam, pari utramque in partem sorte proposita? Ex illa enim ultro delecta litis æstimatione hæsit in vinculis ad annum ferme, iisdemque in vinculis necessariorum atque familiarium indicavit nomina, posteaquam ipsi proposita fuisset spes de emerenda per indicium veri immunitate spiritus. Ecquam ei fuisse mentem existimatis, qui extremæ turpitudinis subiret flagitium amicos prodendo, salute ipsius adhuc dubia? deinde vero neci dando per indicium suum amicos illos, quos a se summi fieri ait? Videbatur vera indicasse et carcere emittebatur quidem, sed cum addito interdicto, ut forum ne frequentaret neque fana deorum; quo nempe ne læsus quidem ab inimicis injurias ulcisci posset. Atqui, ait, ex quo Atheniensium nomen immortali fama cœpit exsplendescere, nemo unquam ob tale crimen infamia notatus est. Recte vero ait: neque enim fuit unquam, qui scelera huic paria perpetraret. Horum omnium malorum, ipsi existimate, utrum causa diis an casui fortuito imputanda sit. Emissus carcere infamiaque notatus, itinere maritimo ad regem Cittiensium se contulit, a quo item in carcerem est detrusus, cum is eum in conatu sui prodendi deprehendisset; neque mortis vulgaris eum solummodo metus tum terruit, sed multo etiam magis lentæ mortis multosque per dies et cruciatus quam dirissimos extractæ: injecta enim ipsi fuerat hujusmodi supplicii formido de se sumendi, ut spiranti adhuc singulos in dies singuli artus decerperentur. Sed istud quoque periculum fuga cum evasisset, domum in nave remigravit sub dominatu CCCC virorum: tantum nempe stuporem atque cœcitatem rerumque omnium oblivionem menti ejus objecerat deus, ut ultro ipse cuperet ad illos ipsos redire quos injuriis irritasset. Reversus sic domum, in vincula datus lorisque sectus aliisque multis molestiarum et cruciatuum modis exagitatus est; nisi quod extremum non toleravit supplicium, tandem aliquando rursus emissus. Nave illinc rursus in Cyprum revectus, ab Evagora rege nescio quod ob delictum nexus est. Inde quoque fuga elapsus, palabatur, quoquo cœca sors deferret patriæque extorrem deorumque patriorum exsortem, mox eosdem ad quos confugisset rursus relicturus. Ecquæ autem sit gratia vitæ, cui fatale sit, plurimas atque creberrimas in molestias, velut in scopulos, illisæ, nusquam respirare neque conquiescere? Rursus illinc

[e navigatione, quæ ipsi ordine temporum secunda fuit] relatus hanc in urbem Andocides, jam restituta gaudentem libertate [quadringentorum tyrannide sublata] prytanas largitionibus corrupit, ut se huc ad concionem producerent cum eaque agendi veniam darent: vos autem non solummodo restitutionem in integrum roganti denegastis, sed urbe quoque eum excedere jussistis, quo jura deorum ipsis confirmastis, leges eas exercendo quibus illa jura ipsis decreveratis atque receperatis tuenda. Sic nulla virum hunc civitas, neque jure gaudens civili æquo et omnibus communi, neque parens optimatibus, neque tyrannis serviens, eum recipere certis quidem atque stabilibus voluit sedibus: sed ex quo impietate erga deorum numina se polluit, vitam et egit semper et adhuc agit erraticam, quoquo locorum veniat, ignotis magis fidens quam familiari usu cognitis; hos enim fraudibus circumvenire solet injuriisque lacessere. Nunc, id quod novissimum est, iterum domum reversus bis intra anni ejusdem spatium illegitimi in urbem patriam et a legibus interdicti reditus reus factus, corpus qnidem suum videt carceri pæne perpetuo obnoxium, fortunas autem a certaminum forensium sibi adeundorum crebritate atque magnitudine indies decrescentes. Atqui fortunas suas inter inimicos atque rabulas qui diribat, is vere dicatur ipse sibi vitam facere haud vitalem. Verum hanc ut ipse sibi pestem velut meditando excogitaret atque consciseret Andocides, non eo deus ipsum induxit, quo salvum et sospitem conservaret, sed quo pœnis sacrilegiorum ab eo commissorum olim aliquando exigendis reservaret. Denique ultro ipse semet nunc vestras in manus tradidit vestroque permisit arbitrio, non quo nullius sibi culpæ conscius esset, sed a divina quadam necessitate velut verbere actus. Quare vestrum esse quenquam, Athenienses, ita medius fidius, haud convenit, sive senior est sive junior, qui, servatum tot e periculis cernens Andocidem, cui tot scelerum sit conscius, ideo ad contemptum numinis deorum impellatur: cogitato potius, dimidio brevius vitæ stadium placide et jucunde decurri satius esse, quam duplo longius in perpetuis molestiis atque ægritudinibus extrahi; quale quid huic Andocidi contigit.

5. At ille nihilominus tamen eo processit audaciæ, ut remp. suis manibus eversum atque perditum eat: res agit civiles, concionatur, alios increpat honoribus fungentes, alios honorum candidatos censuræ suæ severitate excludit; in senatum irrumpens, de sacrificiis, de supplicationibus, de votis publice concipiendis, de oraculis deorum consulendis atque interpretandis, auctor fit sententiarum. Atqui obsecundantes huic vos eccuinam uni deorum speratis rem gratam facturos? Nolim enim vos opinari, judices, si vos facinora conscelerati hujus hominis oblivisci velitis, ideo deos quoque oblituros esse. Non autem satis habet domi ætatem degere tranquillo et ob-

scuro in otio, id quod eum satis habere decebat quem conscientia tot scelerum perculisset; sed in luce reip. versari vult, tanquam qui piaculi auctores exploratos indicasset: hæc agitat consilia, ita se parat, hæc sibi conscribit auxilia, ut plus aliis in rep. valeat, quasi non per vestram clementiam negotiorumque quibus septi estis spissitatem factum sit, ut vos de eo puniendo adhucdum cogitare minus possetis, tametsi novis vos nunc haud obscure læsit offensionibus: at enimvero, qua eum oratione hac reum peragam, eadem effecturum me spero, ut damnetur pœnasque dudum meritas jam tandem aliquando persolvat.

6. Nitetur item hac excusatione: video enim necesse mihi esse, ut omnia vos doceam quæ hic sui purgandi causa profert, quo vos peraudita utrinque causa certius et æquius pronuncietis. Persuadere nimirum vobis vult magna a se in remp. ornamenta collata esse, eo quod, noxios indicando, illis vos terroribus illoque æstu quo tum temporis jactabamini liberarit. Ecquis autem tantorum erat malorum concitator? Non hic ipse, ea patrando quæ patravit? Ergone meriti quidem huic habenda erit et referenda gratia, ut indici, cujus ipsi gratiam meriti abunde retulistis decernenda delicti venia et spiritus immunitate; tumultus autem illius illarumque sollicitudinum culpa in vos, qui in sceleratos inquisiveritis, erit conferenda? Neutiquam: plane contra civitatem ab hoc conturbatam vos rursus sedavistis.

7. Sed hoc quoque eum audio pro se dicturum, pacta a vobis cum Lacedæmoniis et inter vosmet inita, nil minus ad se quoque, quam ad alios quoscunque Athenienses, pertinere; speratque se consecuturum, ut hoc tam specioso prætextu decepti vestrum permulti se absolvant, metuque constricti, ne excludendo ipsum fructu pactorum illorum pacta violentur. Planum itaque faciam Andocidi cum pactis illis nil quicquam commune esse, neque his, quæ cum Lacedæmoniis pepigimus, neque illis alteris, quæ redeuntes domum e Piræeo cives cum parte civium ea, quæ sub XXX virorum dominatu in urbe manserat, pepigerunt. Neque enim a nostrum quoquam, tot numero cum simus, eadem commissa sunt crimina atque ab Andocide; me miserum! eadem enimvero? ne similia quidem: quod si esset, posset Andocides nonnulla æqui specie communionem illorum pactorum fructumque postulare videri. Verum, ita me Jupiter amet, neque propter Andocidem inter nos dissensimus, neque prius nobiscum in gratiam redire recusavimus, quam nominatim de Andocide in pristina jura restituendo et ad participationem pactorum admittendo cautum esset. Non enim unius hominis, sed nostra causa, quotquot sumus, e Piræeo et Urbe cuncti, pacta inita et jurisjurandi religione sancita sunt: foret utique indignum, si nos, propter Andocidis peregrino in solo errores, ipsi rerum omnium

egentes, operam dedissemus ut crimina ejus expungerentur. Verumtamen Lacedæmonii profecto in pactis nobiscum contractis Andocidi prospexerunt? qua re? ea nempe re, quod ab eo beneficio nescio quo essent ornati? Nequaquam. At vos tamen illis in pactis, quæ vos mutua cives cum civibus stipulati estis, Andocidis commodis consuluistis? Ecquodnam ob meritum? Num, quod sæpe caput pro republica periculis objecit? Non est, Athenienses, hæc vera et firma excusatio; neque committendum vobis est ut ejusmodi offuciis decipiamini. Neque pactorum rescissio in hoc cernitur, ut Andocides delictorum suorum a privato commissorum pœnas persolvere cogatur, sed in isto, si quis ob publicas calamitates privatim quenquam ulciscatur.

8. Sed vereor, ne Andocides accusationes a Cephisio accusatore in se conjectas in ipsum retorqueat, et habeat utique in hunc quidem quod dicat: oportet enim verum fateri. At vos tamen, judices, profecto non poteritis eadem sententia et defensorem et accusatorem condemnare: sed jam quidem hoc de Andocide vera vos et æqua convenit decernere; Cephisio autem, aut si quos nostrum alios præterea Andocides nunc perstringat, suum cuique tempus defensionis postmodum veniet. Nolite ergo, si quibus aliis succenseatis in eosque animadversionem expediatis, ideo hunc absolvere delicti convictum.

9. Verumtamen indicem se fuisse jactabit, atque, si ipsum puniatis, verendum esse, ne, qui imposterum indicare clandestina crimina velit, nemo sit futurus. Atqui tulit Andocides hanc indicii sui mercedem et habet, spiritum quem indicio suo salvum a vobis meruit, aliis per idem indicium extrema passis supplicia. Salutem ergo vobis debet, mala autem quibus nunc septus tenetur, et discrimina in quibus æstuat, ipse sibi eo circumposuit, quod scita de se publica auctoritate fixa conditionesque sub quibus immunitatem adeptus fuerat migravit. Non armandi a vobis sunt indices licentia, post indicium novis delictis vetusta exaggerandi: sufficiunt vetusta, in quibus eos par est insistere: nova si quæ accesserint, ea puniri convenit. Et reliqui quidem indices, si qui turpium criminum ergo comprehensi ipsi sese indicarint, nondum convicti neque vi argumentorum minisve aut apparatu tormentorum ad confessionem veri adacti, utcunque sint alias bruti et immanes, hoc unum tamen sapiunt, si quos læserint, ex eorum conspectu procul secedendum esse neque amplius incommodandum: recte enim vero sapiunt, existimantes, ubicunque locorum procul Athenis agant, ibi licere sibi salvis et a pœna tutis atque cum dignitate quadam vivere, ut, quibus ignoti sint, iis viri boni et honesti videantur, et nunquam infamia notati, sed integro gaudentes statu et jure civili; sin autem domi maneant, non posse facere, quo minus homines

impuri et conscelerati habeantur. Batrachus quidem præter hunc unum Andocidem reliquorum omnium sine controversia homo impurissimus, tametsi pactis conclusus esset illis quæ vos cum Eleusinis inistis, metu tamen eorum, quos antea triginta viris adhuc obtinentibus indicinam factitans offendisset atque læsisset, apud alios commorari duxit satius. Andocides autem, hunc Batrachum importunitate superat: frequentat enim templa deorum, versaturque in oculis eorum quos fœdis modis dehonestarat; quo testatum ad omnes facit, se numina deorum minoris etiam facere, quam Batrachus homines fecit. Batracho igitur ipso qui homo impurior est idemque tardior et importunior, eum utique decebat secum habitare, quietum se continere, latitare, satis habentem, quod salvum beneficio vestro spiritum haberet, eaque felicitate perinde immerita atque insperata perfruentem, ut nihil amplius cuperet.

10. Age, consideremus, ecquid tandem spectantes vos oporteat Andocidem absolvere? Hoccine, quod vir fortis et miles strenuus sit? Atqui pedem urbe nunquam in castra iturus extulit, nunquam militia functus est neque equestri neque pedestri in gravi armatura, nunquam in classe munia obiit neque trierarchi neque militis classiarii, neque ante calamitatem qua perculsa jacuit respublica neque post eam, quanquam annis quadraginta jam major. Alii quidem exsilium tolerantes a legibus irrogatum, nihilominus tamen in classe vestra, belli molestias in Hellesponto exantlante, muniis functi sunt una vobiscum trierarchalibus. Quo loco recordari vos velim, quantis e malis quam diroque e bello ipsosque vosmet et rempublicam emoliti sitis, cum multis illis durisque laboribus quos corporibus ipsimet vestris exantlavistis, tum ingente illa æris vi quod æs publiceque privatimque impendistis, jactura denique illa lamentabili virorum fortissimorum quos illo in bello cæsos contumulastis. Andocides autem, tametsi ab his omnibus malis intactus, nullam suam operam oppressæ patriæ vindicandæ contulit, nihilominus tamen nunc audet publicorum bonorum communionem ea in rep. poscere, quam ipse sacrilegio polluit. Verumtamen, divitiis nempe suis indeque parta potentia, contractisque cum regibus atque tyrannis extraneis amicitiis atque hospitiis, quæ nunc vestrorum morum animorumque gnarus jactabit, res vestras jacentes relevavit? Ecquanam in re? ecqua ab eo ad vos profecta est contributio, cujus fructum nunc a vestra eum referre clementia oporteat? Rempublicam cernens sæva oppressam procella, ne lucri quidem spe illectus est ad opem frumentariam patriæ afferendam, ea in nave, qua per maria agitanda quæstum exerceret navicularium: sed inquilini quidem atque hospites urbis nostræ, contestandi ergo grati memorisque animi, veniam inter nos commorandi hospitiique liberalitatem compensabant eo, quod civitatem annonis undique convectandis

atque importandis recrearent; tu autem, Andocide, ecquod tandem tuæ erga patriam voluntatis edidisti documentum? quodnam in eam contulisti beneficium? quonam tu novo benefacto pristina tua maleficia reprehendisti atque emendasti? quamnam nutricationis mercedem almæ huic matri nobis communi rependisti? * * *

11. Mementote, Athenienses, mementote Andocidis facinorum, recordamini religionum augustissimi diei festi, cujus ergo quam plurimi vos summi faciunt. Verum estis nempe vos ab hujus hominis crebritate atque immanitate facinorum ita animis dejecti atque fracti, ut oculos contra attollere, ut hiscere, minus audeatis; ita sensus vobis ex eorum quæ vidistis atque audistis, cum acerbitate tum assiduitate, occalluerunt, ut atrocissima quæque vos jam nil moveant, sed pro levibus et contemnendis dissimulatione transmittatis. Verumtamen attendite nunc dicendis animum; opinamini vos oculis mentis cernere furores Andocidis: quod si facietis, melius judicabitis. Indutus hic stola sacerdotali, assimulans histrionico mimo cærimonias, ostentavit non initiatis quæ videre nefas est, et carmina cærimoniis consecrata, profanis auribus interdicta, clara voce vulgo recitavit; et quos deos in numero deorum habendos divinisque honoribus prosequendos vobis ritu patrio et lege publica proposuistis, quos nos religiose colimus, quibus puri castique hostias cædimus, quibus supplicamus, eorum Andocides simulacra mutilavit. Quod expiaturi sacrilegium sacerdotes utriusque sexus, ad occasum conversi, diris devoverunt sacrilegum pannosque puniceos succusserunt, prout antiquo et primigenio ritu sancitum est. Ipse hic scelus suum fassus est. Et nihilominus tamen legem a vobis latam, qua jussus fuït, ceu homo impurus et piacularis, a sacris et fanis deorum se abstinere, transgressus, furiose perruptis hisce repagulis omnibus, in civitatem nostram per vim irrupit, illis in aris litavit quibus interdictum ei erat, illis se sacris obtulit quæ furore suo conspurcaverat, ingressus est in Eleusinium, pollutas manus sacro illic aquiminali perluit. Ecquem istæc tolerare oportebit? ecquem decebit amicum, quem cognatum, quem judicem, hoc utentem familiariter, occulta suffragii gratia deorum sibi apertam indignationem consciscere? Nunc vos decet ita animum inducere, ut statuatis, hoc Andocide puniendo et de medio tollendo futurum, ut civitatem universam purgetis, illaque in uno omnia exsequamini, quæ raritate exercitationis et appellationum diritate horribilia, proverbiorum ad modum, in ore vulgi versantur, scil. *ἀρὰν ἀπάγεσθαι*, et *ἀποδιοπομπεῖσθαι*, et *φαρμακὸν ἀποπέμπειν*, et *ἀλιτηρίου ἀπαλλάττεσθαι*: quæ enim modo appellavi exsecranda, eorum est Andocides quodcunque vis, *ἀρὰ*, *ἀποδιοπόμπιμος*, *φαρμακὸς*, *ἀλιτήριος*.

12. Dioclis hierophantæ, qui nobis avus fuit, dictum memorabile celare vos nolo: nam ad rem præsentem facit. Deliberantibus ille

vobis aliquando, quid in hominem Megarensem sacrilegii reum factum esset statuendum, hujusmodi factus est sententiæ auctor. Volentibus enim aliis hominem confestim indicta causa occidi, intercessit Diocles, rem judicio committendam esse ratus hominum causa, quo reliqui, coram ipsis in foro agitata causa, melius imposterum sapere discerent: diis autem quo satisfieret, judices ita paratos ad sedendum convenire hortabatur, ut domo quisque secum afferret probe consultum atque decretum, quæ hominem pati de diis ita meritum fas esset. Bene itaque gnari vos, Athenienses, in hac Andocidis causa quæ sint vestræ partes, ne committite, ut ab ejus strophis circumveniamini. Hominem tenetis sacrilegii convictum: vidistis, audistis ejus scelera. Provolutus ad genua vestra supplicabit: procul habete misericordiam; qua digni sunt insontes plectendi, indigni, si qui pro meritis extrema tolerant supplicia.

LYSIÆ AREOPAGITICA

PRO SACRA OLIVA EXSCINDENDA

APOLOGIA.

1. Olim equidem opinabar, Senatores [Areopagitæ], volenti cuique licere otium a litibus atque molestiis forensibus agere: nunc autem in criminationes incurri tam inexspectatas in hominesque tam improbos, ut necesse mihi videatur esse, ut, si fieri possit, ipsi adeo nondum in lucem editi discrimina sibi ab illis imminentia exhorrescant; nam per hoc hominum genus discrimina capitalia cum insontibus perinde atque cum consceleratissimis communicantur. Conjectus utique sum in certamen spissum et inexplicabile. Olim insimulabar oleam humo eruisse: cujus rei explorandæ causa cum accusatores ad redemptores vectigalium adissent ex oleis publicis redeuntium; cernentes, hac quidem via sibi aditum ad me præclusum esse omnique me culpa vacare, nunc me calumniantur Secum excidisse [h. e. vietum et effœtum oleæ truncum, Minervæ quondam consecratæ], sperantes hoc modo futurum, ut impeditissimam in causam me implicent, licentiamque de me quicquid velint comminiscendi adipiscantur. Sic factum est, ut necesse nunc habeam adversus criminationes falsas ab insidiatore capitis mei temere confictas pugnare, easque dum contendam coram vobis, Senatores, diluere qui mihi hac in causa jus dicturi sitis, de patria fortunisque meis omnibus periclitari: verumtamen ego nihilominus conabor vos omnem rem a principio inde docere.

2. Erat nempe fundus hic quondam Pisandri: cujus bona cum essent publicata, Apollodorus Megarensis eum, a populo dono nactus, aliquandiu ipse per se excoluit; postmodum autem paulo ante tyrannidem XXX virorum Anticli vendidit: Anticles colendum nescio cui elocavit: restituta pace eum ego ab Anticle emi. Jam me decet planum vobis facere, Senatores, quo tempore dominus fundi factus ego sum, eo neque oleam neque secum ibi ullum fuisse. Anterioris enim temporis ob delicta, si quæ intercesserint, arbitror haud æquum esse me mulctari, etiamsi oleæ olim ibi innumeræ fuissent, nunc desideratæ. Nam si per me sublatæ illæ non sunt, haud convenit insontem me pro sonte plecti. Bellum nempe, ut

alia nobis mala quam plurima conscivit, ita in causa quoque fuit, ut cum procul ab urbe dissita a Lacedæmoniis evastarentur, tum propiora ab amicis differrentur: æquum ergo qui erit, clades reipublicæ tum illatas me nunc luere? præsertim cum fundus hic ærario addictus, toto triennio et ultra, tenente bello, venalis pependerit. Quare mirandum non est, tum fuisse qui oleas sacras exstirparent, quum ipsi nos nostra privata tueri non possemus. Quotquot vestrum, Senatores, operam imprimis rei rusticæ dant, nostis multa loca tum temporis privatisque publicisque olivetis obsita fuisse, quæ nunc sunt exstirpata agrique eorum ipsorum denudati, qui iidem eorum domini in belloque et in pace essent; vos autem hujus rei pœnas ab illis nullas repetitis, quoniam non ipsi, sed alii, exstirparunt. Atqui, si vos culpæ eximitis eos si qui per immemorabile tempus possederunt, multo magis convenit impunes eos esse si qui fundos a vestrum quopiam post restitutam demum pacem emerint.

3. Verumenimvero, vetustioribus quidem illis de rebus multa dicere cum habeam, arbitror tamen jam dicta sufficere: ex quo autem ego fundum a me emptum in manum potestatemque meam a priore domino traditum accepi, vix interjectis quinque diebus post elocatum Callistrato permisi, Pythodoro archonte. Callistratus hic biennio coluit eum fundum, in quo conspicuam neque privatam ullam oleam neque publicam neque secum a me sibi traditum suscepisset. Tertio anno colendum conduxit Demetrius hic quem coram vobis exhibeo, et per annum coluit: quarto elocavi Alciæ Antisthenis liberto, qui Alcias triennium est ex quo vita decessit. Etiam Proteas iisdem conditionibus conduxit atque superiores. Adestote testes.

TESTIMONIA.

Exacto tempore ad quod Proteas culturam fundi mei sibi depactus mercede condicta fuerat, ipse ego eum nunc colo. Accusator autem ait, archonte Suniade secum a me exstirpatum esse. Atqui, quos testes coram vobis exhibui, hi negant eo in fundo secum esse, quem a me mercede conductum multis annis ipsi coluissent. Ecqui autem quis liquidius, quam sic, doceat accusatorem aperte mentiri? Fieri enim nequit, ut quæ antea in fundo nulla fuerint, ea posterior dominus illinc climinet.

4. Quotquot olim, Senatores, sollertem me diligentemque dicerent, et circumspectum cautumque, temere nihil agentem, iis succensebam, ut eas in me laudes conferentibus, quas cum intelligerem mihi debere inesse, tum nullas penes me reperirem, conscientiam meam excutiens: jam vero vos quoque pervelim pariter ita de me sentire, ut nulli dubitetis, si tale quid unquam ausus sim, ea me fuisse prudentia atque circumspectione, ut antequam facinus exse-

querer, dispicerem mecum ecquod compendium exstirpatio oleæ mihi esset allatura, et quodnam rursus damnum creatura; et facinus si maneret occultum, quæ ex eo essem malis artibus aucupaturus commoda, et contra deprehensus, quas vobis essem pœnas daturus. Nam talia patrantes omnes, non petulantia neque superbia incitati, sed lucro illecti patrant: et ut vos par est, Senatores, ab hac parte rem intueri atque perpendere, ita accusatores quoque decet criminationibus suis ex eo fidem adstruere, ut doceant, quodnam emolumentum ex incusatis facinoribus ad reos pervenire potuerit. Huic autem accusatori meo non admodum facile factu videtur fore, ut doceat, sive a paupertate me adactum ejusmodi facinori animum manumque adjecisse, sive secum fundo nocuisse, sive vineis incommodasse, sive ita prope domui assitum fuisse ut luminibus officeret, sive me periculorum ignarum fuisse eorum, quæ tale quid ausum a vobis essent mansura. Ipsemet enim ego contra multas mihi videor proferre posse magnasque noxas, quas ejusmodi facinore committendo ipse mihi sim contracturus: ego videlicet tam stultus sim, primum quidem, ut de die secum exstirpem, quasi facinus id sit ejusmodi, quod non oporteat omnes celare, sed potius ad Atheniensium omnium prodere conscientiam. Tum, si turpe solummodo fuisset facinus, facile forsitan evenisset, ut unus et alter prætereuntium id neglectu transmitteret: jam vero non turpitudinis sed gravissimorum damnorum periculo me exposuissem. Ecqui ergo non fuissem mortalium omnium infelicissimus atque miserrimus, si quid ejusmodi commisissem, per quod servos meos imposterum tota mea vita non servos mihi sed dominos essem habiturus, utpote tanti facinoris mihi conscios? ut, quamvis atrocia in me delinquerent, ego tamen pœnas repetere nullo modo possem: probe enim ego id quidem profecto tenuissem, penes ipsos futurum esse, ut meque ulciscerentur, seque indicando scelere meo in libertatem vindicarent. At fac tamen, si vis, reverentiæ mancipiorum in mentem mihi non venisse; ecqui tamen tot conductorum conscientiam non reformidare poteram quorum nullus est quem scelus meum fugere potuisset? egone secum minimi lucelli ergo tollere sim ausus, tum nulla proposita temporis præscriptione, sed necessitate causæ dicendæ quamvis diuturno tempore post æqualiter impendente; denique, cum omnium qui fundum hunc unquam a me conductum arassent pariter interesset, secum salvum esse, ut, si quis esset qui ipsorum aliquem temeratæ in hoc genere religionis incusaret, is incusatus eum edere posset ad eumque causam referre cui secum una cum fundo tradidisset. Jam vero constat ex eorum testimonio, ut me hi omnes absolvunt, ita ipsos suomet testimonio, si quidem id mendax sit, communioni culpæ semet innectere. At fac tamen, apud hos gratia, precibus, pollicitationibus, blandimentis,

minis, quibuscunque tandem malis artibus, tantum me valuisse, ut eos in scelerisque mei discriminisque societatem pertraherem; ecqui tamen tandem via publica prætereuntes vicinosque omnes mihi conciliare silentioque devincire poteram, qui vicini non eorum solummodo quæ palam fiunt vicinis sunt conscii, sed clandestina quoque nostra cœpta, quæ sedulo cavemus ut nemini innotescant, curiosi rimantur et indagant? Horum ergo vicinorum, ut alii mei studiosi erant, ita rursus alii simultates mecum gerebant et super jure possessionum mearum mecum contendebant. Hos itaque debebat accusator earum criminationum quibus me petit testes producere, non autem tam aperta mendacia tam impudenter atque proterve projicere, cujusmodi hæc sunt: adstitisse nempe me servis ait stipites contruncantibus, actorique boum tigna plaustro imposita avehenti. Atqui tum, Nicomache, tum debueras, prætereuntes antestari, factumque divulgare: sic agendo et defensionem mihi nullam fecisses reliquam, et ipse tute, sive privatus mecum exsequereris simultates, ultus me esses; sive remp. promereri studeres, ita me reum convictum dedisses, ut calumniæ infamiam effugisses; aut si me nummis emungere velles, mercedem silentii tulisses longe amplissimam: nam si res denudata fuisset atque in ora hominum didita, nullam mihi duxissem aliam superesse salutis viam præter hanc, ut auro te placarem atque os tibi obturarem. Horum omnium cum tu nihil quicquam feceris, postulas tamen, ut judices vanitati tuarum criminationum tantum deferant ut me condemnent tibique tradant discerpendum: quereris, in rep. tantum me potentia, divitiis, largitionibus præpollere, ut nemo tibi neque velit neque audeat testimonii operam navare. Atqui, si me conspicatus sacram oleam exstirpantem, aut ipsos novem archontas aut alios quoscunque senatui Areopagitico adscriptos in rem præsentem duxisses, nullis tibi testibus aliis opus fuisset: sic enim hi, te vera loqui, tibi fuissent conscii, qui ipsi causam dijudicaturi essent. Miserrimo utique atque iniquissimo sum loco conclusus: testes quidem si præstaret, postularet nempe fidem illis haberi; nunc autem hoc ipsum adeo quoque, quod testibus caret, contendit obesse mihi debere. Id quod ego equidem haud miror. Artem enim qui jugiter factitat calumniatoriam, is nunquam ab ejusmodi quidem cavillationibus desertus erit, etiamsi sit a testibus: ego vero vos ab isto æquum censeo dissentire. Nostis enim, multas esse oleasque et tabernas [vel ustrinas] oleo excoquendo comparatas, in reliquis quæ in Pedio mihi sunt villis: quas oleas intervertere et exstirpare et solum earum aratro frangere, si juvisset, hoc licuisset securius, quo id factum poterat in ista olearum multitudine facilius occultari. Ego vero tanti illas facio, quanti reliquam meam substantiam, existimans, de ambabus [h. e. et illis de villis atque olivetis, quæ mihi sunt in

Pedio, et de his, quæ sunt prope urbem] sive conservandis sive amittendis æquale certamen esse propositum.

5. Produxi ad vos paulo ante alios innocentiæ meæ testes: nunc vosmet ipsos præstabo mihi testes, qui non solum quotannis semel rei saltuariæ cognitores nobis delegare soleatis, e collegio vestro deputatos, verum etiam mense quoque evoluto in reditus saltuum inquiratis eorumque rationes a redemptoribus vectigalium publicorum exigatis: quorum omnium nunquam quisquam fuit, qui me eo nomine, quod solum oliveto consecratum ararem, mulctasset. Atqui is ego utique non sum, qui, minuta cum damna tam sedulo caveam, tum discrimina libertatis cum servitute mutandæ pensi haud faciam: densa illa oliveta, in quibus majori etiam cum impunitate, si libuisset delinquere, licuisset, tam studiose colo et orno noxamque ab iis omnem arceo, atque palam et in confesso est me facere; super illa vero una olea publica, quam si exstirpassem, facere nullo modo potuissem ut facinus occultum maneret, super illa ego commisi scilicet, ut necesse haberem judicii discrimen subire!

6. Porro, si libuisset unquam facere, non nunc fecissem, sed dudum ante: rogo enim vos, senatores, utrum mihi expediebat magis, in rep. libera peccare, an in oppressa a triginta tyrannis? Quod ego dictum ita nolim accipi, ac si illis dominantibus multum potuissem, nunc jaceam invidia atque contemptu perculsus; sed eo, quo significem, peccandi tum fuisse quam nunc est majorem licentiam, si quis esset quem juvaret peccare. Jam, id quod inter omnes constat, illa dira et calamitosa tempestate neque tale quicquam designavi neque ullum aliud malum reip. dedi. Ecqui ergo, nisi omnium mortalium ipse mihimet sui inimicissimus, inducere animum ad oleam exstirpandam potui, vobis tam acres agentibus custodias, eo e fundo, in quo prostare negat accusator ullam aliam arborem, præter quam truncum effœtum, oleæ sacræ; quem via publica in orbem ambiat, et domicilia vicinorum utrinque opposita præcingant, et, septo quod careat, undique conspicuum? Quæ cum ita sint, ecquis unus omnium ausus sit negotio tam arduo manum admovere? Per mihi quidem accidit indignum et haud ferendum, a vobis quidem, publice qui sitis olearum publicarum constituti custodes atque vindices perpetui, me nunquam neque mulctatum esse quasi solum consecratum arassem, neque de oleis exstirpatis in periculum causæ capitalis conjectum: hunc autem Nicomachum, qui neque in propinquo aret neque a rep. ad hanc provinciam curandam delegatus sit neque id ætatis agat ut harum rerum quicquam scire possit, tamen nomen meum detulisse et in tabulis publicis consignari curasse, quasi oleam sacram de medio sustulissem.

7. Oro itaque vos, senatores, atque obtestor, ut majorem hujusmodi commentis adhibere fidem quam factorum testimonio nolitis, neque aures vestras inimicorum meorum mendaciis præbeatis obtun-

dendas iis de rebus, quas secius esse atque illi aiunt ipsi vos mihi conscii estis; facietis autem hoc, quod vos rogo, cum et ex hac oratione mea et e reliqua mea vita civili mores meos spectabitis. Imperata enim mihi atque demandata omnia libentius atque promptius exsecutussum, et exsequor, quam si a rep. coactus essem: sive enim præfectum navis in classe vestra ago sive contributiones dependo sive choris in ludis tripudiantibus præsum sive aliud quodcunque munus edo, tanta partes meas gero cum liberalitate atque magnificentia, ut civium nemo unus sit omnium qui sumptuum prodigalitate me superet. Quanquam si non, ut feci, splendide lauteque, sed parce solummodo tenuiterque hæc fecissem, non haberem quod de exsilio aut de fortunis periclitarer, et in re versarer ampliore honestis modis parta, vitamque agerem discriminum exsortem: ea autem patrando, quorum iste me insimulat, non modo nihil lucratus essem, sed etiam caput ipse meum in periculum dedissem. Atqui vos omnes sine dubio fateamini mecum consentientes, æquius esse, magnis de rebus ut gravioribus concedatur argumentis quam levioribus, eaque ut habeantur probabiliora, quæ testimonium universæ consentientis civitatis confirmat, quam ea, quæ una hujus accusatoris improbitas jactat.

8. Sed supersunt adhuc alia momenta, senatores, quæ a vobis ponderari velim. Adscitis enim testibus ad eum cum adissem, declaravi, omnes adhuc mihi superesse servos, quos tum in potestate habuissem cum prædium hoc a priore domino recens emptum suscepissem, paratumque me esse tormentis, si quem eorum vellet, tradere; quod sperarem sic futurum, ut vis veritatis e scrutinio meorum cœptorum emicans istius commenta obrueret atque deleret. Iste autem recusavit, prætexens, fidendum nihil esse mancipiis. Foret utique mea quidem sententia res abhorrens, eosdem servos suis in causis tormentorum esse tam impatientes, ut ipsi sese indicent, tametsi probe sciant extrema quæque sibi tum toleranda esse: rursus autem in causis dominorum, quibus natura sunt infestissimi, eosdem tormentorum esse tam patientes ut extrema quæque perpeti malint, quam eos prodere quibus prodendis liberationem a malis præsentibus consequi possint. Constat, ni fallor, senatores, si Nicomacho mancipia mea deposcenti denegassem, futurum fuisse, ut vobis viderer sceleris mei mihi conscius esse: rursus itaque de isto, qui, dedente me, servos accipere recusarit, id idem suspicari vos æquum censeo, præsertim in disparitate periculi nostri. De me enim si quid illi torti secius efferrent, ne hiscere quidem mihi liceret: iste autem, servis eorum quæ vult nihil affirmantibus, nulli est mulctæ obnoxius. Quocirca multo istum magis decebat oblatos a me servos accipere, quam me offerre. Ego itaque eo studii et promptitudinis e conscientia recte factorum enatæ processi, quod existimarem mihi expedire, ut vos et e tormentis et e testibus et ex argumentis atque

indiciis ratiocinando ex ipsa re collectis rei veram rationem cognosceretis. Vos autem, senatores, decet vobiscum deliberare atque constituere, utri fide sint digniores, hine quibus permulti testimonium perhibuerint, an quem testimonio adjuvare nemo ausus sit; et utrum verosimilius sit hunc mentiri quem nulla mendacii pœna maneat, an me tanto proposito periculo tantum facinus patrasse; denique utrum studio bene de patria merendi accensus Nicomachus, an libidine magis calumniandi actus, accusatorem egisse videatur? Ego equidem nullus dubito vos opinari, Nicomachum ab inimcis meis inductum hoc certamen instituisse, non quo consideret, facturum se ut sacrilegii reum me perageret, sed quo mercedulam a me speraret extorsurum. Hujusmodi enim criminationes quo sunt et ad intorquendum facillimæ et ad depellendum difficillimæ, hoc eas maxime nemo non defugit. Ego vero, senatores, indignum mea persona duxi telum istud hoc artificio eludere atque avertere; sed, ut iste me incusavit, statim vestræ me potestati arbitrioque vestro commisi, et hujus quidem discriminis causa cum inimicorum nullo in gratiam redii, tametsi mihi illi sunt tam infesti, ut libentius me probris insectentur, quam ipsi sese laudent, id quod faciunt quam libentissime; et tam iidem ignavi atque imbelles, ut aperte me adoriri atque injuria lædere nullus eorum adhucdum sit ausus, hujusmodi autem rabulas mihi immittant, quibus vos, æquum si faciatis, fidem derogabitis. Forem enim hominum omnium miserrimus, si exsilio contra jus et fas mulctarer, qui sim sine liberis ex universa gente mea solus adhuc superstes, quo fieret ut domus mea desolaretur [h. e. stirps deficeret], porro, si mater mihi derelinquenda esset atque destituenda rerum omnium inops, si turpissimis criminibus infamatus hujusmodi patria exciderem tam illustri tam mihi cara, pro cujus ego salute tot pugnas terraque marique depugnaverim, et cujus in utraque fortuna, tam in libertate quam paucorum sub dominatu, pudentem me moderatumque gesserim.

9. Verum enimvero, senatores, haud scio, an locus hic ad vos istæc jactandi minus sit conveniens: quapropter, in quibus causæ cardo vertitur, paucis ea verbis complexus dicendi finem faciam. Planum vobis feci, secum in prædio nullum fuisse, testes ei rei confirmandæ produxi, documenta attuli. Quæ vos decet memori tenentes mente, causam disceptare, et æquum existimare hunc a vobis interrogari, quam ob rem, cujus me sceleris convincere recente adhuc et flagrante delicto potuisset, ejus me nunc tanto tempore post in certamen conjecerit, laboretque a testibus destitutus fidem vestram suæ orationis præstigiis furari, cum potuisset scelus meum rebus ipsis evictum dare; item cur, quos ego servos meos omnes, illos ipsos adeo, quos ipse ait sceleri cum patraretur interfuisse, ad tormenta dedendos obtulerim, eos ipse accipere recusaverit.

LYSIÆ

ADVERSUS FAMILIARES OBTRECTATIONIS

ACCUSATIO.

1. Opportunum mihi videor tempus nunc esse nactus iis de rebus disserendi, de quibus animi mei sensus jam dudum gestio expromere: absentibus enim iis quos incuso, adsunt coram quibus queri juvat de auctoribus injuriæ. Quanquam multo mihi major est ad præsentes contentio [h. e. magis mea refert, et in hoc acrius contendo, ut coronæ causam meam approbem, quam absentibus]: nam istos quidem absentes pensi non facturos autumo, si familiaribus parum familiares videantur—nam si unquam studuissent amicis placere fidemque iis atque voluntatem suam ut par erat approbare, nunquam commisissent, ut me læderent—, his autem eam de me injicere velim existimationem, ut, cum nulla istos injuria mea provocassem, ab istis ultro lacessitus injuriis fuisse videar. Est enimvero acerbum quidem, facere te non posse quominus his de rebus verba facias; rursus tamen reprimi lingua recusat neque licet tacere, qui contra quam sperassem indignis modis acceptus sim, et iniquos reperiam eos qui amici visi fuissent.

2. Primum itaque, ne quis vestrum, peccata sua tuendi atque dissimulandi studio, prætextus iis obtendat, prodire eum velim atque nominatim edere, quis vestrum a me unquam aut probris infamatus aut malo quopiam affectus fuerit, aut quis, opem meam cum implorasset, a me repulsam tulerit, quamvis penes me esset ei gratificari. Ecquid ergo vos tanta me verborumque factorumque atrocitate contenditis insectari, ad eosque adeo me diffamare, quos ipsimet vos ad me criminari studuistis? quamquam [ista vestra in me conjecta probra qui mihi retulit] ita modestus erat, ut magis in hoc laboraret, ut dignitatis meæ studiosus esse videretur, quam ut malignos aliorum de me sermones referret. Quæ autem ille ad me, haud committam, ut ego eadem omnia ad vos referam: nam et graviter aures meas primum audita sauciabant. Et ridiculus videar, querens de vobis istæc dicteria in me spargentibus: eadem enim de me prædicando, quæ vos prædicastis, culpa vos absolverem. Quæ autem

cum spe atque proposito contumeliam mihi adspergendi dixistis (quanquam contumeliam quidem mihi minus adspersistis, quam vosmet ipsi ridiculos ea dicendo fecistis), ea referre satis habebo.

3. Vobis nimirum invitis, id quod aiebatis, ego memet per vim vestris circulis ingessi et sermonibus immiscui, et, nihil cum relinqueretis intentatum, nulla tamen machina liberari ab importunitate mea poteratis; hæ nempe vestræ sunt querelæ: novissime Eleusinem me vos esse comitatum invitos, cum illuc ludos spectatum proficisceremini. Quæ dicentes, sperabatis quidem in dedecus meum cessura, verum ipsimet summam vestram denudabatis tarditatem atque importunitatem, qui, quo tempore hominem clandestinis probris arrodebatis, eodem eundem palam in amicis numeraretis. Decebat enim aut vestram ab hoc homine maledicentiam removere aut eum a vestra consuetudine arcere, eique disertis verbis congressibus vestris interdicere. Sin autem hoc turpe ducebatis, qui poterat maculam vobis adspergere consuetudo hominis, cui familiaritatem renunciare indecorum putabatis? Atque quamvis altissime superioris meæ vitæ cursum memoria atque cogitatione remetiens, nihil invenire potui ejusmodi, cujus causa consentaneum fuisset consuetudinem meam a vobis contemni. Neque enim, vos cum cernerem sapientissimos, tum me videbam insipientissimum; neque vos amicorum multitudine florentes, me desolatum et abjectum; neque vos locupletes, me nudum et mendicum; neque rursus vos gratia potentes, dignitate illustres, me invisum atque invidia publica oppressum; neque vestras fortunas recto stantes talo, meas labantes et inclinatas. Ecqua igitur ego probabili ratione inductus suspicari poteram, vos congressibus meis gravari? Est hoc quoque scitum commentum, quod nuncius hac de re necessarios arctissime mecum conjunctos certiores fecit, quos prævidebatis mihi renuntiaturos esse. Arguta enim vero stropha: honestius nempe sic, quam si omnes vos ipsi, circumitantes, vosmet accusassetis atque reprehendissetis, quod volentes improborum familiaritate uteremini.

4. De eo quidem, qui retulit, nil egeritis percontantes. Primum enim id facientes, rem vanam et stultam facietis; interrogabitis enim me id quod jam nostis: ecqui enim ignoretis eum, ad quem illam invidiosam de qua nunc agitur orationem habuistis? Tum trifurcifer ego sim, si majori etiam perfidia ego vobis indicem prodam, atque index vos mihi prodidit. Ille enim studio et caritate mei necessariis meis probra vestra retulerat, vos autem odio mei studioque mihi nocendi probra illa de me ad eum jactaveratis. Quibus ego si diffisus essem, operam dedissem ut certo explorarem; jam vero nil attinebat, certus eram vera illum retulisse: ita recentiora hæc malevolentiæ erga me vestræ indicia vetustioribus illis

concinunt, ut ista ex his et rursus hæc ex illis mutuo confirmentur argumentis ad fidem faciendam idoneis. Primum quidem, me, qui causa vestra in negotio equi oppignerandi ita contendissem ut ad contentionem mihi reliquum nihil fecissem, lusistis. * Adducebat equum pugnando fessum, quem reducere volenti mihi intercessit hic Diodorus, affirmans, de duodecim minis nil repugnaturum esse Polyclem, sed redditurum. Hæc Diodorus oratione tum usus, post mortem equi ad postremum adversarius mihi factus est, et his inimicis meis adjunctus jactat, æquum haud esse me æs recuperare. * * * Nam si, nullam ab his ego passus injuriam, de quo quererer nihil habebam, recte utique hi communem adversus me causam faciebant. Opinabar aliquando eos more academicorum, super hac causa utramque in partem disputabili, deteriorem partem sibi delegisse tuendam, ingenii proferendi et facundiæ exercendæ gratia: verum paulo post agnoscebam errorem meum, cum illi, non verbis, sed factis, mihi adversarentur. Idque eo, quo Polycles a me dicta resciret; patefacta enim ista omnia sunt. Coram arbitris enim stomachans Polycles dixit, necessariis adeo meis me injustum videri; nam ipsos ad se id dicere. Num etiam hæc statim dicenda cum relatis ad me concinunt? Idem enim homo, qui ista, etiam hæc ad me retulit, vos præ vobis ferre, quod avertere velitis eos si qui pro me dicere parent, et jam quibusdam obstitisse. Verum quid hæc me oportet adhuc luculentius excutere? Age enim norat aliquando ille, quod a Clitodico quem rogassem repulsam tulerim. * * *

5. Nunc tandem intelligo, vos jam dudum causam quæsisse rescindendæ mecum amicitiæ tum, cum de Thrasymacho quereremini, quasi is mea causa vos probris insectaretur. Ego tum Thrasymachum ipsum percontabar, meane causa Diodorum contumeliosis verbis insectaretur; ille vero istud *meâ causa* tam fastidioso risu explodebat, ut negaret esse hominem natum, cujus causa, nedum mei, Diodorum esset unquam criminatus. Horum subire scrutinium Thrasymachus erat paratus, a me ad Diodorum adductus; hic autem quidvis potius faciebat. Post Autocrates me coram Thrasymacho confirmavit Euryptolemum de eo queri, atque affirmare se [Euryptolemum] ab ipso [Thrasymacho] male audisse: auctorem sibi esse Menophilum. Statim nos ad Menophilum accessimus, ego et Thrasymachus: verum Menophilus negabat aut querentem de Thrasymacho Euryptolemum audisse aut se ad Autocratem retulisse, neque solum hæc, sed a longo jam tempore sermonum sibi nihil cum illo intercessisse. Constat jam, vos simultatem vestram erga me e mea cum Thrasymacho consuetudine conceptam hujusmodi prætextibus velatum isse: nunc autem, postquam consumpti et exhausti vobis sunt omnes prætextus, liberius omnem au-

cupamini occasionem me injuria afficiendi. Oportebat ergo me tunc statim sensisse, sortem hanc inevitabilem me quoque manere, ut istis modis a vobis tractarer, cum alios vestri sodalitii verbis contumeliosis traduceretis. Etiam de Polycle, cui nunc præsto estis omnes, vos docui. Ecquid igitur istæc ego non cavi? Humani nempe quid patiebar. Qua eram animi simplicitate atque tarditate ingenii, sperabam delectus vobis amicus esse, quem in oculis sinuque ferretis absconditum et tutum a telis maledicentiæ vestræ, propterea quod sæpe vos audissem de aliis male coram me loquentes: quæ ego vestra maledicta de vestrum unoquoque mutuo jactata pro arrha vestræ erga me fidei habebam.

6. Ultro igitur ego vestram vobis remitto amicitiam eique renuntio, non intelligens, ita me dii ament, quodnam bonum decusve mihi per abstinentiam a vestris congressibus decessurum sit: neque enim ullum ad me bonum a mea vobiscum consuetudine profectum est. Egone, si quo fiat ut implicer causæ forensis discrimine, tum unum vestrum habebo, qui pro me verba faciat in judicio advocatus aut testimonio me suo sublevet? Non a patrocinio causæ meæ suscipiendo tantum abestis, ut potius pro me dicere paratos prohibeatis? loco auxilii atque testimonii vestri mihi rebus in æquis atque honestis præstandi, adestis adversariis meis advocati eosque testimonio adjuvatis. Vosne de me honorifice, id quod benevolos homines meique studiosos decet, prædicetis? Me solummodo maledictis nunc exagitatis, brevi post autem ipsi vosmet maledictis mutuis dilaniabitis; neque enim ego intercedam: quoniam soletis semper unum aliquem familiarium, quemcunque tandem, maledictis proscindere injuriisque vexare, (accipite sortes vestras a me vate nunc edendas) ubi ego index factus animorum vestrorum ulcera clandestina denudavero; nemo enim vestrum est, qui non alteri cuicunque vestri sodalitii male velit eique detraxerit; fiet hoc, ut in vosmet ipsi tandem convertamini: sic dissipabitur vestrum collegium, singulis quibusque in alteros infesta rabie sævientibus: qui postremus supererit, in semet linguam laxabit maledicam, ipse sua discerpet viscera. Ego vero, qui primus omnium a vobis secesserim, hoc secessus initio faciendo compendifaciam, ut molestias a vobis accipiam et minimas et numero paucissimas: quotquot enim vobis familiariter utuntur, eos omnes et verbis et factis male mulcatis; quibus autem nullus est vestri usus, eorum nulli unquam quicquam incommodavistis.

LYSIÆ

PRO MILITE

ORATIO.

1. Quanam tandem mente et quid spectantes adversarii causam quidem ipsam transmiserunt indictam, mores autem meos conati sunt in invidiam adducere? Ignorabantne de causa dicendum esse? An, bene quidem hoc norant, verumtamen, opinantes tantam vobis inesse obliviositatem atque tarditatem ut strophas suas minus essetis animadversuri, de re quacunque alia copiosius quam de causa proposita disserunt? De eo quidem mihi certo constat, eos non mei contemptu, sed causæ, verba facere: sin autem pro ea qua sunt stultitia sperant futurum, ut vos calumniis suis deceptos ad me condemnandum impellant, istud equidem non admodum mirer. Sperabam quidem, judices, de crimine, non de moribus certandum mihi fore: adversarios autem cernens moribus meis obtrectantes odiumque iis afflantes, non possum facere, quin ad omnes eorum criminationes respondeam. Primo itaque loco vos docebo, qui factum sit, ut nomen meum inter ærarios referretur.

2. Anno abhinc retro tertio in urbem reversus vix duos menses domi exegeram, cum numero militantium allegerer. Quod ut sensi factum, protinus cœpi suspicari nulla honesta probabilique de causa me ad obeundam illam castrensem expeditionem delectum esse, sed fraudem nescio quam cujusve ea in re versari. Ad strategum itaque adii, cui significavi me stipendia jam esse emeritum; verum ab illo jus æquum impetrare non poteram: iratus ob hanc acceptam injuriam, compescebam me quidem, verumtamen anceps animi consiliique inops, cum civium nescio quo deliberabam, quid hoc in negotio sequerer et qua id ansa tractarem: ibi certior fiebam, illos [Ctesiclem strategum ejusque assessores] carcerem adeo mihi minari, jactantes haud minus esse tempus quo Polyænus in urbe ageret quam quo Callicrates. Probrosa illa dicta in imperatorem a me conjecta, quorum causa mulcta pecuniaria mihi scripta est, exciderunt mihi per sermonem cum familiaribus apud mensam argentariam Philеæ, nequaquam autem in curia: et Ctesicles tamen, qui tum cum imperio erat, ejusque assessores, certiores ab indice nescio quo facti convitiorum a me in ipsos sparsorum, nulli dubitarunt

mulctam pecuniariam irrogare, per nefas illi quidem; lex enim expressis verbis cavet, *si quis in curia.* Mulctam tamen hanc a se mihi dictam exigere ausi non sunt, attamen abeuntes magistratu nomen meum in albo exaratum quæstoribus tradiderunt. Hæc illi quidem callidis machinationibus perfecerunt: quæstores autem, quibus animi erant ab istorum animis longissime dissidentes, revocabant eos, qui sibi tabulam in qua pro ærario scriptus eram tradidissent, causamque noxæ percontabantur. Tum cognita tota re, recordantes quam indigna passus essem, primum quidem illis persuadere laborabant, ut me absolvere vellent, docentes parum civile esse civium quenquam ob privatas cujusquam cum eo simultates in ærarios referri: videntes autem sibi negatum, ut illos a sententiæ suæ duritie deducerent, sustinuerunt capita sua periculo censuræ vestræ, judices, objicere, mulctamque mihi a Ctesicle sociisque ejus irrogatam irritam et nullam esse sciverunt.

3. Estis ergo vos quidem jam certi, me a quæstoribus absolutum esse: quoniam tamen mearum duco partium esse, ut per reliquas quoque quæ supersunt veri docendi vias ab hujus criminis macula me purgem, plures adhuc legesque titulosque juris allegabo. Cape tu mihi hanc legem.

LEX.

Audistis legem disertis verbis edicentem, si quis magistratibus in curia convitietur, eum pecunia mulctandum esse. Ego vero testes ad vos produxi, affirmantes, in curiam me ne pedem quidem intulisse: mulcta itaque mihi per nefas irrogata, neque debeo neque jure cogi possum ad luendum. Nam si constat in curiam me ingressum non esse, et lex si edicit eos mulctam debere, si qui intra curiam aliquid deliquissent, constat item me facinus nullum commisisse, sed solummodo propter simultatem inimicorum injuste et inhumaniter mulctæ addictum esse. Quid? quod ipsi adeo adversarii prodiderunt se bene nosse, injuriam mihi a se factam esse: neque enim gesti a se magistratus rationem reddiderunt, neque in judicio vestro acta sua suffragio publico curarunt confirmari. Sin autem hi mulctam mihi convenienter irrogassent, illamque suam sententiam, qua me mulctæ damnarunt, judicio vestro ratam declarari curassent, jure merito nunc a reprehensione forent liberi, tametsi quæstores me absolvissent. Nam tametsi penes quæstores est, mulctas a damnatis sive malint repetere sive iis remittere, tamen, si a judicibus rata et legitima fuisset habita atque declarata ea mulcta, quam Ctesicles mihi irrogavit, merito nunc ego mulctæ adhuc forem obnoxius: sin autem quæstoribus quidem magistratu adhuc fungentibus licet mulctam remittere, defunctis vero magistratu reddenda est necessario ratio ab ipsis in eo gestorum, factu

facile Ctesicli ejusque sociis erit, ut, si quid quæstores in se mei causa deliquerint, ejus pœnas ab iis repetant.

4. Nostis jam, judices, qui factum sit, ut a Ctesicle ejusque assessoribus mulctæ consignarer quæstoribusque pro ærario traderer: verum oportet vos, non hujus solummodo criminationis prætextum tenere, sed simultatis quoque natales cognoscere, quæ mihi cum adversariis intercessit. Conciliatus Sostrato dudum ante fueram, quam simultates cum istis susciperem. Viri hujus magnam esse in republica dignitatem quod nossem, ambii amicitiam ejus, et sic per ipsius potentiam clarus factus, non ideo tamen hac abusus sum fortuna, sed temperanter cauteque usus, neque inimicorum ullum ultus sum neque amicorum quenquam beneficio promerui, cum necessitate tum judicio delectuque meo: donec enim Sostratus in vivis supererat, septus eram necessitate me intra terminos modestiæ continendi, præpollente ipsius potentia; accedebat ætatis quam tum agebam infirmitas; sic factum est, ut tum quiescerem: illo autem rebus humanis exempto, sponte mea neque dicto neque facto accusatorum quenquam læsi. Possim adeo, si velim, nonnulla edere mea merita, propter quæ adversarii mei, si saperent et æquum servarent, multo majori me jure adjuvarent, quam premerent. Iras itaque eorum ante dicta mihi contraxerunt, tametsi causa simultatis nulla subesset ipsis a me privatim data. Quanquam jurejurando recepissent neminem a se in codicillos militares inferendum, nisi si qui militia nondum functi essent, hujus tamen a se dicti jurisjurandi religionem violarunt; et præterea populo deliberationem de me proposuerunt, utrum me imposterum liberum hominem, ut adhuc fui, esse velit, an pro mancipio sub corona vænire. Probrorum nomine, magistratui a me ingestorum, mulctam mihi scripserunt, jus et fas despectui habentes: nervorum omni contentione laborarunt me lædere, quocunque prætextu; ejusque rei consequendæ ergo nihil non tentarunt, quo cum mihi majorem in modum nocerent, tum emolumenta sibi parerent amplissima: tanto me prosequuntur odio, ut aliis in rebus omnibus, ubi locus mihi nocendi suamque rem faciendi nullus sit, juri æquo omnia posthabeant. Scilicet. Parum dico, cum eos dico, auctoritatem vestræ multitudinis parvi duxisse: deos ipsos revereri personis suis indignum duxerunt: tanta me superbia, fastidio, et violentia legum omnium vincula perrumpente tractarunt, ut de reddenda rerum a se gestarum ratione ne in mentem quidem ipsis unquam venerit: postremum ut commemorem, nondum sibi pœnas sat magnas a me datas existimantes, ipsa ex urbe denique, quæ summa malorum meorum est, exterminare me laborarunt. Libidinis tam ferocis et violentiæ ultra leges omnes se efferentis occultare fœditatem, tanti non faciunt: nullius me criminis reum, tamen ad hoc judicium eadem de causa

iterum adducunt, et, ab argumentis destituti quibus culpam meam evincant, convitiis et calumniis me nituntur obruere, quas in me conjiciunt, ut a studiis meis alienas, ita cum moribus eorum cognatas et consentaneas.

5. Quamquam igitur hi quidem omni contendunt efficere machina, ut judicio cadam: vos tamen, judices, æquum est non pati horum calumnias tantum penes animos vestros valere, ut aut me damnetis, aut horum rescindatis sententiam qui secundum me legitime atque civiliter pronuntiarunt. Quæstores enim secundum leges et ex æquo atque consentaneo egerunt, nulloque modo prævaricati deprehenduntur neque admissæ fraudis argui possunt; constat potius inter omnes, eos jus et fas rebus aliis omnibus antehabuisse. Jam ab hisce quidem inimicis meis haud mirer si quod accepero malum, animoque id hoc sim laturus æquiore, quod a lege naturæ necessaria sic sciam institutum esse ut inimici inimicis incommodent, et rursus amici eos quos diligant ornent augeantque: a vobis autem, judices, si meo me jure fraudari contingat, multo id ego sim animo laturus iniquiore. Futurum enim esset tum, ut cladem hanc accepisse viderer, non ab inimicorum odio, sed a civitatis improbitate. Nomine quidem tenus causam dico nominis mei inter ærarios relati, reapse autem capitis. Jus enim ubi meum a vobis impetravero — id quod me impetraturum esse æquitate vestræ voluntatis confido —, manebo in urbe: secus autem si fiat, ut scilicet ab istis reus peractus (peragar autem, si fiat, per nefas) a vobis damner, væneundum mihi sit sub corona; ego vero tam ignominiosæ pœnæ acerbitatem fuga antevertam. Ecqua enim me spes invitet, ut porro communione vestræ civitatis uti pergam? aut qua ego mente inter vos degam? qui adversariorum furorem cum teneam, tum præsidio juris æqui obtinendi caream. Agite ergo, judices, jus et fas rebus aliis omnibus anteferentes, recordantesque sæpe a vobis etiam in manifestis facinoribus veniæ lenitatem severitati pœnarum præferri, nolite committere, ut homines insontes inimicorum crudelitati condonetis, sinatisve ob aliena odia summum per flagitium inexsuperabilibus mergi calamitatibus.

LYSIÆ

CONTRA THEOMNESTUM

ORATIO.

1. Testes mihi confido, judices, haud defuturos; qui multos vestrum coram videam assidentes, etiam in illo superiori versatos judicio, quo Lysitheus, Theomnestum hunc *εἰσαγγελίας* actione persequens, accusabat, quod abjectorum armorum reus cum esset, eoque factus infamis et jure in foro versandi et cum populo agendi privatus, tamen concionari auderet, contra quam ipsi liceret: in illo nempe certamine aiebat Theomnestus patrem meum a me meismet manibus peremptum esse. Ego vero, ut ignovissem ipsi, patrem suum a me peremptum si dixisset—quem ego nunquam non hominem contemnendum et nauci duxi—, item si quod aliud probrorum, quæ jactari leges vetant, quemadmodum tanti non fuissem facturus, ut contumeliam istam jure forensi ulciscerer—nam ex titulo *κακηγορίας*, seu contumeliæ verborum in te conjectæ, jure cum aliquo experiri, indignum homine liberaliter educato, dignum rixoso litiumque ferendarum avido censeo—: ita rursus turpe mihi futurum arbitror esse, si eum patiar inultum abire, qui tantum scelus in patrem me dixerit patrasse, virum tantæ dignitatis, tam præclare et de vobis et de universa patria meritum. Quapropter ego vos, judices, interrogo, sitne Theomnestus maledicentiæ pœnas mihi daturus, an solus omnium Atheniensium privilegio gaudeat, pro libidine sua contra leges nihil non dicendi agendique?

2. Ago nunc, viri, ætatis annum tertium a trigesimo; ex quo autem vos ab exsilio domum redistis, annus nunc agitur vigesimus. Unde constat puerum tredecennem me tum fuisse, quum xxx tyranni patrem meum interficerent. Id ego ætatis agens, ne noram quidem remp. ab optimatibus oppressam teneri, neque, etiamsi sensissem vim et injuriam patri fieri, succurrere et ulcisci potuissem. Neque scelerata quædam cupiditas patrimonii rapiendi ad insidiandum vitæ patris impellere me poterat; Pantaleon enim frater natu major cum universa hereditate tutelam nostri invasit, eoque pacto bonis paternis omnibus nos defraudavit: tantum igitur abest, ut ulla ego causa motus patri violentas manus afferrem, ut potius per-

multæ essent causæ, ob quas expediret mihi vitam patris diutius produci. Verum ut necesse erat hæc breviter perstringi, ita diutius iis immorari nil attinet. Nostis enim, ni fallor, vos omnes me vera loqui. Interim tamen age nihilominus testes producam.

TESTES.

3. Videtur itaque Theomnestus his quidem quod opponat, nil habiturus: at illud idem etiam coram vobis, judices, causaturus, quod jam ante in arbitri foro ausus est oggannire, in numero puta rerum *ἀποῤῥήτων*, seu nominatim a lege interdictarum, haud esse, si quis aliquem *cædis*, *ὅτι ἀπέκτεινεν*, in patre commissæ insimulet; legem enim haud vetare, ne quis alium quenpiam *parricidam* appellet, sed hoc solummodo, ne quis *ἀνδροφόνον*, *homicidam*. Ego vero vos autumo, judices, non de vocabulis laborare, sed de vocabulorum spatiis atque sententiis, omnesque pro certo scire, si qui sint *homicidæ*, *ἀνδροφόνοι*, eosdem quoque *ἀπεκτονέναι*, *occidisse*. Spissum utique fuisset atque inexplicabile negotium legislatori, si proposuisset sibi aut necesse duxisset, vocabula omnia rem eandem significantia in legem confercire: satis enimvero ille habuit, uno posito, reliqua omnia æquipollentia una tacite complecti atque subjicere. Non profecto tu mihi, Theomneste, tam stultus esse videris, ut, si quis te *πατραλοίαν*, *patricidam*, aut *μητραλοίαν*, *matricidam*, appellarit, eum quidem in jus voces; idem autem si patrem tuum a te cæsum aiat esse matremve, eum tu inultum transmittas, quasi nihil infandorum locutum. Libenter equidem ex te audire velim: es enim hujus rei, de qua te percontabor, magnamade ptus facultatem, et multa meditatione et diuturnitate exercitationis, ut et subtiliter de ea disputare scias usuque ejus aliis præstes. In lege scriptum est, si quis alium scutum *ἀποβεβληκέναι* dixerit, qui id dixerit, eum actione maledicti teneri. Jam dixerit te quispiam scutum *ῥῖψαι*. Num tu actionem in hunc non parabis? sed sufficiet tibi illum dixisse te scutum *ῥῖψαι*, non autem *ἀποβεβληκέναι*, eoque dices te nil curare? idem enim non esse *ῥῖψαι* atque *ἀποβεβληκέναι*. En aliud. Fingam tantisper collegio undecimvirorum te, Theomneste, adscriptum esse, furemque ad hoc collegium adduci ab aliquo, querente *θοιμάτιον ἀποδεδύσθαι*, pallio se esse ab illo homine exutum, aut *τὸν χιτωνίσκον ἐκδεδύσθαι*, interulam sibi ab eo esse detractam. Eumne tu hominem ista querentem rejicias? furemne tu simillima stropha cavillationis severitati legum surreptum eas, atque tu te nunc is, quod ab accusatore in libello accusatorio appellatus vocabulo *λωποδύτης* non fuerit, quo vocabulo legislator sit usus? Profecto negaturus mihi tu videris, eum *ἀνδραποδιστὴν*, *plagiarium*, esse, quem alius quispiam aiat in servo suo plagium commisisse, tametsi actor furem in flagrante delicto deprehenderit; quoniam scilicet actor

oblitus sit vocabulum ἀνδραποδιστὴς usurpare, quo legislator sit usus, sed satis habuerit judices certiores facere, hominem hunc a se deprehensum esse in conatu mancipii furtim exportandi. Facies hoc tu quidem, Theomneste, sine controversia, si quidem in vocabulis triceris super iisque digladieris, ad res autem animum minus attendas, quas ut designarent verbis oreque proderent homines, ideo vocabula commenti sunt atque rebus quæque suis imposuerunt.

4. Spectate hoc quoque, judices: nam ad vos orationem merito converto, qui conscii mihi sitis exempli jam a me proferendi, quod ignorare videtur Theomnestus; ea enim ejus est mollities et ignavia, ut, commoditatis amore et odio laboris molesti victus, nunquam ausus sit in clivum Martis escendere. Vestrum autem nemo est qui id ignoret, quod iste ignorat, judicia homicidiorum cum aguntur, in formula jurisjurandi ante litis contestationem utrinque et ab accusatore et a reo præstandi, vocabulum ἀνδροφόνος, quod legislator usurpavit, non usurpari, sed verbum illud ipsum, quod in hac nostra causa in controversiam venit, ἀποκτεῖναι hinc affirmari, illinc negari. Actor nempe reum ait *occidisse*, reus se fecisse infitiatur. Annon absurdum sit, eum, qui judicibus visus fuerit hominem interemisse, cum facinus ipse adeo confiteatur, tamen ideo solummodo cædis absolutum e judicio discedere, quod actor in juramento confirmarit, non eum ἀνδροφόνον esse, quæ legis est dictio, sed ὡς ἔκτεινε, eum *occidisse*. Atqui haud compono inconsentanea. Theomnesti mecum agendi ratio hilum non differt ab ejusmodi cavillandi ineptia. Ipse tute, Theomneste, ex capite κακηγορίας, seu maledicti, Theonem in jus vocasti, quod is te dixisset scutum ἐῤῥιφέναι. Atqui lex vocabulo ῥίπτειν usa non est, sed vocabulo ἀποβάλλειν: si quis, ait, aliquem dixerit scutum ἀποβεβληκέναι [in eoque mentitus sit], quingentis drachmis mulctator. Hem æquitatis et constantiæ! Itane vero, mi homo, tu tam egregie sapis? ut, cum pœnæ tibi sunt ab inimicis tuis repetendæ a quibus male audieris, tum tu, verbis legis insuper habitis, sententiam legis sequaris ex eaque sententia in reos agas, id quod ego nunc in te facio: rursus autem alii, quem tute probris a lege interdictis prosciderís, pœnas reposcenti dare recuses, verba legis urgendo, spreta sententia? Adeone tibi subtile est ingenium, adeo potens facundia, ut leges quamcunque velis in partem interpretando flectas? an tanta tua est in rep. majestas, ut abs te læsis copiam æqui juris in perpetuum denegatam et præclusam speres? Adeone te nil pudet esse tam dementem, ut plus te posse tuis civibus ideo cupias, non, quo in civitatem ornamenta nescio quæ contuleris, quæ tu nulla contulisti, sed quod multa multis mala inultus inflixisti? Verum recita tu mihi legem.

LEX.

5. Intelligitis, ni fallor, judices ad unum omnes, me quidem consentanea disputare et in leges interpretatione recte versari; hunc autem Theomnestum tam esse tardum, ut neque legis sententiam perspiciat neque meæ disputationis evidentiam capiat. Juvat itaque aliis quoque ex legibus eum docere, si forte fiat, ut, si non citius, saltim nunc tandem aliquando super suggestu communi sensu imbuatur vobisque imposterum desinat incommodare. Recita tu mihi priscas hasce Solonis leges.

LEX.

Per quinque dies pedem in ποδοκάκκῃ vinctum habeto, nisi si Heliæa, præter hoc supplicium corpore tolerandum, adhuc aliam mulctam pecuniariam judicarit irrogandam.

Audin, Theomneste, tibi dico, ut ne nescias, quod lex appellat ἐν ποδοκάκκῃ vinciri, id idem nos nunc vulgo usurpamus ἐν ξύλῳ vinciri. Quod si ergo forte fiat, ut aliquis, ἐν ξύλῳ nexus, cum rursus e custodia in libertatem exierit, undecimviros, a quibus custodiæ mandatus fuisset, ad judices, coram quibus undecimviris magistratu defunctis rationes actorum reddendæ sunt, accuset de facta sibi injuria, qui ξύλῳ se innexuissent, quod per legem minus liceat, quæ lex velit reos in ποδοκάκκῃ vinciri, de ξύλῳ taceat, non illi stuporem hominis ridebunt? non vervecem dicent? Cedo aliam legem.

LEX.

Ἐπεγγυᾶν δὲ ἐπιορκήσαντα τὸν Ἀπόλλω. item δεδιότα δὲ δίκης ἕνεκα δρασκάζειν.

Horum vocabulorum istud ἐπιορκήσαντα hac in lege non id significat, quod nobis nunc vulgari loquendi more significat, hominem puta, qui *pejerarit*, sed simpliciter eum, qui *dejerarit*, seu jusjurandum dixerit per numen Apollinis conceptum; illa enim prisca lingua, qua Solonis æquales utebantur, ἐπιορκεῖν nihilo plus valebat, quam nunc ὀμνύναι *jurare* simplex: pari modo isti δρασκάζειν de eodem usurpabant, de quo nos hodie ἀποδιδράσκειν usurpamus.

Si quis (ait porro legislator) furem, qui intra domum sit, ἀπίλλῃ τῇ θύρᾳ, significare volebat, præclusa janua intercipiat, vel, exitu arceat.

Vocabulum ἀπίλλειν, quod hodie pauci sunt qui intelligant, tum temporis idem valebat, atque hodie valet ἀποκλείειν, neque quod sono inter se ista differunt, ideo re quoque differunt.

Æs mutuo datum (ait) hactenus esto στάσιμον, quatenus creditor vult.

Στάσιμον non significat hic loci librabile, sed hoc præcipit legislator, ut creditori liceat a debitore fœnus exigere quantum ipse voluerit. Recita legis hanc clausulam.

Ὅσαι πεφασμένως πολοῦνται, εἰ οἰκῆος βλάβην τῆς δούλης διπλῆν ὄφλειν.

Attendite, judices, animum. *πεφασμένως* tantundem valet atque hodie *φανερῶς propalam*, et *πολοῦνται* idem atque *βαδίζουσιν ambulant*, et *οἰκῆος* idem atque *θεράποντος servi*. [quo fit, ut legis hæc sit sententia: qui servi corpus vitiaverit, is duplo mulctetur, atque si ancillæ.]

6. Infinita, judices, hujusmodi prostant in legibus. Verum, etsi pauca numero sunt exempla quæ illinc modo protuli, spero tamen vel ex his solis Theomnestum, nisi plane plumbeus est, nunc tandem aliquando intellexisse, res adhucdum easdem esse quæ fuerunt olim, vocabula autem, quibus ad illas res significandas utimur, alia in aliorum locum succedere, neque iisdem nos nunc uti quibus olim priscos illos homines. Faciet ipse mox meæ spei suæque docilitati fidem, cum tacitus ex his subselliis domum discedet, nil contra hiscens, vi veritatis ad silentium redactus. Sin autem id minus faciat, tum secundum me, judices, oro vos, æquam et veram date sententiam, recogitantes, malum esse multo atrocius, te domum e foro redire cum probro patricidii, quam cum probro scuti abjecti. Ego equidem videri malim scuta quotquot usquam terrarum sunt omnia abjecisse, quam animo erga patrem tam truculento et belluino præditus esse. Hic quidem Theomnestus cum vere commisisset illud flagitium [cujus eum Lysitheus insimulabat, abjecti puta scuti], minorque eum cum pœna maneret convictum, quam me nunc manet, si a vobis condemner, non solum a vobis commiseratione motis absolutus est, sed etiam perfecit, ut Dionysius, qui Lysitheo testimonium contra se, Theomnestum, præstiterat, ceu falsus testis, a vobis infamia notaretur. Ego vero, qui Theomnestum viderim, cum id faceret, quod vos omnes mecum nostis [h. e. cum abjecto scuto ex acie auffugeret], ipse autem scutum meum salvum retulerim, sauciatus tam diro probro, quod perinde cum legum edicto atque cum veritate facti pugnat, in ista sortis nostræ disparitate, cum mihi quidem funesta calamitas immineat, si hic absolvatur, hunc autem, si maledicti per nefas in me conjecti damnetur, levis et vix mentione digna pœna maneat; egone, inquam, facultate priver jus ab eo meum repetendi? Ecquo ego vos delicto offendi? Ecquid est, quod vitio mihi vertatis? Num hoc, merito mihi probrum hoc adspersum fuisse? At ne vos ipsi quidem aiatis. An istud, Theomnestum, et ipsum virum honestiorem esse et loco natum nobiliore, quam me? At ne ipse quidem Theomnestus postulet ita de nobis existimari. An hoc prætexctis judicii vestri iniquitati, quod abjecti degenerisque me animi incusetis, qui, cum scutum ipse abjecissem, maledicti per nefas objecti causam illi intentem, qui scutum suum salvum ex acie domum retulisset? Atqui de me profecto hujusmodi

rumor in urbem non emanavit. Recordamini hoc quoque, judices, vos in Theomnestum donum contulisse tantum et tam præclarum, ut, quum illo eum ornaretis, facile non esset civium omnium unus, quin Dionysium miseraretur tam gravi clade perculsum, videns eum, qui virum fortissimum in discriminibus se exhibuisset, e judicio vestro damnatum his cum verbis discedentem: perquam sinistris avibus illam nos expeditionem inisse, qua cum multi nostrorum cecidissent, tum, qui servassent arma, ab his qui abjecissent, per falsi dicti testimonii calumniam, damnarentur: satius sibi futurum fuisse in acie dimicanti occumbere, quam salvo domum reverso in sortem incurrere tam luctuosam. Nolite itaque committere, judices, ut Theomnesti, quæ audit probra, ea probra merita audientis, ulla ducamini commiseratione, eive conniveatis, per insolentiam et superbiam intolerabilem in alios probris infandis grassanti, et concionanti id quod homini abjectione scuti infamato per leges non licet. Ecquod enim aliud mihi accidat infortunium acerbius, quam si tam turpis criminatio inulto mihi perferenda sit, super ejusmodi patre, qui eximiis virtutibus meamque pietatem proborumque omnium reverentiam sibi devinxisset? Sæpius ille strategi munere functus, multis obitis una vobiscum pro patria periculis, ab hostibus nunquam captus, a civibus nunquam male redditæ rationis damnatus, annum ætatis agens a sexagesimo septimum, propter benevolentiam qua erga vestram plebem ferebatur, et propter studium quo exarserat civilia vestra jura tuendi, a crudelissimis tyrannis peremptus est. Jamne tandem videor vobis, judices, merita in eum iracundia exarsisse, qui me per nefas criminatus sit in ejusmodi patris jugulum impiam sicam demisisse? Jamne videor vobis, jure merito consurrexisse ad abluendam a patris memoria tam fœdam maculam, qua ipsius quoque nomen una cum meo respersum fuit? Ecquid enim aliud illi poterat acerbius accidere quam hoc, ut, cum reapse ab inimicis esset peremptus, a liberorum suorum ferro concidisse diceretur? Cujus patris monumenta virtutis adhucdum juxta vestra, cives, dedicata conspiciuntur: scuta autem, et ab hoc ipso Theomnesto et ab ejus patre abjecta, ignaviam eorum imbellemque animum adhucdum testatum faciunt, in fanis hostium suspensa; tam cognata ipsis et stirpitus insita labes est timiditas et bellicarum artium abhorrentia. Atqui, quo proceriora atque vastiora ipsis sunt corpora, quo robustiores lacerti, quo os juventa florentius, hoc severiore digni sunt vestra, judices, animadversione: constat enim, in isto carnium vigore atque luxurie, animos ipsis esse intermortuos.

7. Sed habebit, id quod audio, receptum ad hanc excusationem, ut aiat, ista probra se per iracundiam in me jactasse, qui testimonium cum Dionysio idem in se dixissem. Ego vero vos contra meminisse velim, judices, iracundiæ nullam esse datam a legislatore ve-

niam, sed mulctam convitiatori irrogari, veritatem criminationum documentis factorum non approbanti. Atque jam bis ego hoc Theomnesti dedecus testimonio meo approbavi; ignarus quippe tum temporis, de quo postmodum mihi constitit, eos vos esse, qui fortes viros in acie manentes puniatis, armorum autem abjectorum reos factos indulgentia et dissimulatione transmittatis.

8. Verum enimvero satis hac quidem de causa est actum, dictisque quod addam nil habeo: vos potius rogo, judices, ut Theomnestum condemnetis, reputantes vobiscum, non posse capiti meo discrimen ullum aliud quam hoc est gravius conscisci. Nam qui actor videor esse, reapse reus sum; Theomnestum probri reum cum ago per nefas in me conjecti, tum de salute fortunisque meis omnibus periclitor, in unius vestri suffragii discrimine parricidii crimen aut sustinens aut effugiens: quibus enim testulis Theomnestum absolvetis, si feceritis, iisdem parricidii me damnabitis, me, qui civium omnium unus, ut primum virilem ingressus ætatem, in examine probatus vobis, rebus gerendis meisque privatis et civilibus a vobis habilis judicatus fui, ob cædem patris mei triginta viris in curia Areopagitica diem dixerim. Quorum vos memores mihique patrique legibusque publice fixis, et jurisjurandi ab ipsis vobis dicti religioni, succurrite.

LYSIÆ
CONTRA THEOMNESTUM
ORATIO II.

[Interprete Augero: interpretationem enim omittebant tum Taylorus tum Reiskius.]

1. Multi vestrum sciunt et mihi testes sunt, quod Theomnestus dixit me patrem meum occidisse: quod autem non occiderim manifestum est; duo enim et triginta annos natus sum, et a vestro reditu hic est annus vicesimus. Patet igitur annos duodecim me natum fuisse, quum pater meus a xxx viris est interfectus; illa autem ætate neque quid fuerit oligarchia scire, neque patri mortuo succurrere, potui. Neque etiam recte pecuniarum causa illi insidiatus fuissem: omnes enim facultates invades frater major natu, patriis bonis me spoliavit.

2. Forsan dicet non esse eorum quæ lege interdicuntur, si quis dixerit aliquem τὸν πατέρα ἀπεκτονέναι: hæc enim legem non vetare, sed ἀνδροφόνον aliquem appellare. Ego vero arbitror non de vocabulis, sed de vocabulorum sententiis, laborandum esse, omnesque intelligere, quod quicunque aliquos ἀπεκτόνασι, eorundem sunt ἀνδροφόνοι, et quicunque alicujus sunt ἀνδροφόνοι, hunc ἀπεκτόνασι. Magnum enim fuisset negotium legislatori omnia vocabula scribere, quæ eandem significationem habeant: at, quum unum protulerit, idem statuit de omnibus. Non enim, Theomneste, si quis te vocet πατραλοίαν vel μητραλοίαν, pœnis obnoxius est: si quis vero verberaverit τὴν τεκοῦσαν vel τὸν φυτεύσαντα, a pœnis immunis erit. Et, si quis te dixerit ῥίψασπιν impunitus erit: lege enim pœnam caveri, si quis dixerit aliquem τὴν ἀσπίδα ἀποβεβληκέναι, sed non si quis eundem dixerit eam ῥῖψαι. Similiter, si unus esses virorum undecim, annon reciperes hominem adductum ab aliquo, qui togam vel tunicam spoliatus esset, si eum non nominaret λωποδύτην: et, si quis παῖδ' ἐξῆγεν, annon reciperes ut ἀνδραποδιστήν. Et ipse quidem virum postulasti convicii quod dixerit te ῥῖψαι τὴν ἀσπίδα. Attamen de ῥῖψαι in lege altum silentium, sed si quis dicat ἀποβεβληκέναι. Quomodo igitur non iniquum est te, ubi opus sit inimicos tuos ulcisci, ita leges interpretari ut ego nunc: at, ubi alteri conviciatus fueris, pœnas subire nolle. Mihi igitur succurrite, id habentes in animo multo gravius esse exprobrari quod patrem

quis interfecerit quam quod clypeum abjecerit. Ego sane mallem omnes quoquot sunt clypeos abjecisse, quam ita animatum fuisse in parentem. Istum utique vidi id facientem, quod vos scitis; et meum ipse clypeum servavi. Cur itaque ab eo pœnas non repeterem? Cujus criminis apud vos suspectus? Anne quod vere mihi objecta sit hæc exprobratio? at nec vos id dicere possitis. Anne quod reus melior sit quam ego? at nec iste quidem affirmaverit. Anne quod egomet armis meis abjectis eum convicii postulem qui sua domum salva retulit? at non ea fama percrebuit in civitate. Ne igitur vos misereat merita audientis convicia, eidemque insolescenti et maledicenti contra leges condonetis: præsertim de illo homine qui vestris exercitibus sæpius præfuit, qui multa vobiscum subiit pericula, qui nunquam in hostium potestatem venit, qui annos natus septuaginta propter suam in populum Atheniensem benevolentiam in oligarchia occisus est. Par est sane succensere pro tali viro. Quid enim illi acerbius contingere poterat, quam ab hostibus interfici, infamari vero quasi a propriis filiis interfectus fuisset? Cujus virtutis monumenta in templis vestris conspiciuntur, istorum autem ignaviæ in templis hostium apparent.

3. At dicet quod hæc præ ira in me effuderit. At vos recordemini nullam iracundiæ veniam dare legislatorem, verum pœnas a conviciatore sumi, ni ea quæ dixerit vera esse demonstret. Equidem jam bis de isto testatus sum: neque enim noveram vos supplicio eos afficere qui alios arma abjicere videant, et ipsis abjicientibus condonare. Vos igitur obtestor ut Theomnestum condemnetis. Nunc enim actor sum in causa convicii, eodem tamen judicio cædis paternæ reus constituor, qua contentione nulla gravior esse possit, qui solus, simul ac inter viros sum annumeratus, triginta viros ad Areopagum in jus vocavi. Quapropter mihi patrique meo subvenite.

LYSIÆ

CONTRA ERATOSTHENEM

UNUM E TRIGINTA VIRIS

ORATIO.

---

1. NON exordium hujus accusationis, sed finem invenire, arduum mihi videtur esse, judices: tot ab illis [trigintaviris] et tanta perpetrata sunt facinora, ut, ne si mentiatur quidem accusator, graviora et turpiora incusare possit quam reapse illa sunt istorum scelera, et qui vera solummodo commemorare sibi proposuerit, omnia enarrando persequi haud valeat, sed necessario aut magnitudo atque multitudo rerum dicendarum dicentem obruet aut dies deficiet. Conversus mihi nunc videtur ordo rerum, contraque eventurum atque olim solebat. Olim edebant a judicibus interrogati actores, quæ simultas sibi cum reis intercessisset, et qua re impulsi lites quasque agitandas suscepissent; nunc haud alienum sit reos percontari, quanam tanta læsi sint a republica offensione, ut ejus ulciscendæ libidine perciti tam furiosis modis in eam debaccharentur. Quæ nunc ego non eo disputo, quo negem privatas mihi cum istis simultates esse, quæ mihi sunt gravissimæ, ut cum auctoribus irreparabilium cladium domesticarum; sed quo significem, in ista innumerabili multitudine malorum ab istis publiceque privatimque datorum, nostrum quemque tamen ad lamentandum irascendumque de privatis magis suis incommodis quam de publicis natura duce delabi. Ego itaque, judices, qui neque privatas meas causas neque alienas unquam in foro sim exsecutus, eo necessitatis adactum me ab hujus Eratosthenis facinoribus video, ut facere prorsus nequeam quominus eum accusem: quanquam hanc parans et instruens accusationem persæpe in incredibilem incidi animi dejectionem, cœpique vereri ne per infacundiam meam forique insuetudinem accusatio hæc minus prospere succedat minusque satis ei faciat quod mihique fratrisque manibus debeo, neve multum infra rei dignitatem subsidat; conabor tamen, rem a principio repetendo, vos quam potero brevissimis docere.

2. Cephalus pater meus, ut sèdes fortunarum suarum hoc in solum Atticum transferret, oratione Periclis adductus est: triginta

per annos quot inquilinum hic egit, neque ipse neque nos civium vestrorum quenquam in jus vocavimus neque causam in foro accusati a quoquam diximus, sed ita fuimus civilis juris in republica participes, ut neque alios offenderemus neque ab aliorum injuriis exagitaremur. Ex quo autem Trigintaviri, homines improbi et conscelerati, juris æqui perversores, summa rerum potiti sunt, laudabile jactantes remp. corrigendi et restaurandi studium, atque præ se ferentes oportere civitatem a flagitiosis purgari quo reliquorum civium animi ad virtutis et justitiæ studia converterentur, ejusmodique sermonibus dictu audituque speciosis exspectationem publicam fallentes, neque enim a se impetrare poterant ut factis quoque orationis suæ probabilitatem approbarent; ex eo tempore in pejus ire cœpit nostra res et privata et publica summaque imis mutata sunt, ut conabor ego vos per exempla vestra ducendo eaque vobis in memoriam revocando docere, posteaquam de privatis meis casibus præfatus fuero. Surgentes in consessu Trigintavirorum Theognis et Piso de inquilinis auctores fiebant, esse in illis qui præsente novo rerum statu gravarentur: lectissimam hanc esse opportunitatem, per speciem pœnarum a noxiis repetendarum locupletes expilandi magnasque opes colligendi; universe hoc unum ante omnia spectari agique oportere, ut civitas ad incitas redigeretur, atque desolata, vasta, inhabitabilis, et prorsus nulla redderetur: imperium tenentibus opus esse nummis quoquo modo corradendis. Hæc illa jactantes haud ægre persuadebant audientibus iis, qui cædes hominum pro nihilo ducentes, rapinas et opum extorsiones summi facerent. Placuit ergo decem ex inquilinis locupletissimos omnium comprehendi; at in his tamen par pauperiorum, quo invidiam cupiditatis a se avertere bonique publici rationes excusare possent, quasi, ut reliquorum suorum cœptorum atque institutorum nihil non, ita hoc quoque consultissime et ad salutem publicam accommodatissime fecissent.

3. Sortiti sic inter se domos expilandas, in eam quisque domum irrumpebat, quæ ipsi sorte obtigisset. Ad meam delati deprehendebant me peregrinos hospitali convivio excipientem, quibus ejectis Pisoni me tradebant; reliqui in officinam ingressi, mancipiis operam dabant lustrandis et in tabulas referendis, ut fit in bonis publicatis. Interim ego Pisonem interrogare, velletne mihi salutem nummis præsentibus vendere: aiebat Piso velle, si quidem pretium redemptionis satis sit luculentum. Offerebam talentum argenteum: annuebat Piso conditioni. Jam noram equidem Pisonem omne jus divinumque humanumque tanti non facere: nihilominus tamen in illa rerum facie, quibus tum septus eram, imprimis factu judicabam esse necessarium, ut Pisonem jurisjurandi religione obstringerem. Jurabat, exitium sibique liberisque imprecans si fefellisset, factu-

rum se, post æs pactum in manus suas datum, ut ego tutum in locum perductus salvus essem ; quo facto in œcum, ubi arca nummaria posita erat, ingressus aperiebam arcam : ibi Piso, sentiens et ubi nummos atque reliquam pretiosam supellectilem haberem, et arca aperta facillime prædam simul omnem corripi et aufferri posse, intrabat ipse quoque, lustratisque copiis præsentibus inescatus, par famulorum arcessit, quos arcam cum intus positis absportare jubet. Aufferebat ille sic, non talentum argenteum quod pactus fueram, sed tria talenta, judices, cum quadringentis Cyzicenis aureis et centum Daricis et phialas argenteas quatuor: unde, ut saltim parum quid detractum pro viatico mihi reliquum faceret, Pisonem rogabam. Ille vero me admonebat, sapienter me facturum, si nudus discedens saluti meæ prospicerem ; ejusmodi enim instare tempora, quibus congratulaturus mihi essem, quod spiritum salvum, reliquis bonis omnibus amissis, abstulissem, ejusque rei, ceu magni beneficii, gratias ipsi essem habiturus. Sic exibamus domo : verum exeuntibus nobis, ipso in ostio, Melobius et Mnesitheus occurrebant, ex officina nostra redeuntes, atque quo tenderemus interrogabant : respondebat Piso, se mecum ad fratrem meum [Polemarchum] contendere, quo rem ejus quoque familiarem perlustraret. Ibi Pisone illuc ire jusso, me secum retinebant et se ad Damnippum euntes comitari jubebant. Interim Piso, clam in aures meas insusurrans, auctor mihi fiebat ut tacerem et bono animo essem ; nam se illuc quoque venturum esse. Delati illuc, Theognin reperiebamus, cui cum me tradidissent abibant. Hoc in discrimine versanti mihi visum est salutis fuga quærendæ periculum facere, certa quippe et inevitabili peste me manentem manente. Damnippo itaque arcessito, Familiaris tibi sum, Damnippe (inquam), tuam in domum veni non sponte mea, nil deliqui, sed opes meæ mihi pestem afferunt. Præsta tu mihi tantis malis septo promptus et lubens quicquid in te opis atque facultatis est, quo salvus evadam. Recipiebat quidem Damnippus facturum : consultius tamen idem sibi videri admonebat cum Theognide quoque rem communicari, quem existimaret, lucri spe ostensa, nihil non indulturum. Interim, Damnippo sic cum Theognide sermones conferente, venit in mentem fuga me subducere — peritus eram domus, noramque binis utrinque foribus instructam, antica et postica —, animumque sic induxeram, alterutrum necessario esse eventurum, ut conatus hic evadendi aut prospere succederet aut minus : quod si ergo a nemine observatus neque impeditus elaberer, me potitum fore sperata atque optata salute ; sin autem deprehensus e fuga retraherer, ne sic quidem spem salutis omnem occidisse, si Damnippus Theognidi precibus et lucri spe ostensa persuadere posset, ut elabendi veniam mihi nummis

venderet; qui Theognis si pretio sit exorabilis (et videri esse), non minus me esse evasurum, tametsi captum, ac si captus et e fuga retractus plane non essem; sin autem durum se Theognis præberet, non acerbiorem mihi neque certiorem necessitatem mortis tum instare, quam nunc instet, si nullo facto evadendi conatu maneam. Hæc ego mecum cogitans elabebar, illis ad ostium in semitam patens stationem servantibus: et accidit, id quod propitiæ fortunæ meæ debeo, ut trium januarum, tot enim evasuro trajiciendæ erant, nulla non pateret reserata. Sic perveni in Archenei naucleri hospitium [in Piræeo]; hunc protinus in urbem mittebam, de fratre percontaturum: qui Archeneus inde reversus ad me istæc retulit, fratrem ab Eratosthene fortuito publica in semita occurrente correptum in carcerem esse ductum. Quibus auditis ego proxima nocte navem conscendi, quæ me Megaram per mare traduxit.

4. Interim tyranni Polemarcho quoque solitum illud sibi suum istaque ætate creberrime frequentatum edictum denuntiabant, ut cicutam biberet, tacita causa, prætermissa accusatione: tantum aberat, ut auditus Polemarchus, dicta capitis causa, ex formula juris damnatus, extremum supplicium toleraret. Fato sic suo defunctus cum e carcere Polemarchus extractus esset, haud permiserunt tyranni nostrarum ædium, quæ ternæ nobis erant, ex ullis eum efferri, sed in cella quadam meritoria ab ipsis conducta cadaver spectandum proposuerunt: vestis, quæ multa nobis et pretiosa erat, nihil nobis funeris ergo rogantibus dabant, sed amicorum alii alia, hic pallium, ille pulvinar, alius quodcunque tandem, ad Polemarchi funus conferebant. Videte, judices, quo cupiditas eorum inexplebilis processerit, turpissimis illa quibusque modis quæstum facere haud dedignans: videte documentum immanis animi ab illis proditum, qui tot tantasque nostris e fortunis egissent rapinas, qui nostris ex officinis septingenta numero scuta extulissent, qui auri argentique facti et æris et mundi et supellectilis et vestis muliebris tantam vim compilassent, quantam ne sperassent quidem unquam futurum ut adipiscerentur, qui mancipia centum et viginti numero nostris ex officinis abegissent, quorum optima quæque corpora cum sibi privatim habenda et servanda delegissent, reliquam fæcem ærario adscripserunt; verum ne in hac quidem immanitate constitit incredibilis eorum et insatiabilis cupiditas diraque sitis ex unaquaque re turpissima ditescendi, Polemarchi uxor quas tum habuerat inaures aureas, cum ab eo in domum ipsius materfamilias induceretur, eas ex illius auribus ipse sua manu Melobius evulsit.

5. Denique nulla pars rei nostræ familiaris, quamvis minuta et contempta, digna ab ipsis est habita reverentia atque commiseratione, sed haud secius in nos a divitiis nostris stimulati sævierunt, atque alii a vindicta acti fuissent facturi, si quos atrocissimis qui-

busque contumeliis atque injuriis offendissemus; quanquam ita de civitate vestra meriti non eramus ut hanc mercedem ferremus ab illis studii erga rempublicam a nobis multis modis declarati, choregiis nullis non functi eramus, permultis quoque contributionibus spontaneis egestatem publicam sublevaveramus, ipsos nos pudentes atque sobrios gesseramus, imperata omnia exsecuti eramus, simultates cum nemine culpa nostra contraxeramus, non paucos contra civium Atheniensium captivos factos nummis nostris ex hostium potestate redemeramus; denique, inquilini cum essemus, ejusmodi cum moribus versati fueramus in republica, ut mores nostri toto cœlo distarent ab istorum moribus qui cives nati essent. Hi enim civium suorum permultos a se solo patrio expulsos coegerunt hostium in solo considere; multos a se per summum nefas interemptos justis funeris fraudarunt; multos, quibus ea fuisset vitæ famæque dignitas ut et jure petendorum honorum gauderent et gerendis honoribus habiles haberentur, capite minuerunt, et jure in foro standi et in luce reipublicæ versandi spoliarunt; multorum filias nubiles, in ipsa spe amplissimarum conditionum uxoriarum, eo obscuritatis atque miseriæ depresserunt ut elocari non possent; eo denique processerunt impudentiæ et audaciæ, ut ad vos prodire, vultus vestros ferre et causam capitis dicere sustineant, negentque se mali quicquam commisisse cujus se pudere oporteat. O quam ego velim hæc jactantes eos non mentiri! nam ad me quoque pars laudis hujus eaque non minima pertineret. Jam vero neque erga rempublicam neque erga me jactare laudes tam inanes et tam ementitas possunt; longe aliter et de republica et de me privatim meriti sunt: fratrem enim meum, id quod modo memini me prædicare, hic Eratosthenes neci dedit, neque privata ulla ejus injuria ipse læsus neque in reipublicæ commoda peccantem cernens, sed sola actus contentione indomitæ suæ legesque et jura omnia aspernanti cupiditati inserviendi. Quem Eratosthenem, cum pace vestra, judices, in hunc evocabo suggestum, unde nunc ad vos verba facio, atque interrogabo. Animum enim sic induxi meum, ut vel cum alio quocunque iis de rebus agere, quæ ad istius salutem tuendam faciant, nefas et impium ducam; quæ autem ipsi pestem allatura videantur, ut de iis vel cum ipso Eratosthene, agere mihi per religiones deorum licitum censeam. Age ergo, Eratosthene, adscende huc quæso et responde mihi ad interrogata.

6. Adduxistine Polemarchum ad undecimviros, nec ne? Magistratuum imperio parui, metu pœnæ, si recusarem morem gerere. Interfuistine, cum deliberationes super nobis in curia haberentur? Interfui. Assensusne iis es qui nos tollendos censebant eorumque partes oratione tua firmasti, an contra dixisti? Contradixi. Quo nos ne occideremur? Quo nempe ne occideremini. Censens inju-

riam nobis fieri, an jus æquum? Injuriam enimvero. Itane vero, homo impurissime, patrocinatum te nobis ais quo salvi essemus, at idem tute tamen Polemarchum nihilominus comprehendisti quo exitio dares? et quo tempore nostra salus adhuc in arbitrio manuque sodalitii vestri esset, eo tu te ais oblocutum esse sanguinum nostrorum sitientibus; quo autem tempore penes te solum esset Polemarcho aut eripere spiritum aut condonare, tum tu eum in carcerem abduxisti? Vir fortis et honestus ideo vis haberi, quod oblocutus inimicis nostris sis (si verum ais), quanquam obloquendo, nihil profecisses; Polemarchum autem a te comprehensum quod occideris, ejus rei pœnas te mihique et hisce judicibus debere nullas autumas?

7. Sed age largiamur hoc ipsi, ut verum dicere credamus affirmantem, se oblocutum esse, quamquam mentiri utique videtur; at hoc profecto vos ei aienti credere haud convenit, imperata ipsum esse executum: est enim id quidem imprimis incredibile. Fac, demandatam tibi fuisse cædem nostram. Quis aut quid te cogebat obsequi? jusjurandum? Atqui in inquilinis profecto, cujusmodi nos eramus, tyranni non videntur jurisjurandi religione teve aliumve quempiam obstricturi fuisse. Deinde, id si tenemus quod consentaneum est, eccui omnium uni minus illi erant hoc negotium delegaturi, quam huic, qui, quod ait si verum id ait, ipsis fuisset refragatus sententiamque tulisset in partem ipsis contrariam? Ecquem enim alium probabile erat mandata indiligentius atque cunctantius esse executurum, quam eum, qui rebus, quas isti effectui dari voluissent, dissuasionis suæ pertinaciam opposuisset? Præterea, reliquis quidem Atheniensibus idonea, ni fallor, esse debet excusatio, si facta sua ad Trigintavirorum auctoritatem referant: ipsos autem hosce tyrannos ad ipsosmet sese auctores referre suorum actorum rationes, qui ferendum erit? qui approbari hoc vobis patiemini? Alius enim si quis tum in urbe fuisset magistratus ampliore quam trigintavirale collegium potestate armatus, isque magistratus Eratostheni mandasset cædes hominum insontium perpetrandas, nescio an veniam ei merito daretis: jam vero undenam pœnas unquam repetetis vobis debitas et jus vestrum adipiscemini, si Trigintatyrannis imperia Trigintatyrannorum excusare licebit? hoc est prætexere se in auctoritate ipsos sua fuisse, libidini ipsos suæ obtemperasse. Tantamne vos excusationis ineptiam probabitis? At Polemarchum ait a se, non domo extractum, sed in via publica correptum, ideo quod saluti ipse suæ caveret et pareret mandatis Trigintavirorum, in carcerem abductum esse. Tanto pejus, tanto inexcusabilius. Solebatis vos, cives, tum temporis ægerrime ferre, si qui a tyrannis missi, aut vosmet ipsos, aut rerum vestrarum quicquam requisitum, vestras in ædes irrumperent. Quanquam hi intra veniam peccabant mandata exsequentes, quorum omissionem scirent se suo capite esse luituros;

nam domum alicujus ablegatos illuc non ire aut infitiari a se domi repertos eos esse qui fuissent, capitale discrimen poterat audentibus consciscere: quod si ergo his intra veniam peccantibus vos nihilominus tamen jure merito succensebatis, quanto majori jure veniam denegabitis alteris, inexcusabilius eo peccantibus, quod homines publica de via abreptos in carcerem abducerent. Quid impediebat Eratosthenem, quominus senatui renuntians Polemarcho se negaret occurrisse? aut, si tutius judicaret, ita se renunciare, occurrisse quidem sibi Polemarchum in via, se vero hominem haud noscitasse, cujus os et vultum minus haberet consuetudine cognitum; quis eum potuisset hæc assimulantem mendacii coarguere? excusationes hujusmodi neque scrutinium neque convictionem admittunt, etiamsi te inimici tui vel maxime convincere contendant. Debebas, Erathosthene, si homo frugi eras quem te fers, multo magis injustæ neci destinatos de imminente periculo admonere quo id devitare possent, quam sceleratis cives insontes per nefas de medio tollentibus operam navare. Tu vero ita te in oculis omnium gessisti, ut facta tua planissime doceant, rebus tum gestis te non modo non contristatum, sed etiam delectatum fuisse: quapropter hosce judices decet secundum factorum quorum tibi conscii sunt veritatem magis, quam secundum prædicationum tuarum præstigias sententiam dare, et e rebus gestis, quas a vobis profectas norunt, sermones tum in collegio vestro agitatos colligere, quandoquidem horum sistere testes negatum est. Nobis enim non modo tyrannorum cœtibus interesse non licebat, sed ne domi quidem nostræ esse: quapropter penes ipsos est, cum nulla non peste rem nostram minuissent atque labefactassent, tamen, quodcunque modo voluerint, genus ornamentorum et bene de rep. meritorum de se prædicare. Ego vero haud repugnabo, concedam enim vero, quod ais, te inimicis nostris oblocutum esse. Miror tamen, quodnam tu nobis grandius malum fuisses daturus suffragando tyrannis, qui, cum refragareris tyrannis, Polemarchum tamen occideris. Agite, judices, respondete ad id, quod vos interrogare juvat. Quid ageretis, si fratres liberive Eratosthenis essetis? num absolveretis? Nullo modo: haud possitis, etiamsi velitis. Oportet enim Eratosthenem alterutrum horum docere, aut a se Polemarchum in carcerem abductum non esse, aut jure id factum. Atqui in confesso et extra controversiam est ab Eratosthene Polemarchum esse in carcerem ductum; et rursus ipse suo fassus est ore Eratosthenes, in eo, quod Polemarchum comprehendisset, ei factam a se esse injuriam: jam facilis vobis est, judices, hujus causæ disceptatio. Congressi sunt, adsunt, circumstant hæc subsellia frequentes, civesque hospitesque, vestram hac de causa sententiam cognoscere gestientes. Horum qui cives vestri sunt, hi domum discedent certiores facti prout aut condemnaveritis Eratosthenem aut absol-

veritis, ita, si quæ deliquerint, aut eorum se pœnas daturos, aut meliore quam nunc sunt conditione futuros, aut saltim non deteriore. Nam sive potientur cupitis, sive spe et conatibus audaciæ suæ excident: illud si eveniat, sciunt, impune se capitibus civium insultaturos; sin hoc, pari tamen se vobiscum jure civili gavisuros norunt. Peregrini autem quotquot nunc in urbe vestra versantur, scient, jure ne an injuria Trigintatyrannos suis quique ex oppidis agrisque sub præconis voce exterminent. Contendunt illi quidem nunc Trigintatyrannos ubique locorum exagitare, pro hostibus universæ Græciæ communibus eos habentes: ubi autem vos viderint tam leves tam inconstantes tam turpiter molles et ignavos, ut tyrannos, quorum injurias ipsi toleraveritis, in potestate cum habeatis, impunes tamen dimittatis, pœnitebit ipsos sui erga vos studii, multum ipsi sese ineptos et male sedulos judicabunt, qui vestri causa frustraneis conterantur molestiis odiaque Lacedæmoniorum tyrannis studentium insectationibus tyrannorum sibi consciscant. Imperatores vestros, navali ad Arginusas prælio victores, extremo supplicio affecistis, alia nulla de causa quam quod faterentur per tempestatis atrocitatem sibi negatum ut naufragos e mari sublectos servarent humarentve; existimabatis nimirum oportere vos, capitibus imperatorum vestrorum, tametsi victorum, manes tot virorum fortium eo in prælio misere ab undis haustorum placare: hos vero, qui privati adhuc, quantum in ipsis esset, ad cladem contulerunt classi vestræ apud Ægospotamos illatam, postmodum autem, summa rerum potiti, sponte sua, nemine cogente, multos civium indicta causa neci dederunt, id quod ipsi haud diffitentur, dubitabitis ipsosque liberosque extremis tollere suppliciis?

8. Hic defungi poteram accusatione finemque ei eram impositurus, existimans capita accusationis adhuc a me proposita ad damnandum reum sufficere: sic enim censeo, accusatorem hactenus debere contendere, ut reus judicibus videatur digna mortis supplicio patrasse; quod extremum est suppliciorum quæ a criminosis repeti possunt. Quocirca non video quid oporteat multum in hujusmodi hominum accusatione contendere, quorum tam sunt enormia scelera, ut pœnas sat magnas daturi non videantur, etiamsi singula quæque scelera si fieri possit binis mortibus luant. Verumtamen superesse video nonnullas causationes, quas me decet Eratostheni eripere. Æquum enim profecto non est ei quoque concedi, quod in hac civitate multi contra quam decebat usurpant, qui, cum vincere rebus et conjectas in se criminationes depellere nequeunt, dissimulata et præterita defensione præstigiis jactantiæ vobis illudunt, de laudibus suis ad vos multa et invidenda prædicantes, quam fortes sint milites, quam multa oppida a vobis alienata rursus ad vestram societatem redegerint: quanquam ne poterit quidem, et-

iamsi velit, ejusmodi de se laudes Erathosthenes prædicare; nam jubete modo eum, judices, demonstrare ubinam locorum ipse cæterique tyranni tot hostes occiderint quot hic cives sustulerunt, ubinam tot naves hostium ceperint quot ipsi hostibus nostris tradiderunt, aut quamnam urbem imperio Attico adjunxerint, tam amplam tam late potentem, atque hæc est ab ipsis sub jugum missa. At forsitan arma tamen tot detraxerunt hostibus, quot vobis? At mœnia tamen tam ingentia et tam firma ceperunt, quam sunt patriæ suæ, quæ mœnia ipsi manibus suis demoliti sunt? Quid mœnia loquor? Illi vero propugnacula circa Atticam omnia destruxerunt, planumque vobis fecerunt portum vestrum a se dirutum esse, non jussu Lacedæmoniorum, sed voluntate sua, quod existimarent, eo facto potentiam suam hoc fore stabiliorem.

9. Sæpe numero cum essem audaciam eorum miratus qui hosce tyrannos oratione tuerentur, tandem mirari desii, postquam in mentem venit, eorundem esse et facinorum nullum genus sibi reliquum facere et alios projectæ audaciæ homines sibi similes collaudare. Nam non nuper demum cœperunt civitatis vestræ huic formæ, quæ nunc obtinet ad libertatis dulcedinem et juris æqualitatem conformata, adversari: sed jam dudum ante visus est Eratosthenes ætate Quadringentorum hoc molitus, ut potentiam cum paucis amicorum communicandam sibi pareret: agitans hæc in Hellesponto cum a copiis quæ ibi tum erant deprehenderetur, in tantum venit capitis periculum, ut necesse haberet, repente relicta nave cui trierarchatus cum honore præerat, ex Hellesponto auffugere, una cum Iatrocle aliisque quorum nomina quid attinet a me commemorari? Sic illinc huc reversus, si qui formam reip. popularem poscerent, iis adversatus est. Quorum ego vobis omnium testes exhibebo.

TESTES.

Ab hoc inde tempore usque ad fatalem illam pugnam navalem apud Ægospotamos ab Eratosthene acta omnia silentio prætermittam; ut autem navale illud quod dico prælium reip. vulnus impressit insanabile, videte quomodo Eratosthenes se gesserit; tenente adhuc democratia, a sic dictis sodalibus quinque viri, Ephori seu inspectores appellati, constituebantur, id quod principium tumultus fuit, nomine illi quidem probabili tenus *συναγωγεῖς*, seu conciliatores animorum mutuam in gratiam, reapse autem principes globi conjuratorum adversus plebis vestræ libertatem; in his quinque viris etiam Eratosthenes hic et Critias erant. Hi magistros equitum per stationes disponebant, hi concioni quæ suffragiis suis scisceret præscribebant, hi quos vellent honoribus designari edebant, brevis ut sim, quæ vellent omnia pro arbitrio suo agebant, jubentes, ve-

tantes: ita vobis insidiæ, non ab hostibus modo, sed ab ipsis his quoque, tametsi cives vestri essent, parabantur, hoc contendentibus et molientibus, ut neque salutaria decernere possetis, et multarum rerum necessariarum inopia laboraretis. Norant enim, capitibus vestris insultare negatum sibi fore, nisi si vos malis fregissent et ad incitas redegissent: eo autem facto sperabant futurum, ut vos, præsentium malorum tædio victi ab iisque quam citissime liberari gestientes, nullas non ad conditiones descenderetis, futurorum malorum quæ illinc exsistere possent immemores. Horum Ephororum in numero fuisse Eratosthenem, quo certo vobis constet, judices, exhibebo testes, non ex iis quidem qui sociam tyrannis operam tum præstiterunt—neque enim hos exhibere possim—, at ex istis tamen, qui ex ipso audiverunt Eratosthene, quum Ephororum in collegio se fuisse affirmaret. Quanquam, si saperent hi tyrannidis satellites, non advocatos se illis præberent, non commendarent, non excusarent eos, sed premerent potius hos scelerum suorum magistros suo testimonio graviterque punirent, neque jurisjurandi a se dicti religionem pro arbitratu suo interpretarentur, pro re nata eam modo laxantes, modo adstringentes; verum sic sunt animati: quatenus officere et incommodare civibus possunt, hactenus autumant sancte sibi servandam esse jurisjurandi religionem; ubi autem locus offeratur civium rem augendi et secundandi, ibi religionem hanc securi violant. [Lædunt nempe civium commoda minuuntque, sponsionem Amnestias usque ad hostes reip. professos, qui sunt Trigintatyranni, extendendo eosque pacto oblivionis complectendo. E re autem civitatis facerent, si tyrannos beneficio legis illius excluderent. Verum tanto exarserunt tyrannorum studio, ut nocere civibus, quam tyrannis malint.] Hactenus hæc mihi adversus hos tyrannorum patronos dicta sunto: tu autem testes mihi cita, et vos testes huc adscendite.

TESTES.

Audivistis jam testes [confirmantes, ex Eratosthene audisse; cum se in collegio Ephororum fuisse perhiberet]. Videamus jam, quomodo se in collegio Trigintavirorum gesserit: his itaque dum interfuit, nullius unquam boni consilii atque salutaris auctor aut consors fuit, contra malorum atque exitialium fuit quam plurimorum. Civis bonus si fuisset, primum quidem defugere atque ejurare debuisset honorem patriæ tam funestum et constitutioni reip. legumque edictis tam repugnantem; tum, si mansisset tamen in isto sceleratorum sodalitio, decebat eum utique senatum [qui tum sedebat, minus legitimus magistratus, quam auctoritate cassus Trigintatyrannorum famulus], illum itaque senatum admonere, quoties nomina civium

insontium pro sontibus ad eum deferrentur. indices illos non vera crimina sed conficta et ementita indicare, ad pestem viris probis et honestis consciscendam. Batrachum et Æschylidem aliosque similes delatores non ea indicare quæ ipsi per se pro certis cognossent atque comperissent, sed commenta quæ subornati jussique a Trigintaviris essent ad senatum renunciare. Sed aiet Eratosthenes, victum se a multitudine et immanitate sceleratorum, tacuisse et sorti vestræ ingemuisse. Ego vero tuam erga plebem benevolentiam e silentio tuo qui colligam? eane nota est, qua civis patriæ bona fide deditus ab ejus hoste dignoscatur? Apage: non silentio, sed fiducia libertatis publicæ oratione tuendæ geritur resp.; cui si qui tum male vellent, hi ideo nihilo pejore loco erant, quod tacerent, quam si qui oratione senatum ad cædes et proscriptiones civium accenderent: nam cum essent qui silerent, tum erant contra alii haud pauciores, qui et verbis suaderent et factis patrarent tam dira et horrenda, ut alia vulnera luctuosiora imponi reip. nulla potuerint. Benevolentiam autem erga vos suam qui nunc jactant, qua vos tum prosecuti esse videri volunt, ut vult Eratosthenes, eccur hi eam tum non prodiderunt, alias salutaria consilia subjiciendo, alias ruentes in scelera dehortando?

10. Forte dicet (et nescio hercle, an hæc ejus excusatio haud paucis satisfactura sit) refragari tyrannis se reformidasse. Ego vero, si nondum satis Eratosthenem involucris assimulationum et mendaciorum evolvi, quibus animum vobis infestum et consceleratum abscondere laborat, hic tandem eum plane denudabo, ut nemo sit futurus, qui non liquido cernat consilia et cœpta tyrannorum omnia Eratostheni placuisse, tametsi ea inter illos auctoritate polleret, ut, si voluisset ab illis dissentire, nil ei fuisset, cur ab illis sibi male metueret. Audistis, judices, qua contentione Eratosthenes, quo ardore causam Theramenis egerit, hominis sibi amici: atqui studium hoc excusandi et tuendi, non pro Theramene homine vobis pestifero, sed pro salute vestra, proferre et exercere debebat. Verum enim vero Eratosthenes, reipublicæ bellum indixerat; inimicos vestros amicos sibi fidosque habebat adjutores: quod ego utrumque ubi multis magnisque documentis demonstratum dedero, tum hoc quoque docebo, tyrannos inter se dissidentes, non vestri causa, sed sui, dissedisse, factionesque eorum non hoc certasse, quo vobis bene esset, sed utri soli in republica dominarentur. Salus enim civium per nefas oppressorum si curæ cordique unquam his fuit, et hæc si causa Therameni aliisque ei addictis fuit a tyrannis secedendi, eccubi erat viro magistratum gerenti locus nobilior benevolentiam ergo cives miseros declarandi, quam quo tempore Thrasybulus Phylen occupabat? Verum Eratosthenes, ut apud Phylen conglobatis opem aut afferret aut reciperet solummodo afferendam, tantum abest, ut po-

tius, habens secum collegas, factis ad Salaminem et Eleusinem excursionibus, trecentos inde cives Athenas in carcerem abduceret, unaque omnes sententia morte damnaret. Verum non tum solummodo, sed postmodum quoque rebus paulatim conquiescere incipientibus, infestum patriæ animum et a publica pace alienum prodidit Eratosthenes: ut enim in Piræeum redieramus primæque concertationes conquieverant, sermonibus de reditu mutuam in gratiam utrinque habitis, magna spes affulgebat futurum, ut imposterum eodem inter nos essemus animo quem luculentis significationibus prodidissemus. Etsi enim exsules in Piræeo congregati superiores e pugna discesserant, sinebant tamen urbanos a se devictos in urbem remeare: rursus urbani, ut in urbem redierant, statim Trigintatyrannos expellebant, præterquam Phidonem atque Eratosthenem, sibique præficiebant homines tyrannis inimicissimos, sperantes futurum, ut, qui Piræensium inimicos Trigintaviros acerrimo prosecuti essent odio, iidem rursus exsules in Piræeo congressos caritate sint amplexuri. Verum secus evenit. Phidon enim, qui in numero Trigintavirorum fuerat, et Hippocles et Epichares Lamptrensis cum reliquis qui Charicli et Critiæ eorumque sodalitio quam maxime adversari videbantur, ut semet in summam potestatem ingesserant, multo sæviorem in urbe tumultum concitarunt, civesque in bellum adversus Piræenses multo acrius quam ante inflammarunt; eoque planum fecerunt, a Trigintaviris se non studio Piræensium defecisse, neque luctu eorum affici qui per nefas aut jam perempti essent aut idem fatum adhuc obituri, sed hoc angi, quod essent qui auctoritate ipsis præstarent citiusque atque ipsi ditescerent. Summa rerum enim potiti partibus ambabus bellum indicebant, et tyrannis qui exempla crudelitatis extremæ in vobis statuerant, et vobis qui extrema quæque ab illis toleraveratis. Quanquam perspicuum nemini non esset, si jure vos exsularetis neque liceret vobis pedem in patriam referre, factam esse tyrannis injuriam, qui sub vestri nominis prætextu ex urbe fuissent expulsi; sin autem tyranni exsilio in quod acti essent meritas luerent scelerum pœnas, injuriam vobis fieri, qui reditu in natale vestrum solum arceremini: verum enim vero tyrannos merito constat exsulare, vos per nefas; non enim profecto ullum ob aliud crimen tyranni exsilio mulctati sunt, quam quod cives insontes in exsilium egissent, eaque patrassent, quæ tunc patrabant illi qui tyrannos rursus ejecerant. Graviter itaque Phidoni vos oportet irasci, quod eo delectus quo Piræenses cum urbanis reconciliaret in urbemque reduceret, eadem tamen scelera commisit atque Eratosthenes, eademque mentis improbitate Trigintatyrannos, homines, quamvis pessimos, se tamen utique meliores lædere conatus est, qua vobis exsulibus urbem reddere noluit; sed Spartam potius profectus, Spartanos ad suscipiendum contra Piræenses bellum hortatus est, criminando, Bœotorum in potestate

futuras esse Athenas illis domum redeuntibus, aliaque spargendo invidiosa quibus imprimis se sperabat illos commoturum. Verum rejectus a Lacedæmoniis, sive quod exta vetarent sive quod ipsi ab hac expeditione essent alieniores, centum talenta credito unde unde sumpserunt [Phidon, et Eratosthenes et si qui alii iisdem in partibus erant], quo haberent unde milites mercenarios conducerent. Huic militiæ magistrum sibi a Lacedæmoniis quasi mutuo ad tempus dari rogabant Lysandrum, hominem optimatum quidem principatus studiosissimum, populari vero gubernationi infensissimum, sed Piræensium ante omnes odio ardentem implacabili. Conscripto sic undique milite, nullo non hominum genere ad pestem civitatis excito, secum habentes Græcarum civitatum nonnullas, et ipsos adeo Lacedæmonios ad extremum tamen precibus expugnatos, sociorumque qui tum Lacedæmoniis erant quoscunque suas in partes pertrahere potuissent, his instructi copiis, non cives inter se reconciliatum, id quod jussi fuerant facturosque receperant, sed perditum ibant: et perdidissent utique, nisi virtus virorum fortium intercessisset, quibus vos, judices, testatum facite, pœnas ab eorumque et vestris communibus hostibus [Eratosthene similibusque] repetendo, vos gratiam ipsis quoque debitam esse relaturos. Nostis hæc vos ipsi quidem satis superque, ut certus sim, nil ad rem attinere, testes horum a me produci: verumtamen quoniam et ego aliquantisper respirare cupio, et nonnulli vestrum ita ducuntur sermonibus hisce de rebus, ut quo copiosius audiant de iis disseri, hoc magis delectentur, citabo testes.

TESTES.

11. Age nunc de Theramene quoque quam potero brevissimis docebo. Quem locum ingrediens rogo vos, judices, ut hanc orationis meæ partem non mea magis, quam reipublicæ causa, æqui et benevoli audiatis: ab animisque vestris hanc excludatis suspicionem, Eratosthene in discrimen adducto, me in Theramenem invehentem ab hac causa aliena agitare. Quod longe secus est: non aliena a re, sed vel maxime ad rem pertinentia ago. Relatum enim ad me est, Eratosthenem hoc agere, ut in oratione, quam mox hoc e suggestu causam capitis dicturus habebit, hoc fidat ante alia omnia defensionis quasi fundamento, ut se dicat in partibus Theramenis reliquorumque fuisse, qui una cum Theramene secedendo a Trigintaviris eorumque ausis adversando popularitatis opinionem adepti essent. Jactabit ergo, ut audio, Eratosthenes hanc suam cum Theramene amicitiam, scelera sua ea prætendenda velabit, in eam velut in latebram quandam perfugiet, quam a me occludi et intercipi par est: id quod faciam docendo, Theramenem utique non popularem, non studiosum vestræ dignitatis atque libertatis, sed

ei non minus infestum fuisse, quam aut Critias aut alius quicunque Trigintavirorum fuit. Frigida enimvero illa est Eratosthenis excusatio, insidiosa simulatio. Reip. partem aliquam si cum Themistocle gesisset, jactaret sine dubio suam cum Themistocle communionem curarum in mœniis exstruendis postularetque ideo in gloriæ quoque præmiorumque cum eo communionem admitti: credibile quidem est id eum facturum esse, qui, cum Theramene communicata sibi cum jactet consilia, illo cum Theramene, in quem unum maxime conferenda est culpa devastationis mœnium nostrorum, tamen pœnarum item communionem a Theramene hoc facinore meritarum detrectat. Non enim profecto mihi par illud virorum [Themistocles et Theramenes] paria præmia factorum tam disparium meruisse videtur: iste enim invitis Lacedæmoniis urbem nostram mœniis consepsit; hic vero mœnia a Themistocle condita solo æquavit, machinis diruta præstigiarum illarum quibus plebem circumvenerat. Verum secus evenit reip. atque par erat. Par erat una cum Theramene socios quoque perisse, nisi si quibus ab eo sejuncta consilia et instituta fuissent: jam vero video non a reis modo criminum nomen Theramenis ad criminum defensiones usurpari, verum etiam familiares ejus veluti rem sibi debitam poscere, ut in dignitate atque honoribus versentur; quasi Theramenes multis magnisque ornamentis remp. cumulasset, non ingentibus cladibus obruisset, is, qui primum quidem unus omnium maxime priorem optimatum dominatum condidit eo, quod auctor vobis est factus illius regiminis quo usi sumus Quadringentis obtinentibus. Pater quidem Theramenis, utpote qui tum in numero Probulorum esset, hæc agitabat: ipse vero Theramenes, quod videretur libertatis imprimis studiosus esse, Strategus a patre dictus est. Donec igitur in dignitate carusque vobis erat Theramenes, fidem suam reip. approbavit: postquam autem Pisandrum et Callæschrum aliosque sibi vidit anteferri, vestramque plebem ipsi patrique parere diutius nolle, ibi cum invidentia erga Pisandri factionem tum metu vestri causam et studia cum Aristocrate consociavit. Quo autem opinionem fidei de se plebi injiceret, Antiphontem et Archeptolemum, homines sibi amicissimos, a se accusatos morte damnavit: eo processerat improbitatis et perfidiæ, ut idem per suam cum illis familiaritatem vos subjugaret, et per fidem quam vos ei habebatis amicos homines neci daret: neque tamen satis habuit amicos a se pessumdari, vosmet ipsos adeo pessumdedit. Summis honoribus a vobis auctus habensque in manibus credita suæ fidei gravissimi momenti negotia, qua remp. servaturum ultro recepisset, eam ipse suis manibus evertit, eo quod se reperisse jactaret rem ingentem summique faciendam. Spondebat nempe pacem opera sua a Lacedæmoniis impetrandam, facillimo negotio, non datis obsidibus, non dirutis

mœnibus, non classe tradita: hæc se aiens perfecturum, recusabat indicare interrogantibus modum quo speraret perficienda; solummodo cœcam sibi fidem haberi postulabat. Habuistis, Athenienses, tot intercedentibus diffidentiæ momentis. Senatus Areopagiticus de pace ineunda et restituenda reip. salute cum Lacedæmoniis per legatos agitare cœperat; multi vos a fide Therameni habenda absterrebant atque revocabant, quibus eum hoc inprimis suspectum reddebat, quod, quam rem inter hostes vestros palam esset elocuturus, eam rem velut arcanam vos cives suos celaret, contra quam alii omnes facerent, arcana non cives, sed hostes, celantes: vos tamen, his nil moti, Theramenis in manus patriam et liberos et uxores et vosmet ipsos tradidistis, magnitudine atque splendore promissorum freti quibus vos occœcaverat. Ille vero tam splendidorum promissorum omnino nihil reapse præstitit et ne præstare quidem unquam voluit, qui sic animum suum induxisset, ad contemptum deprimendam et enervandam et prorsus ad incitas redigendam esse remp.: quo effecit hoc, ut, quorum ad vos mentionem ne hostium quidem quisquam unquam fecisset et quæ civium nullus antea sperasset eventura, ad ea vos patienter accipienda et toleranda adigeret, non coactus a Lacedæmoniis, sed ultro ipsis ea deferens eosque invitans ad exigendum atque imperandum vobis suamque vobis persuadendi operam condicens, scilicet, ut Athenienses Piræeum suis ipsi manibus demolirentur præsentemquæ quæ tum erat reip. formam abolerent: bene nempe norat, nisi prorsus omni spe vos exclusisset, vos a se pœnas cito esse repetituros. Denique concionem citius haberi non sivit, quam præstitutum a se tempus diligentissime servatum atque elapsum esset, et Lysander Samo arcessitus cum classe advenisset, copiæque hostium terrestres congressæ urbem cinctam tenerent. His ita comparatis, coram Lysandro et Philochare et Miltiade concionem habebant [Theramenes puta, Eratosthenes, et reliqui Triginta] de forma reip. inducenda, sed concionem libertate carentem et vi armorum oppressam, ubi neque orator quisquam ipsis vocem neque magistratus minas auctoritatis suæ opponeret, sed vos facultate privati salutaria vobis sciscendi, sola sciseretis ea quæ istis probata fuissent. Ibi Theramenes cum dicendi causa surrexisset, auctor vobis fuit, ut urbem Trigintaviris traderetis, eamque reip. formam quam Dracontides ostendisset amplecteremini. Huic vos orationi, tametsi tam duris conclusi necessitatibus, tamen obstrepebatis eoque vos descensuros negabatis: summam scilicet rerum vestrarum in illa concione actum, et, utrum libertatem tuituri an servitutem obituri essetis, decretum iri, intelligebatis. Theramenes autem — recordamini modo, judices, intereratis enim et audiebatis, cum diceret, ut necesse sit vos meminisse facti cujus vos recte testes cito —, Theramenes ergo vestro se fremitu quicquam

negabat commoveri: multos enim Atheniensium eadem secum sentire atque agitare, penes se certum atque exploratum esse; Lysandro atque Lacedæmoniis probata se loqui. Secundum Theramenem assurgens Lysander, inter alia quæ tum multa spargebat minarum et superbiæ plena dicta, jactabat etiam hoc, se jam vos tenere rupti fœderis manifeste reos; non nunc de forma reip. vestræ induenda, sed de spirituum vestrorum securitate agi, nisi prompte jussis Theramenis pareatis. Boni cives quotquot illi concioni interessent, videntes armorum machinarumque apparatum sibi circumpositum et admotam vim atque necessitatem inevitabilem, alii suis in sedibus manentes quieti conticescebant, alii furtim se subducebant, hoc saltim secum efferentes suæ conscientiæ testimonium, nihil se reip. pestiferum scivisse: pauci quidam, sed illi scelerati pravisque ducti consiliis, imperata suo suffragio comprobabant. Imperabatur autem, ut summa rerum collegio Trigintavirorum mandaretur, conflato e decemviris, aliis quos Theramenes esset delecturus, aliis quos Ephori tum rerum potientes, aliis denique e corona excerpendis: ita perspicue vestram cernebant infirmitatem suæque certi erant potentiæ, ut in concione eventura præscirent. Auctorem vultis? idoneum dabo, non me, sed illum ipsum Theramenem, ista de se referentem; cui vos credere convenit. Quæ enim ego modo retuli, ea ille ipse coram senatu, illa in oratione qua capitis causam dixit, perhibuit: qua in oratione, cum exsulibus exprobrat quod per se redissent, tum in Lacedæmonios graviter invehitur eosque cum fastidio et supercilio traducit; collegas principatus Trigintatyrannos increpat, quod sibi, a quo ista quæ dixi omnia, modis illis quos dixi, elaborata et perfecta fuissent, et cui quicquid penes eos esset aculei, id omne uni deberent, hanc operæ ipsis navatæ mercedem referrent, qui ipsis tot fidei erga ipsos suæ documenta dedisset ipsorumque de fide erga se tot sacramentis quæ sibi dixissent certior esset factus. Horum tantorum aliorumque malorumque atque dedecorum, vetustiorumque atque recentiorum, majorumque atque minorum, architectus cum fuerit Theramenes, nil tamen istos pudebit amicos ejus se ferre, qui mortem non pro vobis sed pro ipsorum perfidia atque scelerositate oppetiit, et quam pœnam tyrannis dedit operæ ab ipso in evertendo ipsorum principatu navatæ, eam pœnam si dudum ante dedisset plebi libertate sua adhuc gaudenti, meritam utique dedisset: bis enim vos sub jugum misit, præsentium tædio, absentium appetitu, pulcherrimo et honestissimo nomine abutens, cujus sub larva teterrimorum facinorum veluti magister exempla præivit.

12. Verum satis hæc mihi de Theramene dicta sunto: vos autem Eratosthenem ejusque collegas punitote; venit enim, venit nunc tandem aliquando tempus, quo vestris a mentibus abesse debet

omnis clementiæ atque misericordiæ sensus, sumendæ vobis sunt ab iis pœnæ, cavendumque, ne, qui armati soletis hostes vestros in acie vincere, jus dicentes in foro vestris inimicis succumbatis. Beneficiorum, quæ jactant a se postmodum olim aliquando in vos conferenda, hoc minorem ipsis habetote gratiam, quo decet sæviorem esse animadversionem vestram atque vindictam scelerum ab ipsis jam commissorum: quibus tyrannis absentibus insidiati estis ut iis potiremini, eos in potestatem nacti e manibus ne dimittite; neque pejus ipsi vobismet consulite neque segnius ultum ite vestras injurias, quam fortuna, quæ vobis eos veluti compedibus constrictos tradidit. Accusatorum induite vobis personam, consurgite adversus Eratosthenem amicosque ejus, quorum nominibus obtendendis ille scelera excusatum ibit ea, quæ ipsis auctoribus atque consciis patravit. Sustinetis reip. personam, quam fingite vobis mente litem cum hoc Eratosthene suscepisse; tametsi conditione multis modis dispari: civium vestrorum si qui olim ad forum Trigintavirorum citarentur, eorum erat idem Eratosthenes accusatorque atque judex; nos autem nunc Eratosthenem ad vestrum forum trahentes, cum accusamus eum tum nos purgamus. Eratosthenes olim cum collegis homines insontes, indicta inauditaque causa, peremit: vos autem cum auctoribus pestis publicæ ea agitis æquitate, ut carnifices plebis tamen ex lege censeatis judicandos; quos etiamsi contra formulam juris punire juvet, at ne sic quidem sat dignas scelerum pœnas exigatis eorum, quibus publica minuerunt commoda juraque et majestatem populi violarunt. Ecquod enim ullum illi dignum suis facinoribus dederint supplicium? Cruoris ab illis effusi satisne vos æquam feratis talionem, si ipsos una cum liberis occidatis, vos, quorum patres et filios fratresque hi negata adeo defensionis copia peremerunt? At, si bona eorum immobilia proscripseritis, sic tamen satisfactum erit, ni fallor. Eccuinam? Civitatine? cujus ærarium expilarunt, multoties plus furantes, quam bona eorum sub hasta secta referant. An privatis hominibus? quorum ædes, velut immisso milite, ferro flammisque evastarunt. Quandoquidem igitur, tametsi nihil non agatis, tamen facere non poteritis, ut pœnas ab his sat dignas repetatis, ecqui non turpe vobis sit, vos ullum prætermittere pœnæ genus, quod in hos expediri quisquam velit? Nullum ille mihi genus audaciæ sibi reliquum facturus fuisse videtur, qui nunc causæ pro se dicendæ ergo eos ad judices prodeat, quos antehac multis a se læsos esse malis et injuriis ipse sibi sit conscius, et a quorum testimonio prævideat improbitatem suam confossum iri. Videte, quantopere vos contemnat: tametsi aliis multum fidit, multo tamen vos contemnit magis, quam patronis suis fidit. Quæ ambo vos nunc decet ad animum vobis revocare atque cogitare, neque ausuros istos unquam ea fuisse quæ

ausi sunt, si opera atque præsidio aliorum caruissent, neque nunc in conspectum vestrum fuisse venturos, nisi futurum sperassent ut ab iisdem præsidibus suis periculo eriperentur; quanquam hi præsides atque protectores, non tam his, quam sibi ipsis, opitulatum veniunt, suæque potentiæ propugnaculum præstruunt, e factis anterioribus colligentes, etiam imposterum sibi licitum fore quæcunque velint facere, ubi viderint, extremorum malorum concitores a vobis, cum in potestate habeatis, tamen sine pœna dimissos.

13. Verum in his ipsis, qui sese advocatos istis [Eratostheni ceterisque tyrannis] præbebunt, mirari licet atque dubitare, utrum modo tyrannos a vobis exoraturi sint, quo viri boni et fortes haud raro facinorosos a severitate judicum exorant; vellem utique hos advocatos tyrannorum in servanda rep. pari contentione decertasse, atque tyranni certarunt in ea pessumdanda: an defensionem tyrannorum ideo capessent, quod oratores sibi videntur sollertes, subtiles, naturas rerum oratione mutare, album nigro vertere valentes? Hoccine planum facient, tyrannorum facinora summi vobis esse facienda et aureis coronis remuneranda? Sint, per me licet, quantæcunque volent, facundiæ tyranni. Boni profecto cives et hac civitate vestroque assensu digni non sunt. Quid ita? Quæcunque est illa eorum jactata facundia, pro vobis ea quidem usi nunquam sunt, ne justis quidem in causis, ubi multo facilius quam in malis facundia exercetur.

14. Age, spectemus nunc testes quoque, quos pro se collegisque dicturos Eratosthenes mox producet: atqui testes hi, cum tyrannis testabuntur, tum ipsi adversus semet testabuntur. Ecquid autem? hoc nempe, se vestram plebem contemnere. Ita vos putant simplices esse atque obliviosos et tardos et propter multitudinem vestram contemnendos, ut facile patiamini per præstigias et mendacia venalium et precariorum testimoniorum periculo eripi tyrannos eos, qui, Eratosthenis collegarumque armati ministerio, tam fuissent terribiles, quamvis pauci numero essent, ut capitale esset amico exsequias ire. Præterea vos iniquitatem quoque futuræ sortis spectare velim, judices, quæ tyrannis hisce jam reis factis admodum dispar est cum civibus vestris olim horum sententia morte damnatis: possint enim hi tyranni, nunc si absolvantur, denuo remp. pessumdare; cives autem ab ipsis perempti nunquam ab inimicis suis ultionem repetent, nisi per vos. Acerbum utique et indignum facinus! Civium per nefas peremptorum amici adeo ipsi una cum illis peribant, alia nulla de causa, quam quod illis familiariter usi eorumque funus prosecuti essent; horum autem tyrannorum, a quibus resp. pessumdata fuit, funus qui prosequantur, videntur multi esse futuri, quandoquidem ad eorum defensionem obeundam tot numero homines accingantur; tametsi multo est, mea quidem sententia, facilius hos accusare de

injuriis quas vobis dederunt, quam his est crimina purgare. Sed aiunt reliquorum Trigintatyrannorum omnium unum Eratosthenem paucissima vobis mala creasse ideoque absolvendum et servandum esse: scilicet, non recogitant, si collegarum parcissime vos Eratosthenes læserit, in reliquis tamen Græcis omnibus esse neminem, qui vos tot numero tantisque cladibus affecerit, atque unus Eratosthenes vos affecit; neque videtur ipsis hæc causa ad pestem Eratostheni consciscendam satis idonea. Vos vero, judices, declarate, quæ vobis hac de re sedeat sententia. Quod si enim in hunc Eratosthenem animadvertetis, illustri ad omnes documento confirmabitis, vos ægerrime tyrannorum facinora ferre gravissimaque iracundia prosequi: sin autem absolvetis, prodetis eadem vos cum tyrannis studia consectari, copiamque ipsi vobis imposterum eripietis illius excusationis quam adhuc usurpastis, aientes a Trigintatyrannis imperata fecisse. Id quod hac quidem in causa locum non habet; nemo enim vos nunc cogit, invitos, contra vestri animi sententiam, Eratosthenem ejusque collegas absolvere. Quare auctor ego vobis hortatorque sim, ut ne committatis, ut illos absolvendo vosmet ipsi condemnetis: neve speretis tabellariam vestram suffragationem clandestinam aut in occulto mansuram esse; prodetis enim vos universæ civitati tacitam suffragii vestri vocem in exitu hujus judicii.

15. Supersunt adhuc pauca quædam, de quibus ubi ambos admonuero, tam urbanos quam Piræenses, descendam: in quo hoc sequor et specto, ut calamitatum ab Eratosthene vobis contractarum recordatio suffragiorum vestrorum veluti gressus gubernet. Primum igitur vos, quotquot me circumstatis atque auditis dicentem, urbani, considerate, Eratosthenem hunc collegam esse tyrannorum qui vos olim tam sævis tenuerunt imperiis constrictos, ut necesse vobis esset adversus fratres et liberos civesque vestros bellare bellum ejusmodi, quo victi quidem pari eratis loco cum victoribus futuri; sin autem vicissetis, his tyrannis servissetis. Familiarem suam rem horum quisque in illa procella rerum, quæ tum susque deque ferebantur, locupletabat; vos autem fortunas vestras per bellum civile decrescere sensistis. Fructuum, quos ipsi e spoliis reipublicæ percipiebant, communione vos excludebant; invidiæ autem, qua ipsi conflagrabant, partem haud minimam in vos derivabant. Proh enormitatem superbiæ, proh furorem contemptus, quo illi vos despexerunt! Fidem sibi vestram, non bonorum suorum communicatione, sed dedecorum, ibant obligatum. Præclara hæc ob merita illos pro facultate vestra nunc, in tuto cum sitis, vestrique et Piræensium causa ulciscimini, recogitantes, vos liberatos a servitute dominorum improbissimorum, in quorum potestate nuper admodum eratis, transtisse nunc in communionem juris æqui cum viris fortissimis, quos foris comilitones, domi consiliorum de rep. capiendorum socios et

administros habebitis: accedat, velim, ad hanc vestræ superioris conditionis cum hac præsente comparationem, recordatio vexationum et acerbitatum quas a præsidio militum mercenariorum tolerastis, quos milites hi tyranni in arce collocaverant, custodes qui essent suæque dominationis vestræque servitutis. Hæc hactenus ad urbanos, pauca de multis, quæ dicenda habebam. Vos autem quotquot adstatis e Piræeo, recordamini quæso tot et tanta mala, damna, luctus, cruciatus, dedecora, supplicia, quæ ab his tyrannis perpessi estis. Primum, quæ arma ex hostili solo multisque e præliis domum salva et victricia retuleratis, ea vobis arma hi tyranni ipsa in pace detraxerunt: deinde, quibus vestrum ita felicibus esse licuit, ut salvi ea e patria effugerent, quam a majoribus traditam accepissent incolendam, illorum capita venalia certa proposita mercede a præcone proclamabantur, et circum per urbes Græciæ missitabantur qui eos ad supplicium reposcerent et si qui vos tradere recusarent iis minarentur. Quas insignes contumelias ut tum exsilium tolerantes tulistis impatientissime, ita nunc pari vindictæ ardore ulciscimini. Sed et reliquorum mementote malorum, quæ ab his perpessi estis. Alios vestrum e foro, alios e fanis deorum, in carcerem obtorto collo abstractos necarunt; alios e sinu et amplexibus parentum et liberorum et uxorum evulsos coegerunt ipsos sibi violentas manus afferre (cogebant enim eos cicutæ poculum suismet manibus ipsos labris admovere atque exhaurire); ipsis adeo exsequiarum et tumuli justis eos fraudarunt, deorum ridentes iram, quos consentaneum erat, ista tam flagitiosa manium temeratione offendi et ad ultionem inflammari; autumabant nempe dominationem suam tam firmam esse, ut ab ipsis deorum armis ultricibus convelli nequiret. Extrema tandem supplicia quotquot effugistis, quam multifariis periculis passim locorum estis defuncti! quot in urbes Græcas erroribus miserabilibus acti! ubi non a præconibus tyrannorum exagitati? egentes alimentorum rerumque omnium vitæ necessariarum, alii relictis in patria liberis, hoc est in solo hostili, in manu et potestate hostium, alii in peregrino solo, tandem tamen, invitis et ringentibus quam plurimis, redistis in Piræeum, ubi rursus ingentia reperiebatis certamina vobis decertanda. In quibus omnibus cum fortiter dimicassetis, asseruistis urbanos in libertatem, exsules in urbem reduxistis. Horum autem certaminum prosperum eventum si adversa quædam sors intercepisset, ut metam hanc studiorum vestrorum minus potuissetis consequi, multo etiam acerbiora vobis fuissent toleranda, quam ante: rursus in exsilium vobis fuisset remigrandum, cum metu, ne eadem atque ante pateremini; neque passura fuisset horum tyrannorum immanitas, ut vos, tametsi iniquissima tolerantes, templa aræque deorum tuerentur, qua alias ipsis adeo sontibus portus salutis esse solent: liberi vestri, qui hic mansissent, contu-

meliis tyrannorum fuissent confecti; peregre autem palantes, si quæ minuta debita contraxissent, quæ ad diem solvere non potuissent, deserti a vindicibus atque sospitatoribus flebilem in servitutem incidissent.

16. Sed quid attinet mala enumerare, quæ, cum per adversam fortunam potuissent accidere, secunda avertit, cum exhaurire verbis scelera ab his tyrannis commissa nequeam? Quæ scelera tametsi non unius accusatoris neque duum sunt provincia, sed quam plurimorum os et latera deposcunt, nihil tamen ego sum meam desiderari passus industriam, neque omisi quicquam quod a me oporteret dici, sive pro templis deorum, quorum alia hi tyranni hostibus vendiderunt, alia sacrilegis suis manibus contrectarunt et pedibus civili sanguine pollutis conculcarunt; sive pro civitate, quam enervarunt et ad nihilum redegerunt; sive pro navalibus, quæ destruxerunt; sive denique pro civibus per nefas interemptis, quibus vos quandoquidem adhuc superstitibus succurrere non potuistis, saltim fato defunctis opem ferte et jus æquum reddite. Nullus dubito, quin manes defunctorum hoc in judicio versentur, quin quæ dicetis audiant, quin vestrum singulos quosque oculis intuentes noscitent sciantque utris calculum suum quisque contribuat, secumque sic statuant, quicunque vestrum hos tyrannos absolvat, eum se, manes defunctos, condemnare, contra, qui pœnas ab his tyrannis meritas repetant, eos suarum injuriarum ultores esse.

Hic finem facio accusandi. Audivistis, vidistis, passi estis, tenetis. Pronuntiate.

LYSIÆ

CONTRA AGORATUM

ORATIO.

1. Cum vobis convenit universis, judices, necem ulcisci virorum, qui extremum supplicium ideo tolerarunt quod libertati vestræ plebis studerent, tum mihi convenit ante alios, qui Dionysodorum et affinitate et sanguine attingam: habuit enim sororem meam domi in matrimonio, idemque mihi fuit consobrinus. Simultas itaque mihi cum hoc Agorato intercedit eadem, quæ plebi vestræ eo cum homine, ea qui patravit, ob quæ et ego nunc eum odio merito prosequor, et vos recte facietis, si puniatis; id quod propitiis diis et vobis secundantibus me spero consecuturum. Agoratus nempe Dionysodorum, qui meæ sororis maritus fuit, aliosque multos fortes et egregios viros, quorum audietis nomina, vestræque plebis studiosos, sustulit, eos ad Trigintaviros tum potentes deferendo. Quo facto et me privatim reliquorumque necessariorum unumquemque magnis affecit damnis; et publice universam civitatem haud parum, mea quidem sententia, læsit viris eum tam præstantibus mulctando. Censeo itaque, judices, et æquum et sanctum esse mihique vobisque omnibus, ut tanti sceleris auctorem pro virili quisque sua ulciscamur; confidoque, id si fecerimus, et a diis et ab hominibus nullum non genus bonorum ad nos esse profecturum. Sed oportet vos ante omnia, Athenienses, totam rem a principio inde ex me audire, quo sciatis primum quidem, quomodo et a quo dissoluta fuerit reipublicæ vestræ forma qua olim ad juris civilis æquitatem composita utebamini tum quo pacto viri illi fortes ab Agorato neci dati fuerint, postremo quæ mandata illi extrema in mortis articulo constituti nobis reliquerint: hæc enim probe si perdidiceritis atque commemineritis, et libentius et religiosius hunc Agoratum videmini condemnaturi. Initium itaque narrandi illinc faciam, quod et nobis ad docendum et vobis ad intelligendum erit planissimum.

2. Classe nostra ergo funditus amissa rebusque civitatis debilitatis, haud multo post classis Lacedæmoniorum in portum nostrum invecta appulit, cœpitque cum iis de pace ineunda agitari. Ibi si qui rebus novis studerent, hi libertati vestræ insidiabantur, rati se tempus hoc cupita consequendi nactos esse opportunissimum, et, si unquam alias, tunc maxime sibi datum fore res ex arbitrio suo con-

stituere; nihilque studiis suis obstiturum existimantes præterquam tribunos plebis et strategos atque taxiarchos [seu imperatores militares atque centuriones], machinabantur hos quocunque modo de medio tollere, quo facilius quo vellent eo pervenirent. Primum itaque Cleophontem hac versutia aggrediebantur. Concio de pace cum haberetur prima, legati Lacedæmoniorum conditiones edebant, in quas parati essent Lacedæmonii pacem vobiscum instaurare: erat in illis conditionibus etiam hæc, ut longi gemini muri pars ad decem utrinque stadia solo dejiceretur: tam duram conditionem vos ne auribus quidem ferre poteratis, et Cleopho pro vobis omnibus obloquebatur fieri nullo modo posse ut mœnium quicquam dejiceretur.

3. Secundum hunc Theramenes ad dicendum assurgebat, qui libertati plebis insidians, si se de pace legatum plena cum potestate Spartam miseritis, recipiebat effecturum, ut neque mœnium quicquam disturbaretur neque respublica ulla alia sui parte minueretur; quid? quod sperare futurum aiebat ut boni etiam nescio quid præterea precibus et gratia a Lacedæmoniis impetraret. Decepti vos his verborum præstigiis Theramenem legatum de pace plena cum potestate ad Lacedæmonios mittebatis, hominem vos exosum, cui imprimis diffidere et poteratis et debebatis adeo, anno ante graviter a vobis ignominiosa repulsa offensum: strategum enim jam suffragiis creatum in scrutinio repudiaveratis ideo, quod visus vobis fuisset a partibus plebis alienior. Theramenes Spartam delatus diu ibi mansit, vos destituens quos obsidione cinctos proficiscens reliquisset, cum sciret plebem vestram et incredibili consiliorum inopia perplexam et arctissimis rerum necessitatibus constrictam et ab alimentis cæterisque vitæ tuendæ adminiculis per bellum et reliqua reipublicæ mala denudatam esse: mansit tamen diutius quam oportebat, id quod data fecit opera, existimans, ad eas si vos redegisset angustias, ad quas redegit, ut exitum malorum vestrorum nullum inveniretis, ad conditiones pacis nullas non vos esse cupide descensuros. Interim, quos ille proficiscens hic reliquerat consiliorum suorum studiorumque conscios et administros, hi libertatem plebi eripere laborantes, Cleophonti diem dicebant, frigidam causam prætexentes, quod a castris abfuisset, facto in urbem secessu, respirandi gratia; reapse autem, quod studio vestri turpissimæ auctoritati de mœniis solo æquandis intercessisset. Hoc igitur usi prætextu, qui summam rerum ad paucorum libidinem translatum ibant, judicium compararunt a se instructum atque subornatum, in quo judices sederent sibi dediti: hi Cleophontem, perinde atque vos exosi, condemnatum neci dederunt.

4. Theramenes aliquanto post Sparta reversus pacem secum referebat eam, cujus diritatem nulla re magis quam ipso usu cogno-

vimus: recentem a reditu strategi quidam et taxiarchi adibant, in quibus cum Strombichide et Dionysodoro, etiam alii multi erant, ex eo percontatum quasnam pacis conditiones referret: quibus illi cognitis, ut erant erga vos optime animati, id quod factis demonstrarunt, gravissime stomachabantur. Afferebat enim ejusmodi pacem, quæ cum multis nos fortibus atque egregiis viris mulctavit, tum Trigintatyrannos cervicibus nostris imposuit, a quibus patria fortunisque nostris ejecti sumus. Imperabatur enim nunc, ut mœnia, non, ut ante, ad decem modo stadia, sed tota prorsus demoliremur, et tantum aberat Theramenes ut promissorum suorum de bono nescio quo alio reipublicæ a Spartanis acquirendo liberasset fidem, ut potius nova ei mala eaque atrocissima comparasset: classem enim Lacedæmoniis tradere mœniaque Piræeo circumjecta solo æquare jubebamur. Hæc illi cum e Theramene audissent, cernentes eam pacem afferri quæ nulla esset, nisi quatenus hoc nomine, sed ementito, appellaretur, reapse autem hoc agi ut popularis reipublicæ administratio funditus tolleretur, negabant se unquam in ejusmodi conditiones assensuros aut eas effectui dari passuros, non, judices, quo mœnium ducerentur commiseratione si dejicerentur, neque quo rationem classis haberent hostibus dedendæ — nihil enim horum eos privatim magis, quam nostrum quemquam, tangebat —, sed quod animadverterent, hæc ausa vestri juris civilis exstinctionem esse tractura; non illi nullo tenebantur pacis desiderio, tametsi sunt qui id criminentur, sed meliorem ea pace desiderabant quam Theramenes retulerat: neque de ea impetranda desperabant; et videntur utique, nisi ab hoc Agorato intercepti fuissent, ad metam contentionis speique suæ perventuri fuisse. Videns itaque Theramenes aliique vestræ libertatis prædones, pariter atque ille majestati vestræ insidiantes, esse qui abrogationi popularis regiminis a se agitatæ intercessuri neque passuri viderentur jura et decora vestra minui, operam dabant, ut, quos suis machinationibus adversaturos præviderent, eos, priusquam concio de pace habenda coiret, calumniis oneratos in suspicionem adducerent atque in capitis discrimen conjicerent, ne quis sibi superesset ipsa in concione adversarius vestrorum jurium tutor et vindex.

5. Machinam itaque hanc construunt. Persuadent Agorato, ut adversus strategos et taxiarchos indicium sibi commodare vellet; non quo conscius illis ullius mali facinoris esset—nullius fuit, judices, neque esse potuit: nam, quæso vos, adeone vobis hi viri aut fungi videntur fuisse aut ab amicis atque administris deserti, ut tantis de rebus deliberantes necesse haberent Agoratum advocare eique arcana sua committere, quasi fido homini beneque aut erga se aut erga vos animato, qui servus esset et e servis oriundus? —,

verum Therameni ejusque sodalibus hic Agoratus index huic dolo perficiendo peraccommodatus videbatur esse. Studebant igitur efficere, ut deferre non ultro, sed invitus et coactus videretur, quo indicium ejus fieret credibilius. Volentem autem Agoratum non invitum nomina detulisse, vos ipsi, ni fallor, e mea rei gestæ expositione intelligetis. Mittebant nempe subornatum a se Theocritum illum, quem vulgus Elaphosticti filium appellitabat, eum ad senatum qui præsedit antequam Trigintatyranni rerum potirentur: erat hic Theocritus Agorati familiaris; et senatus quem dixi corruptus erat atque translationi summæ potestatis a multitudine plebis ad paucitatem optimatum inhiabat, id quod ipsi vos nostis, quam maxime. Argumentum vultis? Ex illo quem dico senatu, Trigintavirorum tempestate anteriore, multi postmodum in eo senatu sederunt, qui Trigintavirorum famulus fuit. Cujus autem ego rei causa istæc nunc commemoro? Quo nempe certi essetis, quæ decreta ab illo anteriore senatu profecta sunt, ea non a senatu profecta esse vestri studioso, sed ab ardente libertatem publicam pessumdare, propterea que ad ejusmodi decreta prorsus animum nil attendatis. Hic itaque Theocritus in illum senatum ingressus, esse quosdam indicat hoc agentes, ut novam, quæ cum maxime pararetur, rerum constitutionem impedirent, quo minus coalesceret. Et nomina quidem singula quæque se negabat editurum: jus enim jurandum idem cum conjuratis dixisse, neque defore alios qui nomina indicent, se quidem id nunquam facturum. At videte modo, judices. Theocritus si sponte sua rem detulit, non subornatus, neque condicto, eccur senatus eum non coegit nomina edere? eccur eum passus est vago quodam et incerto defungi indicio nominibus reorum casso? cur satis habebat hoc decretum scribere?

DECRETUM.

6. Secundum hoc decretum in Piræeum descendunt deputati e senatu ad Agoratum, quem in foro sibi oblatum abducere conabantur. Verum Nicias et Nicomenes aliique cernentes faciem rerum in urbe non optimam esse, negabant se permissuros ut Agoratus abduceretur; abstrahebant eum potius vi dabantque se vades, spondentes Agoratum, quandocunque postularetur, in curia sistendum. Senatores ergo cum a tabulario scriba in tabulas referri curassent eorum nomina, qui vadimonium de sistendo Agorato obissent et, quominus Agoratus abduceretur intercessissent, in urbem redibant. Agoratus autem cum vadibus ad aram Minervæ Munychiæ confugiunt ad eamque supplices desident: interea, dum ibi una sunt, inter se deliberant, quid opus factu sit. Placebat vadibusque cæterisque omnibus, Agoratum quam citissime e medio submoveri. Curabant itaque par lintrium ad Munychiam applicari: quo facto

Agoratum majorem in modum rogabant atque obsecrabant, ut, quicquid tandem esset eventurum, omni modo Athenis festinaret excedere, ipsique se fugæ comites offerebant, donec resp. ad priorem statum redisset; simul demonstrabant, in senatum si inducatur, verendum esse, ne nomina cogatur eorum edere civium, quos scelerati homines, pestem reip. machinantes, ipsi essent subjecturi. Hæc monentibus illis atque obsecrantibus, et lintres jam paratos habentibus, ipsosque sese comites itineris offerentibus, obsequi tamen hic Agoratus recusavit. Atqui, Agorate, si tibi, id quod jactas, cum tyrannis condictum atque comparatum nihil fuit, certusque si non eras a tyrannis nihil ad te mali esse proventurum, cur non auffugiebas in lintribus jam paratis stantibus, sponsoribus tuis tecum auffugere paratis? Adhuc enim id in potestate tua erat: senatus tui compos nondum erat. Tu plus periclitabaris hic manendo, et minus amittebas hinc discedendo, quam illi: quapropter faciliorque factu magisque necessaria tibi hinc erat emigratio, quam illis. Athenienses illi natu erant, cives ingenui; quapropter illis nihil erat de tormentis quod metuerent: deinde gravissimam oportebat causam esse, cur illi se tibi vellent navigationis comites adjungere, qui patriam suam in eaque carissima pignora relinquere nulli dubitarent; existimabant nempe, id fieri magis e re suaque publicaque esse, quam abs te proditos cives numeroque multos et virtutibus præstantes immeritæ neci dari. Tibi autem primum hoc metuendum erat si maneres, ne tormentis subjicerere: deinde nil amittebas auffugiens; non patriam, quæ tibi nulla unquam fuit; non fortunas, quibus nunquam non caruisti. Quocirca modis omnibus e re tua magis quam illorum erat in navem inscendere, si, quod ais, nihil erat quo fideres hic manens. Jam vero, ex eo, quod tot viros fortes et bonos indicio tuo interemisti, constat eos a te, non invito et coacto, quem simulas, sed a volente inprimis atque gestiente interemptos esse. Universa ergo hæc fraus, de qua loquor, inter te tyrannosque condicta et comparata fuit, in quo mihi consentiunt testes quæ aio confirmantes, ipsum adeo decretum senatus contra te testatur.

DECRETUM.

Secundum hoc decretum a senatu deputati cum venissent in Munychiam, ex ara ultro assurrexit Agoratus; non, quod nunc prætendit, vi inde abstractus est. Introducebantur omnes in senatum: ibi Agoratus edebat nomina, a commentariense in tabulas referenda, primum sponsorum ipsorum qui pro ipso fidejusserant, deinde strategorum atque taxiarchorum, tum aliorum quoque quorundam civium. Principium hoc fuit universæ illius atrocissimæ calamitatis, quæ postmodum remp. oppressit. Agoratum illa nomina

edidisse, nullus dubito quin ipse suo sit ore confessurus: sin minus, perinde convictum cædis eum dabo, ac si ipso in scelere fuisset deprehensus. Responde mihi.

7. Volebant quidam, o judices, adhuc plurium nomina ab eo indicari: tam sævo furore ruebat ille senatus ad noxias et pestes dandum, ut non sat multos indicasse videbatur Agoratus: qui, cum priores illos ultro, nulla coactus necessitate, indicasset, isti indicio postmodum adhuc aliorum plurium civium nomina addidit. Verum ne hoc quidem satis habebant, quod Agoratus in senatu indicasset, sed operam dabant, ut in concione quoque, secundum hæc in senatu acta, prima in theatro Munychiensi habenda, strategi saltim et taxiarchi indicarentur — nam de reliquis factum in senatu indicium sufficere videbatur — ; producunt itaque Agoratum etiam in illam quam dico concionem. Responde, Agorate, vera loquor, nec ne? Non enim opinor te ea inficias iturum quæ coram Atheniensium universo populo in concionem congresso fecisti.

INTERROGATIO.

Verum confitetur ipse, ut cernitis. At ego nihilo minus tamen scribæ mandabo ut populi quoque decreta vobis prælegat.

DECRETUM.

8. Certos jam confido vos esse, Agoratum hunc geminum illum indicem edidisse, tam priorem in senatu quam posteriorem in concione, eoque latronem et sicarium esse factum eorum quos detulerat: superest ut brevissimis vos doceam, funestorum omnium temporum quæ remp. postmodum exceperunt hunc Agoratum architectum fuisse eoque indignum vestra commiseratione factum. Ut enim illi viri fortes in vincula dati erant, Lysander classem Spartanam ad portus vestros appellebat, classis vestra Lacedæmoniis tradebatur, et mœnia solo æquabantur, et Trigintatyranni constituebantur, malumque illud tantum, de quo nimis gnaros commonefacere nil attinet, conflabatur. Ut primum igitur Trigintaviri erant instituti, cœperunt judicium capitale in illos quos dixi viros fortes ab Agorato delatos in curia exercere: populus autem in tribunali, per bis mille virorum personam populi gerentium, suffragia pronuntiabat, secundum decretum ea de re scriptum; quod tu mihi, scriba, recitabis.

DECRETUM.

Judicati si nusquam alibi quam in foro populi ejusque liberi fuissent, nullum est dubium, quin absoluti abissent: noratis enim illos insontes esse: verum jam tandem, quanquam sero, intelligebatis, quam luctuosa in tempora resp. incidisset, quum mederi malo jam

non amplius possetis; introducebantur enim in senatum nefandis Trigintavirorum imperiis famulatum, ubi judicium habitum est hujusmodi, pro more istius tempestatis nimium vobis noto. Trigintaviri iisdem in subselliis sedebant, in quibus prytanes nunc sedent: coram Triginta stabant duæ mensæ, quibus in mensis palam deponendæ essent testulæ (non enim licebat eas, ut antea factum erat, in sportulas conjici), et condemnantes quidem tabellæ in mensa anteriore absolventes autem in posteriore deponendæ erant: quonam itaque pacto aut fieri poterat aut sperari, ut reorum quisquam absolveretur? Ut uno verbo comprehendam, quotquot judicium capitis sub his tyrannis adierunt, omnino sunt omnes damnati, neminemque illi absolverunt, præter hunc unum Agoratum; hunc autem absolverunt, quasi referendæ gratiæ ergo, ceu virum mirifice de se meritum: quo autem, quam multi per hujus Agorati indicium perierint, sciatis, eorum nomina vobis recitabo.

NOMINA.

9. Ut itaque indicati ab Agorato morti damnati erant, jamque tempus instabat quo dira hæc sententia in ipsorum corporibus esset exsequenda, arcessebant miseri in carcerem, alius sororem, alius matrem, alius uxorem, aut quæcunque alia cuique necessitudo erat, ut necessarios supremum amplexi, ave extremo dicto, iter irremeabile ingrederentur. Dionysodorus itaque uxorem, quæ eadem mea soror est, in carcerem ad se arcessebat. Audito illa mariti casu venit pullata, ut par erat in tanto ejus infortunio. Coram hac igitur sorore mea Dionysodorus de re sua familiari ex animi sui sententia constituebat, prout quæque post excessum suum agi gerique vellet, et hoc de Agorato imprimis ita pronuntiabat, eum sibi tam acerbæ necis fabrum esse, mihique [per uxorem suam] fratrique suo Dionysio mandabat cæterisque amicis omnibus, ut sanguinem suum aliquando sanguine Agorati compensaremus: uxori autem, quam suspicabatur utero ex se gerere, injungebat, ut si marem peperisset, eum adultum patris nomine certiorem faceret, patrem ab Agorati lingua ceu sica cecidisse: jubere itaque atque imperare filio, ut manes patris Agorati sanguine placaret. Vera me hæc dicere, testes confirmabunt a me producendi.

TESTES.

10. Hi ergo, quod ex indicio Agorati a commentariensi publico in tabulas perduellionis reorum essent relati, extremum tolerarunt supplicium: ut autem hos Trigintaviri sustulerant, nostis ipsi vos quam multa et quam dira mala remp. oppresserint; quorum omnium causa huic Agorato est referenda, qui istos occidit. Invitus equidem facio, mœstitia et luctu repugnante, ut publicas clades in

memoriam vobis revocem, judices; verum tamen necesse factu est hoc temporis articulo, quo intelligatis quam vos deceat Agorato omnem denegare commiserationem. Nostis e Salamine qui cives nostri exsules huc reportari et a Trigintatyrannis misere sublati sint; nostis ex Eleusine quam multi eadem peste occiderint: sed eorum quoque, qui in urbe manserunt, meministis quot ob privatas simultates in carcerem conjecti sint, unde rursus pedibus suis non exierunt. Qui cum nihil in remp. deliquissent, turpissimum et ignominiosissimum supplicii genus tolerare coacti sunt, alii parentes grandi natu relinquentes spe frustratos, qua se olim paverant, fore, ut senio debilitati a liberis alerentur atque fato suo defuncti sepulturæ honoribus afficerentur, alii sorores nondum elocatas, alii liberos parvulos infinitæ adhuc curæ opisque egentes. Quos omnes quonam, quæso vos, existimatis animo fore tum erga Agoratum, aut quam de eo laturos sententiam, si daretur ipsis de eo arbitrari, per quem carissimis quibusque atque jucundissimis privati fuissent? Præterea meministis, ut mœnia vestra fuerint diruta, ut classis hostibus tradita, ut navalia destructa, ut Lacedæmonii vestram arcem insederint, ut universæ copiæ opesque vestræ ita convulsæ atque dissipatæ, ut vestra civitas a contemptissimo quoque oppidulo nil differret. Adde, quod privatas quique vestras fortunas amisistis, postremo simul omnes e patria a tyrannis ejecti fuistis. Hæc futura prævidentes illi præstantes viri negabant, o judices, se commissuros, ut pax tam fœda tam exsecrabilis coalesceret: quos tu, Agorate, studentes bene de rep. mereri sustulisti, deferendo pro insidiatoribus atque prædonibus libertatis nostræ; quæcunque postmodum mala remp. oppressere, tu ei unus omnia contraxisti. Horum vos nunc recordati, et privatorum quique suorum incommodorum et publicarum reip. pestium, punite hunc cui ista omnia uni debentur.

11. Miror equidem, judices, quid pro se dicturus sit: nam oportet eum planum facere, se viros illos haud detulisse neque delatione sua illis exitium conscivisse; atqui nunquam poterit. Primum enim decreta tam senatus quam populi contra eum testantur, de indicatis ab Agorato disertis et perspicuis verbis docentia: deinde judicium eum illud confodit, quod sub Trigintaviris cum subisset, absolutus fuit; expressis enim verbis in illius judicii sententia scripta leguntur hæc, *Agoratum ideo absolvi quod visus esset vera detulisse.* Recita tu mihi decreta et indices nominum tum in tabulas publicas relatorum.

DECRETA. SENTENTIA. TABELLÆ.

Nullo itaque modo demonstrare poterit Agoratus, se non detulisse: superest ergo ut demonstret se legitime detulisse, videntem eos ne-

faria et plebi vestræ noxia patrantes. Verum hoc quidem, non modo non demonstrabit, sed ne conabitur quidem. Non enim profecto Trigintatyranni eos ob mala eorum de plebe merita sustulerunt, veriti, ne popularis libertas ab illis jugularetur, neque studio jura vestra tuendi, et violatores eorum puniendi. Alia omnia.

12. Sed aiet forsitan Agoratus, invitum se tantas turbas concitasse. Quod cum dicet, aut verum dicet aut mentietur, et neutrum ad rem: ego enim sic mecum statuo, judices, si quis mala vobis crearit tanta ut alia majora cogitari nequeant, etiamsi invitus crearit, non ideo nobis convenire ut illa inviti facinora inulta transmittamus. Verum mentitur id præ se ferens. Licebat enim ei, apud Munychiam adhuc in ara sedenti, tutum in locum secedere, paratis et lintribus et sponsoribus, illis eum avehere, his abeuntem comitari. Quibus si tu, Agorate, voluisses obsequi comitemque te navigationis dare, verendum nil erat, ne tot Athenienses tolleres, ne si voluisses quidem, nedum ut invitus: verum auctoritate ductus eorum quicunque fuerunt quorum in auctoritate fuisti, sperabas te bona nescio quæ et quanta adepturum, dummodo strategorum atque taxiarchorum nomina indicares. Nullo itaque modo convenit, hanc quam tu assimulas stultitiam atque credulitatem tuam penes nos veniam invenire, quam illi quos tu peremisti abs te nullam invenere. Et Hippias quidem Thasius atque Xenophon Icariensis, eadem de causa in curiam acciti qua tu fuisti, capite luerunt, Xenophon quidem ante mortem tormentis subjectus, Hippias autem * * * *. Videbantur nempe hi duo viri Trigintatyrannis homines indigni salute, quippe qui civem Atheniensem neminem indicio suo percussissent; Agoratum autem absolvebant ideo, quod visus esset eorum libidini servisse.

13. Verum audio illum partem hujus negotii, quod in delatione versatur, in Menestratum collatum ire. Ego vero totam rem, ut habet, exponam. Audite quæso. Menestratus, de quo agitur, ab hoc Agorato una cum reliquis deferebatur, ideoque comprehensus in vincula dabatur: sed erat Menestratus ex eodem demo, seu municipio, oriundus, unde Hagnodorus Amphitropæensis, qui Critiæ, illius noti, e collegio Trigintatyrannorum, sororem in matrimonio habebat. Hic Critias ergo, partim ipsius Menestrati tuendi et conservandi studio, partim spe lucri sui (sperabat enim eum habere indicem idoneum, laqueum quasi, ad alios adhuc multo plures in exitium pertrahendum), producit ergo Critias hunc Menestratum ad concionem in Munychiæ theatro congressam: ibi una cum Hagnodoro perficiebat ut hoc decretum scriberetur, quo Menestrato spiritus venia dabatur.

DECRETUM.

Secundum hoc decretum igitur indicabat Menestratus nomina adhuc alia quædam, præter illa jam ab Agorato indicata. Verum enimvero, quem Menestratum Trigintatyranni absolverunt, perinde atque hunc Agoratum, eademque de causa, quod nempe visus esset vera indicasse: eum vos multo post homicidii reum nacti, cum haberetis potestati vestræ obnoxium, judicio legitimo habito, condemnastis, atque carnifici tradidistis, a quo fustibus ad necem cæsus est. Atqui, si Menestratus extremo supplicio tolerando meritas dedit pœnas, quanto majori jure dabit Agoratus, qui Menestratum indicando non modo Menestratum, sed omnes una a Menestrato indicatos, ad fatalem moriendi necessitatem adegit. Ecquis enim sit ullus alius, in quem ista culpa justius conferatur, quam is, qui Menestratum coegit alios indicare?

14. O quam dissimilis Agorato fuisse videtur Aristophanes ille Chollidensis, qui vadimonium pro hoc ipso Agorato tum temporis obibat atque lintres in Munychia comparabat, super quibus una cum hoc Agorato auffugere paratus erat. Quantum in eo erat, abibas tu tum salvus; eique si esses obsecutus, neque Atheniensium quenquam exitio dedisses neque nunc in hoc tanto capitis discrimine versarere: jam vero tu et hunc tuum vadem et reliquos una vades tuos omnes indicare ausus es, indicioque isto tuo pessumdedisti. Volentes enim quidam hunc Aristophanem, quasi haud satis ingenue civem, tormentis subjici, auctore facti sunt populo ut decretum scribi juberet in hanc formulam.

DECRETUM.

Adibant hoc facto ad Aristophanem hi penes quos tum summa rerum erat, rogantes, ut, indicando nomina consciorum salutem suam redimeret, neque ipse semet in periculum extrema quæque patiendi demitteret, ubi in judicium peregrinitatis vocatus esset. Ille vero abrupte conditionem aspernabatur: tam frugi erat Aristophanes vestræque plebis amans et studiosus, ut mortem indicinæ præferret. Talis igitur erat Aristophanes, ipse quoque a te sublatus, talis Xenophon quem modo dicebam in tormentis exspirasse, talis Hippias Thasius: tu vero cives Athenienses quam plurimos, viros fortes et bonos, quos nullo scelere nosses obligatos, delatione tua occidisti. Cur tandem? Imponi nempe tuæ stultitiæ atque credulitati passus eras a Trigintatyrannis, qui falsa te pollicitatione ductitabant, ubi innocentes hos calumnia tua confodisses, ut te tum, velut in mercedem latrocinii, ad principatus tum coalescentis consortium admitterent.

15. Aperiam vobis, judices, quantis vos luminibus privarit Agorati scelus. Quæ pauca numero si essent, audiretis me de unoquoque sigillatim exponentem; tot autem numero cum sint, omnes una complectar prædicatione. Indicatorum ab hoc Agorato quotquot strategatus gesserunt eosque sæpius iteratos jussu atque mandatu vestro, hi rempublicam successoribus tradiderunt a se non imminutam, sed amplificatam; aliis autem functi honoribus aut trierarchorum qui munia crebras per vices obierunt, hi nunquam commiserunt ut turpe in crimen incurrerent. Horum plerosque Agorati scelus prostravit. Si quos tamen eorum secunda quædam fortuna et sors sua superstites voluit esse, cum per hujus Agorati crudelitatem orci faucibus jam objecti atque condemnati essent, sed, sorte judicii non exspectata, fuga se subduxerunt eoque manus insectantium eluserunt quo minus comprehenderentur, atque postmodum e Phyla in patriam redierunt; hi nunc a vobis ut viri fortes et magni faciendi honorantur. At hos tamen, tot numero tantosque viros unus Agoratus, alios occidit, alios solum vertere coegit! cujas ipse? unde ortus? Oportet enim vos nosse eum servum et e servis oriundum esse, quo sciatis cujas fuerit ille vester carnifex. Pater ei nempe fuit Eumares, servus Nicoclis atque Anticlis. Adscendite mihi testes.

TESTES.

16. Tot numero sunt, judices, facinora atque dedecora et ab hoc ipso Agorato et ab ejus fratribus admissa, ut ea omnia oratione exsequi nimis operosum sit futurum. Neque magis necesse mihi video esse, ut actiones ejus forenses machinationesque nefandas recenseam, quibus famam fortunasque studuit honestis et innocentibus civibus per summum nefas, artibus veteratoriis, per speciem æqui juris, eripere, alios causis capitalibus perduellionis, alios minoribus, de privatis quibusdam injuriis et fraudibus, innectendo alios ut ærarios detulit eorumque bona proscripsit: nam ut omnes illās ejus calumnias quæ multæ sunt paucis verbis complectar, vos omnes tam in concione quam in tribunali sycophantiæ damnastis, eoque nomine mulctam decies mille drachmarum ei dixistis; quo vos eum publico vestro testimonio hominem nequam et furca dignum declarastis. Et nihilominus tamen, homo tam turpis cum esset, tam ignobili ortu, tanta obsitus infamia, tam probrosa nota inustus, matronas vestras ipse servus stuprare conatus est: mœchus in facinore deprehensus est, cui facinori pœna a legibus mors est constituta. Cita testes.

TESTES.

17. Quatuor hi erant fratres, o judices. Maximus natu in Sicilia deprehensus in conatu proditionis a Lamacho imperatore fustuario

necatus est; nostris enim in castris quæ gererentur, ea per ignes furtim accensos hostibus significabat: alter, cum puerum hero surreptum hinc Corinthum exportasset, rursus illinc puellam civis huc reportare plagio item interceptam conabatur; sed deprehensus in carcerem incidit, in quo periit: tertium Phænippides hic injecta manu ad undecimviros abduxit, vosque causa legitime cognita morte eum damnastis, atque carnifici tradidistis, a quo fustibus ad necem concisus est. Vera me hæc omnia dicere, et ipse, ni fallor, Agoratus confitebitur, et testes ego producam confirmaturos.

TESTES.

Ecqui ergo non vobis omnibus conveniat, hunc Agoratum uno consensu condemnare? Nam si fratrum unusquisque propter singula facinora morte dignus est habitus affectusque, quanto vos magis decebit huic mortis pœnam irrogare, mercedem tot tantorumque scelerum ab eo commissorum, quibus et universam remp. et privatim vestrum quemque læsit, quorum scelerum unicuique mortem pœnam leges scripsere.

18. Verum conabitur hoc vos commento, judices, circumvenire, ut aiat, sub Quadringentorum principatu Phrynichum esse jugulatum, ejusque ob meritum facti se civitate a vobis donatum; quæ cum jactabit, certos vos esse volo eum mentiri: neque enim Phrynichum occidit, neque populus Atheniensis eum unquam civem sibi adscivit. Nam Phrynichus aliorum ferro cecidit. Res gesta sic est. Phrynicho insidiabantur comparatis inter se consiliis Thrasybulus Calydonius et Apollodorus Megarensis: ut igitur aliquando hi quos dixi ei per viam inambulanti occurrebant, Thrasybulus quidem Phrynichum uno ictu dejectum exanimavit, Apollodorus autem prorsus ne attigit quidem; nam inter hæc oborta conclamatione, concurrente hominum turba, illi auffugiebant. Agoratus autem neque a percussoribus in consilium facinoris adhibitus est neque exsecutioni ejus interfuit. Quæ a me vera dici, decretum hoc testabitur.

DECRETUM.

Hoc e decreto constat Phrynichum ab Agorato peremptum non esse. Nusquam enim istius decreti nomen Agorati legitur scriptum, nusquam hæc formula velle jubere populum Atheniensem ut ob meritum perempti tyranni Agoratus civis Atheniensis habeatur, quemadmodum eodem decreto Thrasybulus atque Apollodorus ob id meritum civitate donati sunt: quanquam si Phrynichum occidisset, ipsum oportuit in eadem columna, qua Thrasybulus et Apollodorus, inscriptum esse factum Atheniensem. Et quanquam, de quo inter omnes constat, factu nihil est facilius, quam ut homines

neque nati cives neque unquam creati nomina sua in tabulas civium publicas furtim inscio populo injussuque ejus immittant, fraude oratorum et tabulariorum largitionibus corruptorum, qua de re decretum hoc certos vos faciet, a scriba mox recitandum; nullæ tamen usquam locorum exstant tabulæ, quibus Agoratus civis Atheniensis creatus atque nuncupatus esset.

DECRETUM.

Certos jam confido vos esse, judices, Agoratum civem Atheniensem non esse: et nihilominus tamen, alienus a vestræ civitatis nomine atque jure cum sit, tam est audax tam protervus tam impurus tam vestri contemptor, ut et judex sederit et in concionibus cum populo egerit, causasque capitales nullius non generis, quas modo mens humana comminiscatur, accusator egerit, præscripto in capitibus accusationum: Agoratus Anagyrasius. Eum enim se fert. Adhuc aliud luculentum videte documentum, unde constet, ab Agorato Phrynichum haud esse dejectum, cujus cædis ob meritum Agoratus se civitate vestra donatum jactat. Phrynichus hic dominationem Quadringentorum instituerat, quorum plerique illo sublato in exsilium abierunt: Trigintaviri post insecuti et senatus qui sub illis sedit erant omnes ex horum numero exsulum. Quod si ergo Phrynichum sustulisset Agoratus, videnturne vobis, judices, hi triginta cum senatu suo hunc Agoratum, quem in potestate haberent, unquam dimissuri fuisse, et non potius pœnas ab eo repetituri cum cædis in amico suo commissæ tum molestiarum exsilii a se ipsis propter Agoratum tolerati? Næ, aut vehementer ego fallor, aut punituri erant Agoratum, si is cædem Phrynichi perpetrasset: atqui non punierunt, sed absolverunt potius. Utcunque est, sive revera Phrynichum quod ait occidit Agoratus, sive gloriam sibi arrogat ementitam, utroque tamen pacto tenetur reus. Nam sive cædem ut a se commissam falso jactat, quam non commiserit (ut ego nego commissam), nefas facit vobis imponendo: sin autem nihilominus tamen hoc facinus tuum esse pergis contendere, fingamus tantisper tibique largiamur, hilum tamen non proficis. Quid enim? Majoribus necesse est atque atrocioribus injuriis populum Atheniensem abs te affectum esse, quibus illius tuæ cædis in Phrynicho commissæ memoriam ex animis Trigintavirorum eraseris: nemini enim uni tu hominum omnium persuadebis, ut credat, Trigintaviros unquam fuisse commissuros, ut, cum tu Phrynichum occidisses, te tamen absolverent, nisi tu vulnera reipublicæ Atheniensium imposuisses insanabilia atque feralia. Quod si ergo Phrynichum a se aiet peremptum mementote horum quæ modo dixi, et pœnas scelerum ab eo repetite: sin autem negabit, interrogate eum, cujus ob meritum facti civem se gerat Atheniensem. Quod si minus habebit demonstrare,

punite eum hac de causa, quod, Atheniensis cum non esset, tamen, perinde atque qui jure optimo civis est, et judex sedit et in concionibus cum populo egit et calumniis multos perculit, criminibus implicitos per nefas a se confictis, quibus ille criminibus velut Atheniensis nominis sui præscripsit auctoritatem.

19. Audio illum hoc quoque sibi parare genus defensionis, ut aiat, et ad Phylam se concessisse et illinc rursus cum exsulibus redisse; in eoque arcem quasi suæ defensionis esse constituturum, sed illam profecto infirmam. Res enim sic se habet. Venit utique ad Phylam — verum crimen hoc ipsum est atrox quo gravatur: homo enim inveniri qui possit impurior atque impudentior eo, qui, cum nosset apud Phylam nonnullos eorum esse quibus exsilium ipse conscivisset, ausus tamen est horum se oculis ingerere potestatique caput suum ultro objicere? —, ut primum autem conspicati eum sunt, palam ad locum supplicii abduxerunt, ubi solebant in latrocinio aliove quopiam simili maleficio deprehensos extremis suppliciis afficere. Anytus autem, qui tum strategus exsulum ad Phylam congressorum erat, intercedebat, negans istis eorum temporibus convenire ut inimicorum quenquam pœnis capitalibus ulciscerentur: nondum eo perductas esse ipsorum res, ut de ultione exsequenda cogitare oporteat: nunc oportere se continere, pacique atque concordiæ studere: ubi domum aliquando redissent, tum copiam ipsis haud defuturam scelerosos puniendi. Hæc docendo efficiebat Anytus, ut tum temporis Agoratus supplicium apud Phylam effugeret: neque enim facere poterant exsules, ut dicto imperatoris audientes ne essent, si ullo salutis suæ sensu studioque tenerentur. Verumtamen acribus eum oculis observabant: percontari enim si voletis, neminem reperietis omnium ad Phylam congressorum, qui aut mensæ aut tabernaculi communione cum Agorato usus esset, neque aut taxiarchum reperietis qui eum cohorte sua, aut magistrum equitum qui turma recepisset: nemo non congressus ejus devitabat velut hominis piacularis: sermonibus cum eo conferendis pollui sibi videbantur. Cita mihi taxiarchum.

TESTIS.

Reconciliata inter cives pace, cum redeuntes ab exsilio e Piræeo versus urbem in armis solenni cum pompa procederent, Æsimo præeunte qui processioni illi dux erat, Agoratus ibi quoque suam proferebat audaciam: nam ipse quoque, qui civis non esset, civium agmen versus urbem procedens comitari sustinebat. Ubi autem prope portam urbis ventum erat, consistere in armis jussos cives lustrans Æsimus, observabat Agoratum, agmini duce inscio et invito furtim immistum, propiusque congressus, scutum ei de humero sua manu detractum humo allidebat, jubens eum ex agmine

civium fortium et honestorum ad furcam et corvos quibus dignus esset abire: negabat enim decere, homicidam cum agmine incedere ad fanum Minervæ in arce situm festiva cum supplicatione in armis procedente. Hoc pacto Agoratus ab Æsimo cum infamia ablegabatur. Vera hæc a me dici quo vobis constet, cita tu mihi testes.

TESTES.

Videtis, judices, qua opinione publica, qua fama, quo denique loco Agoratus penes cives et apud Phylam et in Piræeo fuerit: nemo nempe cum eo, ut cum homicida, sermones cædebat, et quominus trucidaretur, unus Anytus intercedebat. Quodsi ergo suam ad Phylam profectionem jactabit, occurrite ei sic, ut interrogetis, num Anytus ipsum periculo mortis eripuerit, cum reliqui cives omnes parati essent sanguine ejus scelera tot et tanta expiare civiumque manibus parentare; item, num Æsimus scutum ipsi detractum solo affixerit neque siverit eum triumphali civium processioni interesse; denique, num centurio unus aliquis adscriptum suæ cohorti habuerit.

20. Ut autem vos has ejus reliquas frivolas excusationes repudiabitis, ita hanc quoque repudietis velim non minus inanem, cum dicet, nos nimis longo post patratum scelus tempore pœnas sceleris repetere. Nulla enim mihi videtur esse temporis quamvis longissimi præscriptio, per quam scelera tam atrocia impunitatem adipiscantur: contra ego arbitror, quicunque sive statim a patrato facinore sive diu post in jus vocatus fuerit, eum oportere planum facere, cujus facinoris reus agatur, id facinus aut a se non esse commissum aut jure factum. Doceto igitur Agoratus quoque pari modo, aut illos fortes viros a se non esse peremptos, aut jure peremptos optimo, utpote lædentes majestatem populi Atheniensis. Quod si autem nos, qui dudum debueramus in eum animadvertere, nunc demum tanto tempore post animadvertimus, habeto nobis ejus rei gratias, quod se passi simus tam diu, contra quam oportebat fieri, in vivis superesse, et in lucro tempus hoc ponito: viri tamen illi fortes, quos sustulit, nil ideo minus propter eum occubuere. Semper est manetque sicarius eorum, tametsi multo post demum latrocinii postulatur.

21. Urgere denique Agoratum hoc audio, quod in libello accusatorio, contra se in hac causa exhibito, quæ sit causa ἀπαγωγῆς, cujus modi causæ in fures et latrones atque sicarios instituuntur, in scelere deprehensus dicatur ἐπ' αὐτοφώρῳ; homicidam vero ἐπ' αὐτοφώρῳ se nequaquam esse. Ego vero me nego satis mirari posse stultitiam hominis, si argumento utetur tam ficulneo: nam si actioni ex titulo ἀπαγωγῆς, h. e. in sicarium, ideò minus est obnoxius, quod libello accusatorio clausula ἐπ' αὐτοφώρῳ sit adscripta, con-

sequitur, eum huic actioni obnoxium esse, si illa clausula omittatur. Age, tollamus clausulam. Viden, sublata est. Teneris ergo actione in sicarium. Scelus ergo a se commissum cum fateatur, tum in illa latebra calumniæ sperat sibi perfugium fore solaminisque aliquid in illa clausula se reperturum. Quasi referat quicquam, cum tu fatearis te homicidium commisisse, ut tum te neges ἐπ' αὐτοφώρῳ fecisse, h. e. sic, ut in actu sceleris ipso deprehenderere. Quasi, si occidisset quidem, non tamen ἐπ' αὐτοφώρῳ, h. e. isto quo dixi pacto, salvus et inultus abire debeat. Videntur mihi undecimviri, accusationem hanc adversus Agoratum, pro actione ἀπαγωγῆς, seu in sicarium, a Dionysio sibi exhibitam recipientes, quod suspicarentur omissionem formulæ ἐπ' αὐτοφώρῳ causam Agorati esse adjuturam; ideo rectissimum et tutissimum secuti consilium, coegisse Dionysium, ut actionis suæ in Agoratum, ut in sicarium, libello adscribi a tabulario publico curaret hanc clausulam ἐπ' αὐτοφώρῳ. Quod faciens Dionysius, cum salva fide sua et veritate rei gestæ faceret, tantum abest, ut causam debilitaverit, ut potius hoc magis confirmarit: ubi enim quæso te magis geras homicidam ἐπ' αὐτοφώρῳ, quam si, quem occidas, eum coram tot numero testibus iisque tam gravibus occidas, atque fecit Agoratus, qui tot fortes bonosque cives, primum coram quingentis viris in curia considentibus, deinde coram universitate populi Atheniensis in concionem congressi, detulit: quam delationem secutum est judicium, quo illi omnes mori jussi sunt. Quo negari nequit Agoratum indicio suo necem ipsis conscivisse: aut profecto nemo mortalium omnium eos occidit; id quod est inconsentaneum. Nam si probamus id, quod Agoratus vult, hoc urgens, manus a se violentas illis admotas non esse, consequetur, neminem esse homicidam, præterquam siquis alteri manu sua feralem plagam intulerit, tigno ictum sicave prosternens: viros ergo a te, Agorate, delatos nemo plane occidit; nemo enim eos feriit, nemo jugulavit, sed delatio tua coegit eos ipsos sibi mortem consciscere. Jam nega, si audes, te eorum esse sicarium in scelere deprehensum. Nam si lingua tua eos non interemit, in conspectu tantæ multitudinis, nemo potest alius esse, qui eos occiderit. Atqui tamen occisos esse, in confesso est. Es ergo tu homicida ἐπ' αὐτοφώρῳ.

22. Sed audio illum pactorum quoque atque sacramentorum facturum esse mentionem, et questurum de injuria sibi facta, qui capitis causam dicere cogatur adversus pacta urbanis cum Piræensibus contracta et jurejurando sancita. Quo si nitetur argumento, ipse suo propemodum ore se homicidam fatebitur: ipsi enim innocentiæ veritati e factis exsplendescenti diffidens, nescio quas ad latebras religionum jurejurando consecratarum pactorumque aut temporis dudum elapsi aut formulæ ἐπ' αὐτοφώρῳ confugit. Vos

vero decet, judices, omnibus istis spretis offuciis, ejusmodi defensionem poscere, ut planum faciat, viros illos a se non fuisse delatos neque secundum suam delationem in supplicio exspirasse. Præterea nulla, si quid sapio, pacta nobis cum illo sunt communia, nullæ jurisjurandi religiones. Pacta enim ea jurejurando confirmata sunt, quæ nos Piræenses cum urbanis contraximus, non alia. Jam, si Agoratus illo tempore, quo pacta hæc Piræensium cum urbanis sanciebantur, in urbe fuisset, posset hæc de pactis prætensio fortassis vestrum non neminem veri quadam specie ludere: verum erat Agoratus quoque tum temporis in Piræeo una nobiscum, me puta et Dionysio et quotquot eum nunc hac actione ultum imus. Cui nihil hac quidem ex parte obstat: nullo enim sacramento dicto Piræenses sese Piræensibus obstrinxerunt.

23. Omnimodo videtur Agoratus mihi morte non una dignus esse, qui, quo a populo se tum aiat adoptatum cum civitate donaretur, si dis placet, et quem ipse suum patrem appellet, erga eum populum ita se gesserit, ut si qui filius ingratus, immemor beneficiorum a patre propitio acceptorum, non modo nil curet eum demereri, sed etiam male de eo mereatur, deserat in malis, ea denique prodat hostibus patris per quæ pater antehac amplior atque superior hostibus fuisset. Qui ergo et patrem a natura datum verberarit et de necessariis vitæ præsidiis ita parum ei prospexerit ut patri inedia pereundum fuisset, et rursus patrem adoptivum bonis præsentibus atque paratis everterit, ecqui conveniet eum non morte dignum haberi, cum hoc titulo, tum illo altero legis in liberos latæ, a quibus parentes male habentur?

24. Imo vero vobis, judices, universis publice convenit, virorum fortium manes hujus Agorati sanguine placare, perinde atque privatim nostrum unicuique convenit injurias illis oblatas exsequi. Mortis enim in articulo constituti, non nobis magis quam vobis cunctisque Atheniensibus mandarunt, ut Agoratum hunc, percussorem suum, ulcisci, vexare, exagitare, pro sua cujusque quamvis minima facultate, satageretis. Nam si meritum ullum aut ornamentum ab illis ad remp. aut ad plebem vestram profectum est, quæ ornamenta haud pauca esse inter omnes constat ipsique vos confitemini, necesse est, vos omnes qui reip. benevelitis amicos atque familiares ipsis fuisse: sin autem amici vestri fuerunt (et fuerunt utique), ultionem sui sanguinis non nobis magis necessariis suis quam vestrum cuique demandarunt. Neque ergo per religiones deorum neque per leges vestras vobis licet hunc Agoratum impunem dimittere.

25. Vos ergo, viri Athenienses, quoniam illo tempore, quo isti exspirabant, per misera quæ tum remp. oppresserant turbidaque tempora non poteratis, nunc saltim, quo tempore in potestate vestra

est, ulciscimini atque punite hunc istorum sicarium; religionique vobis ducite, facinus committere omnium dirissimum atque sacerrimum. Agoratum enim si sententiis vestris absolvatis, non ei solummodo impunitatem atque securitatem condonabitis, verum etiam illos viros, quos ipsi confitemini vobis amicos atque benevolos fuisse, eadem sententia morti condemnabitis: absolventes enim eum, qui mortis supplicium illis conscivit, nihil aliud decernetis atque pronuntiabitis, quam eos ab hoc ad mortem criminibus meritam adactos esse. Quo pacto calamitate miserrima et luctuosissima uterentur, si vos, quibus ultionem sui morientes tanquam hominibus amicis mandassent, iidem contra ipsos eadem cum tyrannis scisceretis. Neutiquam, judices, neutiquam, per deos Olympios vos obsecro, nullo pacto, nulla fraude pronuntiate adversus eos viros, qui, proptèrea quod multis modis bene de vobis meriti essent, a Trigintatyrannis et ab hoc Agorato necati sunt. Recordati calamitatum omnium, quæ ab horum virorum excessu universamque remp. et privatim unumquemque oppresserunt, punite hunc malorum vestrorum architectum. Undecunque planum vobis est factum testatumque, tam e decretis quam ex indicibus nominum delatorum, ex aliis denique omnis generis documentis, Agoratum hunc moriendi necessitatem ipsis conscivisse. Præterea consentaneum est, vos contra sciscere atque Trigintaviri sciverunt; hoc est, quos illi morti condemnarunt, eos a vobis absolvi par est; contra, quos illi suis sententiis a mortis pœna absolverunt, iis vos eam irrogare. Jam Trigintaviri cives illos fortes et bonos, qui vobis amici erant, morte damnarunt; quapropter absolvite vos nunc eosdem: contra Agoratum absolverunt tyranni, quod visus ipsis esset hos amicos vestros cupide perdidisse; quapropter eum condemnate. Quod cum facietis, tum vos primum a turpissimo crimine conservabitis intactos, similitudinis puta atque consensus in consiliis atque decretis cum hominibus impuris atque sacrilegis; deinde laudem reportabitis contentionis in ulciscendis amicorum vestrorum injuriis, denique mortalibus omnibus videbimini humanoque juri atque divino fecisse consentanea.

LYSIÆ

CONTRA ALCIBIADEM

OB ORDINEM DESERTUM

ORATIO.

1. Tametsi, judices, si quis hunc Alcibiadem accusare in animum induxerit, ab eo vos mihi non videmini causam odii adversus illum requisituri; qui se jam a puero inde civem gesserit eum, ut, etiam si quis nulla sit ab eo privata læsus injuria, facere tamen non possit, quominus eum ob mores ipsius atque instituta odio prosequatur et abhorreat. Neque enim minuta sunt Alcibiadis delicta neque venia digna neque spem moventia futuri meliorem ad frugem reditus, sed tanta est eorum enormitas, tanta fœditas, tantum odium, ut in iis in quibus ille exsultat nonnulla sint, quorum ipsos inimicos pudeat. Sunt mihi tamen, præter causas cum rep. communes, privatim quoque causæ quædam propriæ, cur eum si possim ope vestra adjutus ulcisci studeam: non enim vetustum solummodo illum inimicum habeo per simultates quæ majoribus meis cum majoribus ejus jam a longinquo intercesserunt, sed etiam, nunc recens malum ab eo accepi; quorum omnium pœnas nunc ab eo, si per vos licebit, repetam. Et de reliquis quidem sic satis dixit Archestratides; leges enim recitavit testesque de criminibus quibusque produxit: quæ vero ille mihi omisisse videtur, ea vos ego singula docebo. Recita tu mihi legem.

LEX.

2. Nunc primum a reconciliata pace, judices, hujusmodi in causa jus dicturi sedetis: quocirca consentaneum est, vos nunc non judicum modo sed legislatorum quoque partes agere, bene gnaros, utramvis in partem vos nunc hujusmodi de crimine pronuntiaveritis, id ita in posterum quoque ratum et in rep. valiturum esse. Civis autem boni et judicis æqui partes hæ mihi videntur esse, ut in legibus interpretandis atque exercendis ita versetur, ut non præsentis modo temporis rationem habuisse, sed futuro quoque prospexisse, eaque constituisse videatur quæ reip. in perpetuum ad salutem decusque sint fructuosissima. Sunt nempe, qui negare audeant, deserti ordi-

nis militaris teneri quenquam [eorum, qui novissimis in castris essent versati]; pugnam enim nullam intervenisse: legem autem sic edicere, si quis ordinem deseruerit retrorsum cedens, formidine victus, reliquis dimicantibus, de iis strategos cognituros esse. Audio; recte admonent; lex utique sic edicit: verumtamen non de his solummodo lex præcipit, sed de illis quoque si qui se in acie pedestri patiantur desiderari. Recita legem.

LEX.

Auditis, judices, legem de ambobus definire, tam illis qui fervente pugna retro se receperint, quam his qui a pedestri militia prorsus abfuerint. At quosnam oportet adesse? Non hos, qui id agunt ætatis, quod agit Alcibiades? non hos, quos strategi delectu habito nominatim militare jusserunt? Nullum ego, judices, arbitror esse alium civium omnium migratæ hujus legis totius reum, quam unum Alcibiadem. Nam *ἀστρατείας*, seu absentiæ a castris, jure merito reus peragatur, quippe qui, adscriptus militiæ Doberum jussæ proficisci, *λειποταξίου* porro, seu deserti ordinis, quippe qui de universo exercitu solus in urbe remansit, in castra non exiit, copiam sui corporis centurionibus non fecit, vacuum in acie pedestri locum suum reliquit; verum etiam non minore jure *δειλίας*, seu trepidationis, condemnetur, propterea quod, cum ex edicto prætorum unusquisque militantium inter milites gravis armaturæ dimicare deberet, solus Alcibiades equo merere maluit. Cujus eum audio hanc parare defensionem, ut se, qui equo meruisset, eo peccasse neget. Ego vero jure vos optimo arbitror in eum ideo animadversuros, quod, cum lex *ἄτιμον*, seu capite minutum, et jure honores petendi mulctatum declaret eum, qui nullo prævio censu [seu non tolerato morum fortunarumque suarum scrutinio, neque in eo probatus] in equestrem militiam se ingesserit, Alcibiadem tamen nil puduerit prætermisso examine in hanc militiam irrumpere. Recita mihi legem.

LEX.

3. Verum non substitit hominis dementia in contemptu vestri, in reformidatione hostium, in appetitione militiæ equestris, in proculcatione legum vestrarum, sed ipsa adeo tanta discrimina a legibus proposita pensi non habuit, capitis imminutionem et bonorum proscriptionem: maluit infamis fieri, maluit facultates videre publicatas, maluit pœnis omnibus obnoxius fieri a lege sancitis, quam inter scutatos versari, scutatis allegi. Et alii quidem, qui antea nunquam in scutatis meruissent, sed semper in equitibus, et hoc genere militiæ fungentes hostibus multas clades intulissent, tamen [in novissima expeditione] ausi non sunt in equos inscendere, metu vestri legisque; ibant nimirum in hostem, animis ita comparatis, ut

confiderent remp. haud esse perituram, sed salvam atque amplam futuram et injuriarum sibi oblatarum pœnas a facinorosis repetituram: Alcibiades autem unus ausus est in equum adscendere, neque plebis vestræ studiosus neque nunc tenens artes equestris militiæ neque in censu a vobis probatus, perinde ac si caritura esset resp. facultate proterviam in jura sua grassantem castigandi. Verum oportet meminisse, si patiendum vobis sit quæcunque allubescat quemque agere, incassum leges esse latas, incassum vos in curias, in concionem, in tribunalia coire, incassum militiæ magistros deligi. In prima jussus acie stare, judices, si quis hostibus cominus accedentibus illinc in secundam aciem se subduxerit, sine controversia nemo est, quin eum ignaviæ atque pavoris damnet: sin autem in scutatis militare jussus, subito inter equites mirantibus omnibus circumvolitet, mirer equidem, si quis eum venia donet.

4. Ego vero vos jus dicere, judices, autumo, non ipsorum solummodo qui identidem sunt reorum causa, sed quo alios quoque disciplinæ contemptores severitate vestræ animadversionis a sceleribus absterreatis atque sapere doceatis. Quod si ergo solos ignobiles puniatis, nemo reliquorum omnium corrigatur; quum nemo facile eum norit, si quem vos vestra sententia perculeritis: sin autem nobilissimos quosque puniatis, nemo erit ad quem exempli fama non permanet; quo fiet ut hoc exemplo docti cives sapere diligentiorem operam virtuti dent postmodum. In hunc autem Alcibiadem si prout vos decet animadverteritis, non ad urbis incolas solummodo vestræ severitatis laus percrebrescet, sed socios quoque vestros ipsosque adeo hostes ad majorem reipublicæ habendam reverentiam excitabit, cum videbunt, adversus hoc imprimis flagitiorum genus, quo Alcibiades se obligavit, vos exardescere, veniamque prorsus omnem iis denegare si qui ordinem disciplinæ militaris conturbaverint. Recordamini, quæso, judices, nostrum, quotquot illi expeditioni interfuimus, magnam fuisse partem, alios invalidos, alios rerum necessariarum egentes: libentissime mansissent illi quidem in oppidis atque corpora recreassent, vi vero domum reversi privatam quique suam rem refecissent. Verum non licebat. Illi quidem, invalidi, inter levis armaturæ milites munia fungi jubebantur, hi vero, commeatibus destituti, in equitatu discrimina belli adire: et nihilominus tamen erat omnium nemo, qui, quam sortitus esset stationem, eam deserere auderet, aut sibi jucunda edictis imperatorum præferre; multo enim magis patrii juris acerbitatem, quam hostium arma reformidabatis. Horum memores oportet vos ea quam nunc feretis sententia testatum ad omnes facere, si qui Atheniensium jussi hostibus occurrere detrectent, eos facere non posse quo minus in vestræ severitatis aciem incurrant.

5. Verum enim vero, de jure quidem militari ipsaque de re nihil

habebunt neque Alcibiades neque advocati ejus, quod contra dicant: attamen e tribunali hoc vos exorare supplices contendent, ut pavoris dedecore Alcibiadis filium viri clarissimi ne respergatis, quasi Alcibiades pater multis rempublicam non malis affecisset quibus affecit, sed ornamentis cumulasset; atqui fuit Alcibiades hujus pater is, quem si tum statim de medio sustulissetis, quum tantillus adhuc esset, primi criminis eorum omnium criminum, quorum causam unquam ex hoc loco coram vobis stans dixit, reum peractum, næ tot tantæque clades rempublicam non attrivissent. Grave profecto, judices, mea quidem sententia indignumque sit, vos filio delicti reo ejus in gratiam patris ignoscere, quem ipsi vos sententia mortis perculissetis: filium, qui vestris in castris dimicare recusasset, a vobis absolvi, cujus patrem nil puduisset in castris hostium rem adversus vos gerere. Puer adhuc cum esset hic junior Alcibiades, parum aberat quin ob patris crimina undecimviris traderetur; quo tempore nullis adhucdum constabat documentis qualis olim aliquando esset futurus: illum enim vero nunc ob patris scilicet merita commiseratione moti censebitis absolvendum, post factam ad patris crimina accessionem, a filii criminibus, quæ jam usu vestro cognita atque perspecta habetis? Dura utique et perquam iniqua sit sors nostra, si fatale sit, ut Alcibiadis quidem necessarii, quocunque in flagitio deprehensi, propter generis nobilitatem salutem atque veniam inveniant; nos autem e captivitate missionem prædicandis majorum meritis non possimus. Nam si per horum negligentiam disciplinæ militaris factum esset ut clade accepta in potestatem hostium venissemus, nemo nostrum libertatem ab hostibus impetrasset neque precibus neque majorum fortia facta collaudando, quæ sunt et numero multa et magnitudine amplissima et pro salute universæ Græciæ edita nulloque pacto cum horum erga rempublicam flagitiosissimis moribus comparanda, o judices! Aient Alcibiadis advocati, se amicitia ductos ejus causam tueri. Recte vero. Nil reprehendo. Laudo etiam. Verum si illi tuendis amicis officio bonorum virorum se satisfacere autumant, in quo non errant; liquet vos quoque pœnis ab inimicis vestris repetendis laudem virorum fortium esse consecuturos. Ego vero vos hortor, judices, cum necessariorum ejus nonnulli venient hunc a vobis exoratum, ut indignemini, quod, qui aut hunc rogare insuper habuerint, aut rogantes ab hoc impetrare non potuerint, ut imperiis patriæ pareret, iidem nunc vobis persuadere contendant pœnas a criminosis nullas esse repetendas: sin autem virorum in republica potentium quidam Alcibiadi præsto sint futuri, quo documentum aliquod potentiæ suæ illustri in loco collocent, laudi enim sibi ducunt et in hoc laborant efficiendo, ut constet inter omnes auctoritatem opesque ipsis esse tantas ut manifestorum adeo scelerum reos tamen

eripere manibus ultricis justitiæ valeant; vos tum contra decet istæc meditari, primum, si omnes Alcibiadi essent similes, plane nihil opus tribunis militum esse futurum — quippe qui tum non essent habituri quibus imperarent, si nemo esset qui parere vellet —, deinde, multo magis convenire ipsis, desertores ordinum militarium accusare quam oratione defendere. Ecquæ enim spes supererit, fore ut sint qui mandata imperatorum exsequi velint, si imperatores ipsi turbatores disciplinæ militaris eripere discriminibus capitis contendant? Censeo itaque sic: Alcibiadis patroni atque deprecatores planum si fecerint eum in scutatis militasse aut in censu probatum equestrem militiam obisse, tum eum a vobis absolvendum esse; sin autem, destituti ab omni justa et legitima causa, tamen flagitent vos iram in eum nullam expromere, meminisse decet illos vobis velle perjurii defectionisque a norma legum magistros fieri, studiique sui importunitate pro sceleratis nitentis multos ad imitationem eorundem malorum exemplorum allicere.

6. Miror equidem, judices, si quid aliud, hoc imprimis, si qui vestrum autument, tantam esse oportere auctoritatem pro Alcibiade nitentium ut salvus hoc e judicio servatusque per ipsos discedat, nullamque haberi rationem scelerositatis qua extrema quæque exempla meritus est. Qua de scelerositate Alcibiadis doceri vos dignum arbitror, quo certi sitis, recte vos haud esse facturos si hoc eum nomine absolvatis, quod, cum hac una in re deliquisset, tum in reliquis tamen omnibus civem se bonum atque fortem gessisset: ejusmodi enim sunt reliqua ejus instituta et acta, ut, ea si teneatis, propter ipsa eum summo jure morte sitis mulctaturi. Oportet itaque vos ea qualia sint cognoscere: nam ut defendentium de suis virtutibus de majorumque beneficiis in vos collatis prædicationes non aspernamini, ita rursus accusatorum quoque orationes æquis auribus vos accipere consentaneum est, docentium reos in vos multa peccasse ab eorumque majoribus incommoda noxasque quam plurimas ad vos esse profectas.

7. Alcibiades itaque hic adhuc puer apud Archedemum, illum lippi cognomine furtorumque enormitate nobilitatum quibus peculium vestrum depeculatus est, apud hunc ergo, coram testibus quam plurimis, noctuque sub eadem cum illo stragula accumbens comissabatur diuque, impuber cum scorto conversans, majores ita suos imitans, existimansque negatum sibi fore adultiori facto clarum nomen adipisci, nisi in pueritia famam hominis turpissimi atque nequissimi collegisset. Flagitiis palam et aperto capite exercendis cum infamiam contraxisset, ab Archebiade objurgatus est. Quanquam de eo, judices, quænam vos oportet arbitrari, qui flagitiositate morum illius ipsius in offensionem incurrisset, qui aliis flagitiorum magister esset? Oreos Theotimo prodiderat, cum quo insidias in

patrem, Alcibiadem seniorem, comparaverat. Potitus itaque loco Theotimus per junioris proditionem, primum constupravit eum jam puberem factum, deinde in carcerem dedit, negans libertatem ei reddendam nisi certa imperata mercede eam redimeret. Quo tempore tanto pater odio filii exarsit, ut se negaret ossa adeo filii lecturum, si illa in captivitate diem supremum obisset. Illa eum e captivitate Archebiades amator ejus factus, patre exstincto, redemit. Non multo autem post absumptis per aleam bonis piraticam exercuit: e Leuca Acta evectus amicos ponto demersit.

8. Longum sit, judices, omnia enumerare scelera, quibus aut cives aut necessarios aut hospites suos aut alios quoscunque violavit; unum hoc audite: Hipponicus, coram multis testibus ad hanc unam rem convocatis, uxorem suam Alcibiadis hujus sororem domo ejecit, affirmans, hunc Alcibiadem domum suam frequentare ut uxoris suæ non fratrem sed maritum. Talium tot numero et tam atrocium sibi scelerum cum conscius esset, nulla tamen eorum ducitur pœnitentia neque futurorum angitur sollicitudine. Tametsi unum eum decebat omnium maxime sobrium atque pudentem esse, quo per vitæ suæ innocentiam patris criminibus excusationem pararet et quasi portum aperiret: at ille contra injuriis atque contumeliis alios ultro lacessere audet, quasi fieri possit, ut cordati homines veram credant vel millesimam partem earum calumniarum, quibus probra sibi domestica gentique suæ propria in alios confert; quem oportebat meminisse filium se illius Alcibiadis esse, qui Lacedæmoniis auctor fuit Deceleæ communiendæ quo vos domi vestræ compesceremini, qui vestra cum classe hinc abiit quo insulas vobis amicas atque fidas a fide abstractas potestati vestræ eriperet, qui hostibus nuda reipublicæ latera demonstravit et ulcera occulta denudavit, qui sæpius in castris hostium venit, ut jugum patriæ cervicibus imponeret, quam vobiscum exiit ad hostes perdomandum. Quæ tanta scelera tam impii hominis vos par est vestrique causa et posterorum ulcisci, quemcunque tandem ex ejus prole atque necessariis sub potestatem vestram nanciscamini. Audio quidem eum sæpius hoc invidiosum occentare, haud convenire, ut, quo ab exsilio revocatus pater ipsius multis et insignibus donis atque honoribus a populo cumulatus sit, illius exsilii invidia haud merita et odio iniquo ipse prematur. Mihi vero indignum videretur, si vos, cum tributos aliquando honores patri rursus derogavissetis ceu per nefas et citra meritum delatos, tum filium criminibus et flagitiis obsitum velletis absolvere, quo locum essetis interpretationi sinistræ facturi ac si pater ejus civis fuisset de patria optime meritus.

9. Verum enim vero, cum alias multas ob causas, tum hanc haud minime ob impudentiam dignus est Alcibiades quem condemnetis,

quod ad colorandam suam patrisque improbitatem exemplo vestræ virtutis abutitur. Rem a vobis præclare gestam, quæ summæ laudi vobis cessit, assimulatum it turpissimo patris facinori, in quo ipsum ait vos imitatum esse. Negat, qua est dementia, patrem in eo scelus atrox commisisse, quod arma patriæ infesta intulit: nam vos quoque exsulantes, Phyla occupata, Attici agri culta et sata igni ferroque pervastasse, mœnia urbis adortos esse, iisque rebus omnibus non dedecus liberis vestris contractum reliquisse, sed gloriam immortalem ad omnes homines pervagatam peperisse; quasi pares loco paribusque modis accipiendi sint, illinc, si qui, ob crimina in exsilium acti, patrium in solum a civibus adhuc legitime insessum ejus desolandi ergo in castris hostium rediere, hinc, qui in urbem sibi natalem a Lacedæmoniis hostibus insessam, unde per vim et nefas expulsi fuissent, rediere. Atqui constare inter omnes ego equidem de hoc arbitror, Alcibiadem cum factione reditum in patriam eo consilio molitum esse, quo, Lacedæmoniis tradito maris imperio, ipsi domi civium capitibus insultarent; vestra plebs autem reditu in patriam armis parto hostes ejecit, civiumque etiam illos, si qui servire ultro vellent, liberali manu in libertatem vindicavit: orationem itaque Alcibiadis quis ferat, res inter se quam dissimillimas comparantem?

10. Et nihilominus tamen, in tot tantisque cladibus domesticis, de patris improbitate gloriatur, quem jactat tantum potuisse, ut reip. mala unus omnia contraxerit. Atqui non potentiæ hæc sed scelerositatis est nota: ecquis enim unus homo vel infimus atque contemptissimus, qui patriæ malum dare animum induxerit, tam est rerum patriæ capitalium ignarus, ut hostibus loca demonstrare quæ occupari e re ipsorum sit, castella indicare parum præsidiis firmata et insidiis opportuna, ulcera publica denudare, quæ res labent aperire, socios in fide nutantes nominare nesciat? Nam, si unquam, quod tu ais, pater tuus tantum in republica potuit, ut non solum istius potentiæ metu in exsilium ageretur, sed etiam per eandem potentiam malis quam plurimis civitatem exsul exagitaret, non eum profecto illa potentia statim ita deseruit domum revocatum (quanquam per imposturam a vobis deceptis redeundi veniam minus impetravit, quam furatus est), ut, magnæ classi cum imperio præfectus, ista tanta cum classe tamen neque hostes patrio solo proturbare, neque Chios, quos ipse antea ad defectionem impulisset, rursus ad fidem revocare, neque ullum aliud ornamentum vobis conciliare, posset. Quare perspectu facile est, Alcibiadem potentia quidem aliis nil quicquam antecelluisse, flagitiositate autem universæ civitatis longe fuisse principem. Ulcera enim si quæ nosset vestræ reip., ea ipse Lacedæmoniis ultro aperiebat: exercitus postmodum vestros tametsi duceret ingentes, imperatoria cum potestate a vobis præfectus, nunquam tamen eos hoc tam acri telo sauciare potuit: regem Persarum

cum recepisset suam in gratiam pecunias vobis præbiturum, vestrum ærarium plus quam ducentis talentis defraudavit. Denique, majestate vestra tam multis et tam atrocibus læsa criminibus, tametsi et ipse facundia polleret et amicis fideret divitiisque affluerent, tamen ausus non est huc reversus, oculos vestros sustinere, copiam sui vestræ severitati facere, rerumque a se gestarum rationem reddere, sed exsilium ipse sibi indixit, Thraciæque maluit aliusve cujuscunque oppidi incola quam patriæ suæ civis esse. Postremo, quasi cumulus adhuc deesse impietati, cumulum hunc imposuit, ausus una cum Adimanto classem vestram Lysandro prodere. Quare, si quis est vestrum, quem aut commiseratio civium moveat illa fatali in pugna navali cæsorum, aut pudor civium ab hostibus in servitutem raptorum, aut ob diruta mœnia indignatio, aut odium erga Lacedæmonios, aut in Trigintatyrannos iracundia, eum oportet horum omnium malorum culpam in unum Alcibiadem hujus patrem conferre, atque recordari, ab avis vestris illum Alcibiadem qui rei nostri avum genuit, item Megaclem maternum hujus nostri rei avum, ambos bis suffragiis testulariis, quod suffragationis genus ostracismum usurpant, urbe exactos esse, vestrumque adeo ipsorum qui supersunt adhuc natu paulo grandiores, eos in Alcibiadem rei patrem sententiam mortis tulisse: existimantes itaque vos hunc civitati inimicum quasi a majoribus hereditate traditum esse, condemnare decet, et neque commiserationem neque ignoscendi lenitatem neque gratiam ullam majoris facere quam leges publice fixas et jusjurandum quo vos obstricti judices sedetis.

11. Existimare quoque convenit, quanam tandem de causa hujusmodi hominibus parcatur: num propterea, quod in rep. quidem sinisteriore usi sint fortuna, de reliquo autem vitam egerint pudentem atque sobriam? Non multi eorum corporibus prostituendis quæstum fecerunt meretricium? non sorores in matrimonio habuerunt? non liberos aliqui e filiabus ipsi suis quæsiverunt? non sanctissima sacra, profanis oculis negata, vulgo per mimum ostentarunt? non Hermas amputarunt? non deos omnes sacrilegiis violarunt? non totam remp. offenderunt, cum in alios injuriis legumque audacissimis perfractionibus grassando, tum sese mutuo fraudibus et perjuriis et conviciis exagitando, qui a nullo facinore audaciæ pleno se abstinuerunt, nullam atrocem machinationem sibi reliquerunt intentatam? Sed omnia omnino passi sunt et fecerunt. Ea enim sunt mente, ut laudum quidem atque decorum eos pudeat, in dedecoribus autem se jactent atque exsultent. Interdum, judices, absolvitis homines, visos quidem illos vobis sontes, cum spe tamen, fore ut resipiscant aliquando probabilesque atque frugi fiant. Ab hoc autem Alcibiade ecquod tandem bonum resp. speret se percepturam? quem stipitem et fungum esse, ex ipsius oratione, cum pro se

dicet, intelligetis; nequam autem eundem esse, e reliquis ejus moribus vobis jam constitit. Ne hoc quidem est, quod metuatis, ne urbe ejectus malum vobis injungat: ecquod enim vobis malum det homo, qui timidus idemque pauper sit, ad res ingentes suscipiendasque atque gerendas corporeque animoque torpens et invalidus, cum necessariis ipse suis dissidens, odiis aliorum oppressus. Quæ omnia faciunt, ut necesse nil habeatis eum reformidare, sed statuendum potius in eo vobis sit exemplum, in quod intuentes cum alii tum imprimis amici ejus resipiscere discant, qui, cum imperia vestra gaudeant aspernari, tum studia Alcibiadis imitari ardent, reique suæ familiari male cum prospexerint, tamen concionantes vobis auctores fieri consiliorum de administranda atque tuenda re vestra publica non erubescunt.

12. Jam ego hac accusatione quam potui optime defunctus, probe novi, in hac circumstante corona fore qui mirentur, qui occulta hujus Alcibiadis facinora tam sollerter indagare potuerim; ipse autem hic, credite mihi, me ridet, qui ne centesimam quidem partem dedecorum, quorum ipse sibi conscius est, enumeraverim. Vos itaque vobiscum et modo a me dicta et prætermissa reputantes, hoc magis eum condemnate, recordati majestatis eum crimine teneri, cujus criminis eum ego reum feci, magnamque civitatis esse felicitatem si tales a se cives amoliatur. Recita tu [scriba] ipsis [judicibus] leges et jusjurandum et formulam accusationis: istorum enim memores æquam et justam ferent sententiam.

LYSIÆ
CONTRA ALCIBIADEM
OB DESERTAM MILITIAM
ORATIO.

1. Cum vos rogo, judices, ut ex æquo et vero pronuncietis, tum strategos oro, ut, quemadmodum in omni reliqua magistratus sui functione dignos se fide famaque reip. gesserunt, ita etiam in causis ἀστρατείας [h. e. absentiæ a castris] æquos se communesque parti litigantium utrique præbeant, neutiquam vero, alteri parti in quam propendeant magis succurrendo, conentur omni nervorum contentione sententiam æquo juri adversantem vobis extorquere; qui reputare vobiscum debeatis, quam graviter sitis laturi, si Thesmothetæ in censu vestro [cum scrutinium morum vestrorum vobis est tolerandum] in hunc suggestum adscendant, atque inde verba facientes vos orent, ut quos ipsi absolutos velint, eosdem vos quoque absolvere velitis: gravissime utique laturi mihi videmini, si, qui strategi concertationem inter accusatorem reumque commisissent atque tabellas inter judices distribuissent, iidem strategi vobis qui judices estis præscribere sustineant ut absolvatis. Ecqui mos alius sit turpior, quod institutum reip. exitiosius, quam si archon in causis virginum orbarum nubilium, quæ heredes sint patrimoniorum a patribus relictæ, judices roget ut litem secundum ipsius arbitrium dent? aut si polemarchus et undecimviri rerum capitalium id idem faciant in causis ad forum ipsorum pertinentibus? Pari modo æquum est in hac quoque quæ nunc agitur causa, strategos liberum, quod penes vos est, censendi jus vobis relinquere neque interponenda auctoritate sua vobis obstrepere. Sed et vos decet, judices, pari cum æquitate atque sanctimonia hac in causa disceptanda versari, reputantes, æque parum decere vestram personam ut in causis non obitæ militiæ cuiquam peculiariter faveatis, atque strategos decet pro quoquam apud vos intercedere, eos nempe strategos, qui cum tabellis quas vobis tradiderunt una quoque liberum arbitrandi jus tribuerunt.

2. Videte nunc, judices, sitne hoc quod nunc proferam satis idoneum documentum, unde constet, strategos eosdem, qui nunc pro

Alcibiade sic contendunt, tum temporis, quum in castris adhuc ageremus, nondum corruptos neque in favorem ejus conciliatos fuisse. Vera enim ea si essent quæ nunc illi jactant, oportebat eos tum statim ad tribunal suum citatum Pamphilum objurgare, quod Alcibiadis equo adempto remp. equite fraudaret: oportebat item, eosdem strategos Phylarcho, seu præfecto turmæ ejus, cui Alcibiades se ingestum ibat, mulctam pecuniariam irrogare, qui illa e turma Alcibiadem extrusisset eoque pacto suam [strategorum] minuisset auctoritatem, imperiumque debilitasset atque irritum fecisset, quo Alcibiadi locum in equitibus ipsi assignassent: oportebat denique, strategos taxiarcho, seu centurioni illius manipuli in quo Alcibiades adhuc pedes meruisset, mandare ut nomen ejus ex albo illius manipuli expungeret. Jam vero strategi nihil horum omnium neque fecerunt neque fieri curarunt, sed Alcibiadem passi sunt in castris oberrare probris et sannis et convitiis omnium exagitatum et in equestris militiæ genere vilissimo, in sagittariis equestribus, merere; postquam autem, causa ad vestrum tribunal delata, res eo devenit ut nefarii facinoris reo pœnæ sint dandæ, gratificantes Alcibiadi strategi falsum perhibent testimonium, a semet ipsis eum in equestri militia fuisse collocatum. Indigna enimvero, judices, atque nefanda res. Qui strategi, quamvis ab universo populo delecti, penes quem solum jus et arbitrium est honorum deferendorum, tamen ausuri prius non sint imperium in vos militare capessere quam in scrutinio legitime probati fuissent, hos eosdem strategos nunc audere, arbitratu suo, nulla ejus rei auctoritate instructos, patriæ legibus invitis atque adversantibus, Alcibiadi nova munia demandare locumque novum assignare. Qui ferendum sit, judices, penes quos strategos non est quem velint ex ordine equitum, quem in ordinem nemo cooptatur non probatus, in ordinem scutatorum transferre, ubi scrutinio plane nil opus est, eos strategos e scutatis, quorum nullus est probatus, quemquam in ordinem equestrem, ad quem sine censu nemo admittitur, tamen transferre censu ante non habito? Quod si strategi potestate militares ordines pro lubitu perturbandi gauderent, conniveatis forsitan ipsis, quanquam haud scio an nullo jure, si gaudentes hac potestate, multis in equestrem ordinem transferri flagitantibus hanc gratiam denegassent, uni Alcibiadi indulsissent. Jam vero ipsi negant sibi potestatem esse munia militaria distribuendi. Oportet ergo vos recordari, jusjurandum esse a vobis dictum, spondentibus sententiam ex æquo et vero pronuntiandam, non prout hi vobis auctores facti fuerint. Neminem rogantium atque supplicantium pluris convenit a vobis fieri, quam vosmet ipsos et religionem jurisjurandi a vobis dicti.

3. Quod si cui vestrum gravior æquo pœna hæc videbitur et lex nimis rigida, meminisse oportet, vos nunc sedere, ea de causa, cujus

ergo disceptandæ convenistis, non leges conscriptum, sed sententiam latum ex præscripto legum dudum publice fixarum, neque quo commiseratione criminosos amplectamini, sed multo magis iræ vestræ severitatem in eos expediatis universæque reip. labanti succurratis, probe qui teneatis pœnas criminum jam commissorum a paucis quibusdam repetendo vos hoc esse consecuturos ut, qui imposterum pro patria dimicaturi capitaque sua belli periculis objecturi sint, hi disciplinæ militaris sint tenaciores. Suæ solummodo saluti si prospexit Alcibiades hic, immemor eorum quæ patriæ deberet ipse et quæ sors patriam maneret pensi non faciens, oportet contra, judices, vos saluberrimis consiliis conferendis ita patriæ prospicere ut nullam rursus habeatis Alcibiadis rationem, præsertim, qui et jurejurando receperitis pro optima vestra fide atque facultate verissime atque religiosissime pronuntiaturos et nunc de Alcibiade laturi sitis sententiam, qui si vos circumvenerit, hinc discedet totam civitatem lato cachinno explodens: non enim profecto gratiam vobis referet, ubi tabellis, clam in cistam inferendis bene de eo promerueritis, nesciet enim cui vestrum salutem suam debeat; præterea ne didicit quidem Alcibiades acceptorum beneficiorum memor esse, amicis enim palam bene de se meritis bonam gratiam pessima rependit. Planum vobis factum est, Alcibiadem, qui a rep. jussus esset in peditibus gravis armaturæ militare, statione illa deserta, legibus repugnantibus, nullo probatum scrutinio, in equestrem militiam se ingessisse, et quarum rerum potestatem leges sibi solis reservant, vetantes præter se cuiquam quicquam illis in rebus licere, sive strategus sit [magister militiæ pedestris] sive hipparchus [magister equestris] sive alius quicunque, earum rerum arbitrium atque licentiam ipsum sibi qui privatus esset arrogasse. Jam ego equidem hæc præfatus, cum quo Archestratidæ operam navarem homini amico, tum quo Alcibiadem ulciscerer hominem inimicum: vos rogo, ut æqua et sancta pronuntietis, eadem induti mente, quæ tum vobis erat in procinctu stantibus cum hoste congredi paratis.

LYSIÆ

CORAM SENATU

PRO MANTITHEO EXAMEN SUBEUNTE

APOLOGIA.

---

1. Nisi nossem, senatores, omni modo accusatores contendere mihi malum dare, magnam ipsis gratiam hujus accusationis haberem; existimans, injusta oneratis calumnia summorum bonorum auctores atque conciliatores esse eos, si qui ad necessitatem reddendæ rationis de omni superiori acta vita ipsos adigant. Ego enim ita securus sum fidoque ipse memet, ut sperem, etiamsi quis animo a me sit alieniore, eum tamen esse hanc malevolentiam secundiore opinione mutaturum, posteaquam ex oratione mea de moribus meis omnique vitæ ante actæ ratione certior fuerit factus, animoque suo hanc de me inducturum esse opinionem ut multo me virum fortissimum atque honestissimum imposterum habeat. Videte, senatores, num sponsio placeat quam vobis offero: solum hoc si docuero, me formæ reip. quæ nunc est benevelle, et in necessitatem devenisse eadem vobiscum pericula subeundi, existimate me nil admodum magnum elaborasse; sin autem planum fecero, me cæteris quoque in rebus modestum civilemque me gessisse, multoque id magis quam vulgaris fert opinio inimicorumque vult criminatio, tum rogo vos ut judicio vestro approbatum me ad gerendum honorem admittatis, hos autem accusatores mei homines turpes infamesque habeatis. Primum autem hoc docebo, me tenente Trigintatyrannorum tyrannide neque equo publico meruisse neque in urbe fuisse, eoque nullam in partem rerum ab iis tum gestarum venisse.

2. Pater enim nos [fratres, liberos suos] jam ante cladem in Hellesponto acceptam in Pontum miserat ad Satyrum, notum illum Ponti regulum, ut ibi moraremur. Quo factum ut, neque cum mœnia diruerentur neque cum nova reip. forma indueretur gubernationis, interessemus; sed rediimus quinto non citius die ante quam exsules e Phyla in Piræeum redeuntes appellerent. Jam credibile non est nos, in articulum temporis tam turbidum atque tam suspiciosum compulsos, cupiditate fuisse tentatos periculis nos immiscendi ad nos nil per-

tinentibus: æque parum rursus constat illis tyrannis hanc fuisse mentem ut ipsos, adeo peregre agentes nulloque scelere sibi cognitos, ad participationem sui dominatus admitterent; contra vero multo magis hos probris atque contumeliis dehonestabant, quam eos honoribus cumularent quos in evertenda rep. socios atque adjutores habuissent. Sed aiunt nomen meum in tabula scriptum esse inter eos qui tum equestri militia functi fuere. Atqui stulta hæc est colligendi ratio: nam in illa tabula multorum nomina scripta non prostant, qui ipsi profitentur se tum in equitum numero fuisse; rursus ibi scripta leguntur aliorum nomina, qui, si necesse sit, vel jurejurando sint confirmaturi illa militia se nunquam functos esse. Est igitur hoc quidem argumentum ficulneum. Ego vero firmissimum hoc oppono bonæ meæ causæ documentum, in reliquis palmarium: ex quo in patriam redistis, præfectis turmarum equestrium decreto mandastis, ut in tabulis perscripta vobis exhiberent nomina functorum equestri militia, quo manupretia ab ipsis redigeretis. Jam nemo facile erit, qui doceat meum nomen aut a magistris turmarum exhibitum vobis aut rursus a vobis traditum syndicis fuisse, h. e. advocatis fisci, aut me manupretium in antecessum tulisse. Obvium tamen est unicuique facileque cognitu, nisi præfecti turmarum nomina ederent habentium manupretia, luendum ipsis de suo fuisse pro illis, si quos celarent. Quapropter vos indici a præfectis turmarum exhibito multo majorem habebitis fidem, quo ab indice nomen meum abest, quam testimonio tabulæ, cui nomen meum per nefas inscriptum legitur: nam ex illa tabula facile erat volenti cuique expungi, quo factum est id quod dicere memini, ut multorum ibi nomina minus legantur, quos constat in equis meruisse sub Trigintatyrannis, et rursus pariter erat facile aliorum nomina falso subjici; fidem itaque ille laterculus haud meretur; in illo autem phylarchorum indice necesse erat, quotquot tum temporis in ista reipublicæ perturbatione equestri militia functi fuissent, eorum nomina omnium summa fide diligentiaque perscripta esse, ut neminis nomen desideraretur. Præterea, senatores, si revera ego in illa meruissem militia, non profecto id velut grande quoddam scelus irem infitiatum: sed planum facerem civium omnium nullum a me malo affectum esse, eoque facto, sic demum rogarem vos, ut in scrutinio probatum me in senatum allegeretis, de repulsa ferenda nil veritus. Video enim vobismet ipsis quoque mentem hanc mecum eandem esse, ut illa militia functos nihilo per eam factos deteriores neque honoribus petendis redditos inhabiles existimetis: multos eorum qui tum equites fuere nunc video, alios in senatu, alios magistros pedestris militiæ, alios equestris creatos. Quapropter vos arbitrari velim me nullam aliam ob causam uti hoc generis defensionis quam ut ostendam ipsos ausos esse mendacio

me perspicuo atque manifesto percellere. Adscende tu mihi, atque testare.

TESTIMONIUM.

3. De hac quidem itaque incusatione, senatores, non video quid attineat me amplius verba facere: sed superest adhuc aliud quid hac oratione mihi necessario exsequendum. Aliis in causis sufficit, defensorem criminationes accusatoris a se depulisse atque refutasse: verum hujusmodi in causis atque hæc mea est, ubi nimirum quæritur sintne homini in judicium adducto mores ii ob quos dignus honoribus habeatur, reddenda reo est totius ab ipso actæ vitæ ratio. Id quod ego nunc facturus majorem vos in modum rogo, senatores, atque obtestor, ut æqui atque benevoli me audire velitis, dicturum pro me quam potero brevissimis. In fortunarum ista mediocritate quæ a patre mihi relictæ fuerant (facultates enim nostræ per calamitates, alias patris privatas, alias civitatis communes, admodum conciderant), duas tamen sorores elocavi, minis tricenis in dotem unicuique additis; cum fratre vero hereditatem ita crevi, ut ipse fateretur se partem patrimonii longe amplissimam abstulisse; reliquos erga cives autem ita me gessi facilem atque sedatum, ut nulla mihi lis unquam cum quoquam intercesserit. Sic in privatis: in rep. autem gravissimum hoc atque luculentissimum arbitror esse meæ continentiæ documentum, quod quicunque adolescentium aut alea aut compotationibus aut aliis ejusmodi frivolis atque pudendis intemperantis lasciviæ oblectamentis otium fallerent, hos omnes, inquirere si velitis, deprehensuri sitis a me animis abalienatos, simultates mecum exercere, rumusculosque de me maligniores a se per mendacium confictos disseminare. Quibus animus, id quod in confesso est, erga me sit longe alius futurus, si studia cum ipsis eadem fuissem sectatus. Porro, senatores, nemo est unus omnium, qui demonstrare possit me unquam aut ob privatam aliquam turpem causam in jus vocatum aut majestatis perduellionisve postulatum eoque nomine apud magistratus delatum: quanquam alios haud raro videtis ejusmodi certaminibus implicari.

4. In expeditionibus denique militaribus et periculis pro patria obeundis videte, senatores, qualem me patriæ præstiterim. Primum instante illa expeditione, qua succurrendum cita ope Haliarto erat, vi pactorum de societate belli quam cum Bœotis inieratis, videns ego reliquos omnes equestrem militiam pedestri præferentes, quod opinarentur, equitibus necessario securitatem, peditibus autem discrimen esse propositum, tametsi id facerent non scrutinio probati contra legis auctoritatem, ad Orthobulum accessi equestris militiæ magistrum, a quo illam in militiam allectus fueram, rogans, ut ex albo suorum equitum meum nomen expungeret, dedecori mihi fu-

turum ratus, me militia fungi ea, quæ ut mihi esset tuta, reliquis periculosa fungentibus, comparassem. Adscende mihi, Orthobule.

TESTIMONIUM.

Congressis itaque antequam in castra exiremus in concionem municipalibus, cum me haudquaquam fugeret esse in ipsis haud paucos honestos quidem illos cives militesque strenuos et acres, verum viatico carentes necessario ad cibaria, ad arma, ad reliquum expeditionis instrumentum comparandum, auctor ego fiebam locupletioribus ut egentibus de victu prospicerent. Neque verbis modo, sed exemplo quoque auctor iis fiebam, duobus municipalium de meo tricenas viritim drachmas largiens, non quo patrimonii jactarem amplitudinem, quod est modicum, sed quo exemplum aliis præirem. Adscendite mihi testes.

TESTES.

Postmodum, senatores, incidente illa expeditione, quæ nobis ad Corinthum suscipienda fuit, multis militiam defugientibus, quod liquidum esset omnibus rem ad arduum pugnæ decretoriæ discrimen esse deventuram, precibus ego gratiaque et contentione mea ab imperatoribus impetravi, ut prima in acie pugnandi locus mihi assignaretur; et quanquam equestris turma, in qua ego merebam, cladem accepisset tantam quantam alia nulla, commilitonumque plerique occubuissent, ego tamen excessi pugna post ipsum adeo illum militem gloriosum Thrasybulum Stiriensem, quem nil puduisset ignaviam atque pavorem nemini non exprobrare, ita omnes præ se contemnebat. Non multo post, cum loca quædam circa Corinthum munita, a nobis occupata, præsidiis nostris teneremus, videns Agesilaus illa sibi loca inaccessa et impervia esse, convertebat arma in Bœotiam, irrumpens in agrum vacuum inermemque ideo relictum, quod nemo sperasset hostem illuc esse penetraturum: decernebant itaque principes, delectos aliquot illuc mittere manipulos qui hosti resisterent amicisque laborantibus succurrerent; ibi trepidantibus omnibus neque immerito — arduum enim et anceps erat, qui vix et ægre periculo evasissemus, eosdem nos iterum novo discrimini objici —, egi ego cum tribuno cohortis meæ, ut cohortem nostram etiam extra sortem illuc mitteret. Quod si ergo vestrum sunt, qui stomachentur in eos, si qui, cum discrimina publica defugiant, honores tamen ambiant quæstuosos, remp. carpere aventes et ex ejus administratione ditescere, nil est quod ab hoc genere collegarum vestrorum mihi timeam: is enim ego non sum, qui cum illis ignavis et cupidis in eundem cogi debeam ordinem, quippe qui non imperata modo promptus et alacer exsecutus sim, sed etiam labores ultro

depoposcerim. Id quod eo non feci, quo rem levem atque contemnendam ducerem cum Lacedæmoniis dimicare, sed quo, si forte aliquando iniquiorem aliquam in causam in foro agitandam per nefas conjicerer, jus ego meum hoc facilius impetrarem, quod vos omnes his meæ virtutis exemplis moti fortem me strenuumque judicaretis. Adscendite vos mihi horum futuri testes.

TESTES.

5. Quæcunque postmodum susceptæ sunt expeditiones bellicæ, ab earum nulla abfui: copiæ si quæ usquam locorum emitterentur ad præsidendum in castello quopiam, etiam illis interfui; quoquo exiretis, inter primos in viam me dedi, et in redeuntium postremis fui. Atqui gloriæ cupidos et temperantiæ deditos ex hujusmodi documentis virtutis spectare oportet, non ideo odisse, si quis lingua sit paulo promptior et subferoculus: mores enim hujusmodi subagrestes, quorum laboro invidia mihi concitata, nemini neque publice neque privatim nocent; contra pro patria dimicare prompti, quam plurimum vobis omnibus prosunt. Decet ergo, senatores, non e forma quemque habituque corporis in oculos incurrente neque amare neque odisse, sed e facinoribus animum spectare: multi enim, quibus vox est submissa, oratio verecunda et concisa, incessus sedatus et ad pudorem compositus, magna vobis sæpe numero mala concitarunt; alii, contemptores ejusmodi ineptiarum, multis magnisque vos ornamentis cumularunt.

6. Animadverti quoque, nonnullos hoc moleste ferre, quod ego adhuc adolescentulus cum populo tamen agere sustinuerim. Sed accipite meas excusationes. Primum pro fortunis meis omnibus causam in concione dicere coactus sum: deinde, quanquam ipse memet sentio ad orationis aliquam insolentiam a gloriæ cupiditate ultra quam par esset evectum, in loco tam lubrico me labi mirandum non erat, qui, cum majorum meorum erga remp. voluntatem recordarer, nullos non honores adeptorum, nullis non muniis functorum, tum vos arbitrari viderem — oportet enim id fateri, quod res est — solos mei similes aliquo in loco atque censu esse habendos: videns itaque vos ea mente præditos, ecqui non efferrer pro rep. et agendi et loquendi fiducia? Ecquid tandem quoque vos hujusmodi hominum, cujusmodi ego vobis videor esse, pœniteat? Acquiescens itaque vestro de me judicio, reliquorum fremitus tanti non faciam; qui ecquid tandem mihi nocebunt? Non ipsi sunt hujus causæ cognitores, sed vos estis.

LYSIÆ

DE PUBLICIS PECUNIIS

ORATIO.

1. Fortasse vestrum quidam, judices, propterea quod me hominem frugi esse volunt, aliis etiam facundia præstare autumant: tantum autem abest, ut de rebus ad me nil pertinentibus ornate probabiliterque verba facere sciam, ut potius verear, ne ipsis de rebus ad me ita pertinentibus ut facere nequeam quominus dicendo eas agitem, ne ea quidem quæ e re sint disputare valeam. Interim tamen, ubi omnia vobis inter meque liberosque Eratonis gesta ordine exposuero, spero me hoc consecuturum, ut ipsi per vos facile inveniatis quæ decernenda vobis sint hac in *διαδικασίᾳ*, seu actione in fiscum, qua partem bonorum Eratonis publicatorum mihi vindicatum eo. Accipite ergo rem a principio.

2. Eraton Erasiphontis pater ab avo meo duo talenta mutuo sumpserat. Eratonem hoc argentum numeratum tulisse, et tantundem sibi credi rogasse, testabuntur vobis hi, coram quibus illud æs contractum fuit: quam vero in rem Eraton id impenderit et quantos inde fructus perceperit, de eo vos isti melius atque ego docebunt, qui certius norunt, in re ejus familiari tractanda versati. Cita mihi testes.

TESTES.

Donec igitur Eraton quidem in vivis supererat, et usuras ab eo aufferebam et reliqua omnia quæ ex pacto tabularum ille mihi debebat præstanda: ex quo autem vivis excessit, liberi ejus relicti, Erasiphon, Eraton junior, et Erasistratus, parti nulli juris mei satisfecerunt. Jam inter belli fremitus interquiescente litium disceptatione, negatum mihi fuit debita ab iis redigere: quam primum autem, restituta pace, causæ privatæ rursus in foro cœperunt agitari, litem instituebat pater super universo debito adversus Erasistratum, qui fratrum solus in urbe tum aderat; quem sub archonte Xenæneto condemnavit. Etiam horum dabo testes. Cita testes.

TESTES.

3. Eratonis itaque bona de jure nostra fuisse, nullus dubito quin vos ex his facile intelligatis: eadem autem illa bona universa fisco addicta esse, facile perspectu id e tabulis τῆς ἀπογραφῆς est, seu recensus bonorum publicatorum. Tres enim quatuorve diversi homines totidem diversos indices universorum Eratonis bonorum a se confectos in ærario deposuerunt, rebus omnibus inter se consentientes. Atqui nemini non hoc est obvium, illos recensores in recensibus istis suis conscribendis non facile quicquam fuisse prætermissuros, si quid adhuc aliud in bonis Eratonis fuisset præter hæc bona de quibus controversia nunc agitur: recensentes ergo bona Eratonis omnia, etiam hæc quæ ego jamdudum possideo illos in indices redegerunt. Sed et hoc perspicuum arbitror esse, si vos hæc bona quæ mea sunt ad fiscum trahatis, negatum nobis esse aliunde id exigere, quod nobis a filiis Eratonis debetur: audite adhuc super isto quoque capite, cum vitio nobis datur, iisdem de bonis nos et vobiscum et cum privatis quibusdam hominibus in jure agere. Res sic se habet.

4. Donec Erasiphontis necessarii nobiscum super his bonis contendebant, universa illa bona mea esse aiebam, hoc titulo, quod Erasistratus cum patre meo de toto nomine contracto litigans causa cecidisset: et agrum Sphettium jam tertium in annum mercede pacta elocavi; de rure autem Cicynnensi et de domo in urbe, quæ quondam Eratonis fuerunt, cum possidentibus jure experiebar. Verum has actiones anno superiori disciderunt homines quidam, qui se mercatores ferebant; et judices rei mercatoriæ atque nauticæ, qui nuper mense Gamelione sortiti sunt, actiones has nondum disceptarunt. Posteaquam vero vobis visum fuit Erasiphontis bona fisco addicere, remisi quidem fisco duas partes bonorum ab Eratone relictorum, tertiam vero partem quæ est Erasistrati postulo mihi per sententiam vestram adjudicari, et id jure quidem, quoniam jamdudum ante illa bona nostra esse pronunciavistis. Tertiam ergo solummodo partem de bonis eorum mihi reservavi, decisionem observans non diligentissimam: multo enim plus quam duas partes fisco reliqui, id quod facile cognitu est ex æstimatione bonorum illorum. Universa enim bona æstimata sunt talenti et pluris; quæ autem ego mihi vindico, eorum alterum quidem quinque minis, alterum vero decem æstimavi in libello meo accusatorio: quæ si pluris vænibunt, sectioni subjecta, excessum ærario permittam.

5. Quo itaque certi sitis vera hæc esse quæ dico, testes ad vos producam, primum quidem eos qui rus Sphettium a me mercede conduxerunt, deinde vicinos ruris Cicynnensis qui norunt nos jam tertium in annum hoc de rure in jure contendisse, denique etiam

magistratus anni superioris ad quos hæ actiones delatæ tum fuerunt, postremo arbitros qui nunc sunt rei maritimæ. Præterea recitabuntur vobis etiam indices horum bonorum proscriptorum: nam ex iis potissimum intelligetis, nos non nuper demum cœpisse bona illa nobis vindicare, neque nunc cum ærario contendere super summa majore, quam est ea super qua cum hominibus privatis antea contendebamus. Testes cita.

TESTES.

6. Tenetis jam, judices, non contra jus et fas me postulare, ut litem hanc, quæ mihi cum rep. super bonis Eratonis proscriptis est, secundum me detis, sed magnam quoque partem eorum, quæ mihi jure optimo debebantur, ærario concessisse, ideoque jure poscere, ut pauxillum hoc quod ipse mihi reliqui reddatur. Superest, ut id agam, quod mearum duco partium esse, ut et vos supplex rogem, judices, et hos una advocatos fisci coram vobis.

LYSIÆ

DE PUBLICATIONE BONORUM

FRATRIS NICIÆ

EPILOGUS.

1. Quapropter vobiscum reputate, judices, et qui nos ipsi simus cives et quorum civium necessarii, qui nunc vos rogamus injuriam passi ut, commiseratione sortis nostræ moti, jus nostrum nos adipisci patiamini: non enim de fortunis solummodo, sed ipso adeo de statu civili periclitamur, hoc est, num par sit libertatem qua resp. hæc gubernatur nos quoque participare. Primum quidem Niciæ recordamini, qui patris nostri frater fuit. Quæcunque is auspiciis suis, auctore et arbitro semet, pro plebe vestra gessit, ea sunt ejusmodi, ut quamcunque in partem spectentur, dilucescat, multa ab eo commoda atque ornamenta ad remp. profecta esse, ad hostes autem clades et numero plurimas et re gravissimas: quæ autem invitus et coactus gessit, molestiarum inde enatarum partem ipse non minimam exantlavit, et culpa calamitatum publicarum vacat in eos merito conferenda qui perniciosorum istorum consiliorum auctores vobis fuere; voluntatem ille quidem erga vos suam in secundis vestris temporibus et in hostium adversis testatam fecit, quorum multa cepit oppida, præclaraque fixit tropæa, tot numero ut longum sit enumerare.

2. Frater illius Eucrates, pater noster, suæ erga plebem vestram caritatis documenta edidit non minus luculenta: victa enim classe vestra in illo fatali prælio navali [ad Ægospotamos], imperator a vobis creatus, a sceleratis libertati plebis vestræ insidiantibus ad communionem principatus cum optimatibus invitatus, obsecundare noluit, quamquam eo deprehensus tempore quo plerique animum cum fortuna mutant servientes præsentibus, aurisque cedunt reflantibus; plebe rebus adversis oppressa, cum ab administratione reip. non excluderetur neque privatæ ipsi simultates cum factione dominatum affectante intercederent, sed liceret ei in numero Trigintavirorum esse neminique eorum potentia cedere, maluit tamen in contentione salutis vestræ tuendæ mortem oppetere, quam oculis spectare fuis

mœnium vestrorum ruinas vestris manibus discerptorum, classem vestram in potestatem hostium deditione venientem, plebem vestram jugum servitutis subeuntem.

3. Pari modo haud multo post Niceratus Niciæ filius, frater meus patruelis, ob benevolentiam qua plebem vestram amplectebatur, comprehensus a Trigintaviris mori coactus est, non quo tyrannis aut ob genus aut ob facultates aut ob ætatem indignus communione principatus haberetur; sed quod ea essent et ipsius et majorum de plebe vestra merita, ut, ne si vellet quidem, formam gubernationis mutatam appetere posset. Norant enim tyranni universum Niciæ genus ob partes, quas illud genus in rep. secutum esset, semper in honore atque reverentia fuisse habitum, sæpe pro salute vestra pericula adisse, grandes collationes pecuniarias de suo ad necessitates reip. contulisse, munera edidisse splendidissima, nullas unquam a rep. sibi demandatas partes defugisse sed omnes lubenti animo exsecutos esse. Jam quinam alii nobis sint miseriores futuri, si sub tyrannis quidem benevolentiæ erga plebem pœnas morte luerimus, restituta vero plebi libertate bonis privemur quasi pœnas malevolentiæ nescio cujus debentes.

4. Diognetus ipse quoque, a calumniatoribus atque delatoribus in suspicionem odiumque tyrannorum adductus, mortis quidem periculum fuga elusit, nulla tamen animi vobis infesti indicia illo in exsilio edidit; non cum sociis exsilii, qui haud pauci erant, vestram urbem oppugnatum venit, non Deceleam occupavit: denique nullum unquam ad vos incommodum ab eo profectum est neque exsilium tolerante neque domum reverso, sed tanta fuit ejus virtus, ut sceleratos a quibus vexati essetis ardentiori etiam odio prosequeretur, quam caritate amplecteretur eos quibus beneficium reditus in patriam deberet. Obtinentibus tyrannis, honores gessit nullos; ut primum autem Lacedæmonii in Academiam venerunt, Pausania duce, assumptis Nicerati filio nobisque qui tum adhuc pueri eramus, accessit ad Pausaniam, cujus in genua cum Nicerati filium imposuisset, nobis circum adstare jussis, miserabili ad Pausaniam reliquamque coronam oratione exposuit quantas tolerassemus injurias et quantam sortis duritiem, rogavitque Pausaniam, ut amicitiæ memor hospitiique quod ipsi cum necessariis nostris intercessisset, nobis succurrere atque oppressores ulcisci dignaretur. Qua orationis gravitate atque miserabilitate injecta fuit Pausaniæ menti quædam erga plebem nostram propensio, ut mala genti nostræ a tyrannis oblata circumstantibus amicis pro exemplo proponeret, unde discerent quam flagitiosi et conscelerati homines hi tyranni essent. Clare enim jam perspicueque constabat Peloponnesiis qui tum una cum Pausania nostram ad urbem venerant, non pessimos civium peremptos fuisse, sed eos quos et generis ergo et divitiarum

et reliquarum virtutum in honore esse oportuisset. Tanta penes Pausaniam erat nostri commiseratio, tam alte in ejus animum persuasio de indignitate atque atrocitate injuriarum nobis oblatarum descenderat, tantus invaserat contemptus atque aversatio tyrannorum, ut cum ab his missa nomine hospitalis cœnæ munera repudiaret tum a nobis missa admitteret. Non ergo indignum atque nefas sit, hostibus quidem iis, qui ad tuendam atque constabiliendam optimatum dominationem venissent, pueritiam nostram commiserationem movisse: nunc autem, hoc ætatis agentes nos, post tot edita tantaque nostræ erga remp. voluntatis documenta, a vobis, o judices, qui estis æqui juris civilis vindices atque statores, bonis omnibus spoliari; nos, quorum majores pro libertate vestræ plebis mortem oppetierint?

5. Certus sum, judices, Poliuchum summi facturum, si sibi contingat, hoc certamen ex animi sui sententia decertare; ideo solummodo, quo præclaram habeat opportunitatem et ad cives et ad peregrinos suam jactandi potentiam, qua tantum valuisset, ut vos eosdem permoveret ad contraria vobismet ipsis sciscendum iis de rebus, de quibus ipsi vosmet sanctissima jurisjurandi religione obligassetis. Permanabit enim tum rumor ad omnes, Poliuchum esse eum qui, cum nuper auctoritate sua perfecisset ut decreto publico mulcta mille drachmarum ei sanciretur si quis fundum nostrum proscribere auderet, nunc legem pertulisset eodem de fundo nostro publicando: quo factum esset, ut Athenienses accusari possent, contra formulam juris, utroque in decreto, eodem auctore, contraria scivisse. [Leges enim vetare, duas leges in legibus haberi sibimet repugnantes.] Non ergo turpe sit, cum Lacedæmoniis quidem inita pacta vos sancte servare, decreta autem inter vosmet et vestri causa facta tam prompte rescindere? et pacta quidem vestra cum Lacedæmoniis rata, vobismet vero cum ipsis antiquata habere? et rursus vosmet ipsi tam suspicitis, ut reliquis Græcis graviter succenseatis, si quis eorum pluris Lacedæmonios quam vos faciat, erga cives autem vestros committetis ut fides vestra videatur esse intutior atque fluxior quam erga hostes?

6. Sed hoc inprimis stomacho dignum est, sedentibus ad clavum reip. has esse mentes, hæc studia, ut oratores non ea suadeant quæ reip. quam maxime conducant, sed auctores vobis fiant ea sciscendi unde ipsi quæstum faciant uberrimum. Vestræ quidem plebi si expediret, aliis quieta bonorum suorum possessione perfruentibus, alios proscribi, merito vos orationem nostram contemneretis: jam vero vestrum nemo unus est omnium, quin in hoc consentiat, concordia majus aliud bonum reip. nullum esse, discordiam autem et bellum civile matrem malorum omnium, nullamque rem aliam discidia civium atque contentiones inter se gignere crebriores atque

funestiores, quam, si sint alii qui bona aliena concupiscant, alii qui bonis suis per vim et nefas evertantur. Ipsi vos ita sensistis atque statuistis, rectam secuti rationem, cum a reditu in patriam adhuc essetis recentes: erant enim tum vobis adhuc in recente memoria clades vestræ superiores; ut igitur in concordiam coalesceret atque ad pacem rediret civitas, magis tum in votis habebatis eaque de re deos supplicationibus magis fatigabatis, quam ut civitas in ultionem superiorum injuriarum conversa rursus in discordiam atque tumultus et arma exardesceret, per quæ oratores ditescerent. Atqui multo et honestior et ad veniam propior fuisset ultio, si tum statim a reditu vestro in patriam, recente adhuc ira, in vestrarum injuriarum auctores sævissetis: nunc autem turpe est ultraque veniam, vos ad ultionem injuriarum tanta temporis interjecti diuturnitate dudum obliteratarum incitari ab iis instigatoribus, qui cum ipsi in urbe mansissent nullamque partem gustassent earum molestiarum quas in exsilio vestro vos tolerastis, tamen nunc sperant se fidem vobis suæ erga vos benevolentiæ facturos hac re, si vos defraudent, opprimant, excrucient, non si civiles se bonosque gerant, nostraque secunda quæ nunc sunt tempora si carpant, iidem, qui adversa non participarunt.

7. Publicata ab his bona si salva reip. manere, judices, eique reservari et fructus eorum ad remp. redire videremus, ignosceremus tamen et ferremus: verum enim vero nostis, bonorum publicatorum alia prorsus hastæ non subjici sed ab his furto subduci, alia sectioni quidem subjici verumtamen, magni cum sint valoris, teruncio vendi pauxillumque illud æris e venditione redeuntis interverti. Quod si ergo morem mihi geratis bonaque nostra sinatis penes nos in potestate nostra manere, fructus inde redibit ad vos haud minor, quam ad nos ipsos qui erimus domini. Diomnestus egoque et frater, tres cum simus, unam communem gerentes rem familiarem, ex hac una re familiari sumptus adhuc sumpsimus tribus trierarchatibus necessarios; nostrum enim quisque trierarchi munere adhuc functus est: verum illa substantia nobis adempta, nemo nostrum erit qui postea trierarchatu fungatur. Pari modo reip. pecuniarum egenti ex eadem quamvis modica substantia et contulimus adhuc, et conferemus porro si salva nobis maneat. Parcite ergo nobis, quæso, ut iis qui et eo simus erga remp. animo, et iis utamur majoribus. Nam profecto, judices, nil video, quominus omnium mortalium simus infelicissimi atque miserrimi, si nos, super orbitatem nobis adhuc pueris a scelere Trigintatyrannorum oblatam, nunc etiam, rep. in libertatem asserta pristinam, fortunis privemur, nos, quibus fortunæ indulgentia hoc tribuisset, ut infantes adhuc per congressum nostrum cum Pausania patriæ salutem redderemus. Tantæ cum sint laudes nostræ, tanta de patria merita, ecquosnam ad judices malimus re-

ceptum habere, quam ad eos, quorum consilia et instituta omnia consentiunt ad eam tuendam reip. gerendæ formam, pro qua necessarii nostri mortem oppetierunt? Quorum omnium meritorum unam hanc vos nunc rogamus gratiam, ut ne sinatis nos ad incitas delabi neque necessariis vitæ præsidiis carere, neve majorum beatam fortunam in nobis exstinguatis, sed potius in nobis ornandis atque demerendis exemplum proponatis aliis, unde discant, quam fortes et navos atque fidos vos habituri sint suis in periculis protectores, si qui bene de patria voluerint mereri.

8. Nulli mihi sunt deprecatores, quos in hunc suggestum adscendere jubeam, judices: necessariorum enim alii, cum viros se strenuos et acres in armis gessissent præclarisque facinoribus virtutis bellicæ remp. amplificassent, fortiter dimicantes occubuerunt, alii pro tuenda plebis vestræ libertate atque majestate contendentes a Trigintatyrannis cicutam bibere coacti sunt; quo factum, ut hanc nobis solitudinem hinc fortia majorum facta illinc publicæ patriæ calamitates contraherent. Quæ vos recordantes decet, judices, strenue nobis prompteque opitulari, existimantes, in hac reip. libertate recte a vobis meritoque ornari, si qui sub tyrannorum dominatione calamitates publicas vobiscum pro sua quisque virili parte tolerarint. Sed et hos rogo, fisci advocatos, dignumque ipsis censeo, ut nobis sint propitii, recordantes illius temporis, cum vos patria ejecti bonisque denudati viros fortissimos haberetis eos si qui pro vobis occumberent, diisque vota faceretis ut liceret aliquando vobis eorum soboli meritas grates persolvere. Has nunc grates vos reposcimus, ex illis nati et cum illis necessitudine sanguinis conjuncti qui capita sua pro vestra libertate tuenda periculis extremis objecerunt, rogamusque vos, ut nolitis per nefas nos pessumdare, sed præsto nobis potius esse velitis qui vestras calamitates participaverimus. Ego equidem rogo vos obtestorque et obsecro supplex, ut rogata mihi indulgeatis: non enim de re minuta periclitamur, sed de fortunis nostris omnibus.

LYSIÆ

DE BONIS ARISTOPHANIS

AD ÆRARIUM

ORATIO.

1. Magnam mihi sollicitudinem creat metumque hoc certamen, judices, reputanti mecum, si causam parum apte periteque dixisse videar, non me solum, sed patrem quoque in opinionem improbitatis atque fraudis datæ esse incursurum, bonaque me omnia amissurum. Quanquam igitur ad ejusmodi causas in foro agendum a natura factus sum parum idoneus, necesse tamen est mihique patrique me succurrere prout potero. Inimicorum quidem et copias adversus me comparatas instructasque videtis et ardorem, ut nil opus sit hac de re pluribus dicere: ego autem quam sim a dicendi facultate et ab usu fori desertus, omnes norunt qui me norunt. Quocirca rem vos æquam et indultu facilem rogabo, ut animis non minus æquis sedatisque nos quoque reos audiatis, atque accusatores audistis. Defensorem enim etiamsi vos æqui audiatis, necesse tamen est iniquiore loco esse quam accusatorem: adversarii enim insidiis e longinquo comparatis accusationem exorsi sunt, periculi nihil sibi creantem; nobis autem certamen est decertandum, formidinis plenum invidiæque e calumniis contrahendæ. Decet ergo vos erga defensores animo etiam propensiore esse, in tanta et accusatorum et testium immanitate discriminumque utrinque exsistentium disparitate. Neminem enim esse vestrum omnium arbitror quem fugiat, fuisse hac in civitate permultos, quos nil puderet insontes tanta criminum aperte ementitorum atrocitate onerare, ut statim ipso in judicio agniti atque mendaciorum perspicuorum convicti cum odio bonorum omnium discederent: testes quoque falsi sæpe numero, cum innocentes per nefas pessumdedissent, deprehensi atque condemnati sunt, sed sero, jam prostratis atque haustis iis quos testimonii sui venalis mendacio perculissent, cum facta res infecta fieri jam non amplius posset. Quotidie igitur evenientibus hujusmodi fraudibus atque erroribus, decet vos, judices, oratione accusatorum citius non fidere, quam nos quoque causam pro nobis dicentes audieritis. Audio enim, id quod vestrum quoque plerosque nosse arbitror, contractam e calumniis invidiam rem esse rerum omnium acerbissimam atque dirissimam. Sed hoc inprimis

grave accidit atque calamitosum, multis tecum simul eandem ob criminationem in jus vocatis, te primo loco induci. Nam plerumque qui postremi judicantur, hi absolvuntur: auditis enim eos, iracundia jam sedata atque satiata, auribus doceri volentibus.

2. Recordamini ergo Nicophemum Aristophanemque indicta causa morte mulctatos esse, priusquam judices sortirentur eorum causam cognituri, ut iis de criminibus interrogatis advocatus nemo præsto esse posset: ut enim comprehensi sunt, prorsus e conspectu hominum disparuere. Ne ossa quidem exstinctorum fuit qui necessariis ad sepulturam redderet, sed peste jacent oppressi tam dira ut, ne cætera commemorem, ipso adeo hoc tam vulgari atque tam necessario honore carendum ipsis esset. Verum, age, transmittam istæc equidem nunc silentio, quibus deplorandis, re facta, nihil profecero: at, quamvis horum fuerit sors miserabilis, multo tamen miserabilior mihi videtur esse sors liberorum Aristophanis. Non enim solummodo, cum neminem omnium neque publice neque privatim læsissent, contra juris vestri statuta patrimonio sunt denudati; verum etiam, quæ sola adhuc reliqua manere potuerat spes ut ab avo [Nicophemo] saltim alerentur si fatale ipsis fuisset patre orbari, vel ea ipsa quoque spes in exitu avi tam funesto atque lamentabili exspiravit. Nos ipsos denique videte nostræque sortis duritiem atque iniquitatem. Affinibus privati [sororis nostræ socero et marito], dotem sorori cum elocaretur a patre additam amisimus: una cum sorore tres ejus liberos alere necesse habemus. Ne hoc quidem miseriarum satis est. A nefariis calumniatoribus insuper exagitamur, et in periculum conjicimur avita bona amittendi, quæ majores honestis artibus quæsiverunt: tametsi, o judices, pater meus tota vita is fuit, qui plus nummorum soleret in rempublicam quam in semet necessariosque erogare. Erogavit, credite mihi, erogavit in rempublicam duplo plus quam nobis nunc in fortunis est: de quo certo mihi constat, qui sæpe affuerim patri sumptus a se in rempublicam factos computanti. Nolite igitur temeritate præjudicii vestri eum cupiditatis damnare, qui cum in se perparum tum in vos quotannis quamplurimum impenderet: damnate potius illos, qui non patrimonia solum sed etiam aliunde si quid acquirere potuerint, id turpissimis voluptatibus prodigere consueverunt. Arduum quidem est causam agere et adversus opinionem, quæ multorum animis prorsus abnormis insedit, de magnitudine divitiarum a Nicophemo relictarum; tum adversus illam, quæ nunc hac in civitate regnat, paratæ pecuniæ caritatem; denique adversus ærarium, cum quo nobis hoc certamen forense decertandum est: verumtamen, etsi tot tantisque undique septi teneamur difficultatibus, facile tamen intelligetis, criminationes ab accusatoribus in nos intortas omnes falsas atque mendaces esse. Quocirca quibus possum modis contentionis acerrimis ego vos rogo

atque obtestor, ut, ubi me dicentem usque ad finem orationis benignæ audientiæ constantia prosecuti fueritis, tum demum hanc in partem pronuntietis sententiam, quæ pars optima vobis videbitur esse atque cum religione jurisjurandi a vobis dicti imprimis consentanea.

3. Primum itaque hoc docebo, quomodo Nicophemus atque Aristophanes necessitudinem affinitatis nobiscum contraxerint. Conon nempe, classem vestram imperatoria cum potestate circa Peloponnesum exercens, pro vetustate amicitiæ quæ illi cum patre meo erat tum trierarchi munus fungente, rogabat patrem, ut filiam suam sororem meam Nicophemi filio Aristophani in matrimonium elocaret. Pater, videns hos et Cononis gratia florere et fidem ei suam approbasse cæterisque item in rebus homines commodos et frugi esse, denique populo tum certe probari, nil de invidia suspicatus odioque, in quod ipsis fatale fuit ut postmodum incurrerent, assensus est: sed tunc temporis cum nemo facile vestrum omnium fuisset quem puduisset cum his affinitatem contrahere; patrem enim non cupiditate opum illectum, hunc sibi generum delegisse, facile id collectu est ex ejus reliqua vita, moribus et institutis. Adolescens enim cum posset aliam quamcunque bene dotatam domum ducere, uxorem sibi delegit eam fœminam e qua me procreavit, quamquam dotis nihil afferentem: quod nimirum ea filia Xenophontis illius esset, qui patre usus Euripide non privatim solummodo famam boni viri penes vos meruit, sed et hoc publice, ut imperatoris honores ei deferretis; cujus rei auctores mihi sunt cives natu grandiores. Pater itaque in legenda uxore decus generis magis quam facultatum sectatus amplitudinem, in filiabus quoque elocandis, quæ duæ ei natæ sunt majorem dignitatis quam fortunarum habuit rationem: nam cum essent qui eas procarentur homines admodum locupletes, denegavit tamen illis, quod viderentur loco ignobiliore nati esse, sed alteram Philomelo nuptui dedit Pæaniensi, quem inter omnes constat fortem quidem strenuumque virum at parum locupletem esse, alteram Phædro Myrrhinusio e sorore nepoti, cum is jam ad egestatem decidisset, quamquam non culpa sua neque morum flagitiositate, postmodum vero Aristophani eandem collocavit: harum filiarum unicuique quadraginta minas in dotem addidit, quantum Aristophanes quoque tulit. Ipsi denique mihi pater auctor fuit, ut egregie dotatæ quam nancisci poteram minus dotatam anteferrem, quo certior essem affinitatem a me contrahi cum socero ejusque liberis et generis omnibus honestis et frugi. Quo factum est, ut domi meæ nunc habeam illius Critodemi Alopecensis filiam, qui in illo fatali circa Hellespontum prælio navali cecidit, cum Lacedæmoniis dimicans. Atqui, o judices, qui fiat, ut in contrahenda cum Nicophemo et Aristophane affinitate cupiditatem secutus recte vide-

atur is, qui et ipse indotatam domum duxerit, et par filiarum elocans ingentem cuique dotem addiderit, et me qui filius ejus essem hortatus sit ut exigua in dote acquiescerem?

4. Accedo nunc ad alium hujus causæ locum, quo planum faciam, ab horum reorum, Nicophemi atque Aristophanis, causa nostram esse prorsus disjunctam, adeoque nos eo lædi, quod bona nostra bonis illorum immixtum unaque cum illis proscriptum eatur, quo ærario satisfiat. Aristophanes enim, domi jam habens sororem meam, multis aliis potius amicis quam patre meo utebatur: id quod nemini mirum videbitur, discrimen cogitanti quod ipsorum ætates disjungebat; et multo etiam majus discrimen morum et ingeniorum, quibus illi inter se quam plurimum distabant. Pater insueverat rerum suarum satagere: Aristophanes autem, non suas privatas magis quam civiles amabat agere; æris si quid esset, id in gloriæ quæstum conferebat. Vera hæc me dicere, e factis ejus intelligetis. Primum enim Cononi, in Siciliam aliquem allegare volenti, Aristophanes ultro se offerebat atque proficiscebatur cum Eunomo Lysiaque, quo Lysia amico utebatur et hospite, viro egregio qui bona et ornamenta vestram in plebem contulit quam plurima, cujus rei auctores mihi fuerunt Piræensium illi qui rebus in Piræeo tum gestis interfuerunt. Legationi huic per mare obeundæ proposita hæc erat meta, ut studeret Dionysium Syracusarum tyrannum ad contrahendam cum Evagora affinitatem adducere, atque permovere ut hostem Lacedæmoniis, vestræ autem civitatis amicum et in bellis socium, se ferret. Quæ quamquam legati adepti non sunt, non prorsus caruit tamen hæc legatio prospero eventu: legati enim, multis superatis periculis et a sævitie maris et ab hostium insidiis oblatis, in Siciliam perlati Dionysio persuadebant, ut, quam tum comparabat classem Lacedæmoniis auxilio mittendam, eam ne mitteret. Tempore post, legati e Cypro cum huc venissent auxilii petendi ergo, nihil Aristophanes ad contentionem sibi fecit reliquum ut vos ad præstandum illud auxilium oratione adduceret. Adducti vos, cum triremes indulsistis, tum reliqua quoque decrevistis quæ simili tempore locoque decerni et tribui mos est: verum pecunia carebant, unde classis instrueretur. Nam et parum viaticati advenerant illi legati Cyprii, et multis indigebant: non enim solummodo classiarios milites, sed peltastas quoque conduxerant; arma etiam emerant. Suppeditabat quidem Aristophanes de suo pecuniarum partem longe maximam; quia vero facultates ipsius propriæ non sufficiebant, amicos ad mutuo credendum hortabatur, ipse sponsorem de reddendo se ferens, et quadraginta minas penes se depositas, fratre conscio et consentiente (fratris enim illæ minæ erant, ab eodem patre procreati), insumebat. Pridie autem ejus diei quo classis illa e portu nostro solvit, domum nostram venit, patrem rogans, ut sibi, paratæ quicquid esset pecuniæ, id mutuo crederet, ad persolvendam

peltastis mercedem nonnihil adhuc deesse aiens. Erant nobis in arca septem minæ: has quoque nactus insumpsit. Ecquem enim, judices, qui gloriæ ita studiosus esset ut fuit Aristophanes, qui literas a patre [Nicophemo] tulisset e Cypro missas, affirmantes ibi nihil defore; porro, qui esset legatus a vobis designatus qui ad Evagoram [regem tam opulentum tam liberalem, a quo præerogata omnia, cum lucro etiam, esset recuperaturus] proficisceretur; ecquem, inquam, talem existimatis non loculos suos omnes excussurum, non facultates funditus exhausturum, sed reservaturum sibi aliquid fuisse? dubitatis adhuc pronuntiare, illum videri potius nihil non quod posset contulisse, quo gratiam iniret apud Evagoram, a quo non minorem esset recuperaturus? Vera hæc esse, quo vobis constet, cita mihi testem Eunomum reliquis cum testibus.

TESTES.

5. Audistis e testibus, cum affirmarent, se non modo rogatu Aristophanis pecunias credidisse, verum etiam recuperasse: relatæ enim sunt ipsis cum triremi [illa, qua Aristophanes in Cyprum pervectus est, illinc Athenas redeunte]. Facile est e dictis collectu, Aristophanem nulli parti peculii sui parsurum fuisse; sed luculentissimum videte hujus rei argumentum: Demus Pyrilampis filius uni navi ex illis decem in Cyprum mittendis præerat cum potestate trierarchi; in apparatu hujus navis cum pecunia deficeretur, me convenit rogans, ut Aristophanem convenire suoque nomine ei significare vellem, se [Demum] a rege Persarum aliquando phialam auream in tesseram accepisse; hanc phialam se velle Aristophani pro sedecim minis oppignerare, si Aristophanes sibi tantum credere velit; constituisse illas XVI. minas navi, quam ducturus esset, instruendæ insumere; ubi primum in Cypro appulisset, operam daturum ut phialam illam viginti minis relueret; in universa enim continente [Asia minore] propter hanc tesseram, largam sibi fore copiam, ut aliorum bonorum, ita nummorum quoque. Aristophanes, auditis ex me, qui interpretem agerem, quæ Demus se rogaret, quamvis Demi preces meis adjutarem, et ipse pateram auream esset habiturus, quam secum ferre ostentareque atque usurpare pro sua interim posset; quamvis denique quatuor minas tam cito fœnerari posset, tamen negabat pecuniam sibi paratam esse, jurejurando idem confirmans atque addens hæc, hospitibus, [Cypriis] præter illud æs, quod ipse credidisset, necesse fuisse aliud insuper quærere; nam alias se libentius quam ullum alium mortalium facturum fuisse, ut et patera aurea potiretur et studio precibusque nostris inserviret. Vera hæc esse testes confirmabunt a me producendi.

TESTES.

Ex his quæ et a me dicta et ex his testibus audistis, judices, facile

perspectu est, ab Aristophane hinc in Cyprum proficiscente nihil neque auri neque argenti facti signative relictum esse. Æneæ supellectilis non multum possidebat. Quid? quod hospitali convivio cum Evagoræ legatos exciperet, multis usus est vasis ab amicis corrogatis. Quæ autem Aristophanes reliquit, ea scriba vobis recitabit.

INDEX BONORUM.

6. Nonnullis vestrum sine dubio, judices, hæc pauca scruta videbuntur esse: ego vero vos reputare velim [Nicophemo quidem, aut etiam, si mavultis] Aristophani, ante victoriam pugnæ navalis, in fundis nihil fuisse præter unum parvum rus Rhamnunte. Evenit autem illa pugna navalis archonte Eubulo. Per itaque est inconsentaneum existimare, multam supellectilem eamque pretiosam ab eo hic fuisse relictam, qui ab illo inde archonte intra quadriennium aut quinquennium, tam grandes sumptus fecisset e re familiari, quæ ei ante id tempus nulla fuisset: bis enim choregi partes egit Aristophanes, suo nomine semel et iterum patris, triennio continuo triremi præfuit, contributiones multas pecuniarias reip. contulit, domum quinquaginta minis emit, agri plus quam trecenta jugera. Atqui avitis qui pollentes divitiis habentur, necesse si habeant supellectilem suam in publicum efferre, quam vereor, ne admodum sint parum habituri quod proferant, commemoratione quidem dignum: sæpenumero enim ne sunt quidem venalia istiusmodi vasa, etiamsi tu vel maxime emere cupias, quorum adspectu usuve aut ostentatione imposterum tota reliqua tua vita delectere. Videte hoc aliud. Quorumcunque aliorum bona proscripsistis, eorum non modo supellex sub hasta væniit, sed ipsæ adeo quoque fores ædium cardinibus evulsæ: nos autem, publicatis jam Aristophanis bonis, cum soror jam domo emigrasset, custodes illi domui apposuimus, quo neque fores avellerentur neque vasa neque rerum aliarum quicquam periret ex illa domo exportatum, quæ jure optimo mea est. Confectus est in tabulasque publicas relatus index pecuniæ redactæ e supellectilis ab Aristophane relictæ sectione, quæ pecunia mille drachmarum excedit summam, quantam æris summam e nullius alius domus proscriptæ sectione supellectilis unquam redegistis. Adde, quod et dudum advocatis fisci detulerimus, et nunc vobis, judices, deferamus sponsionem jurisjurandi, quam ab hominibus exigi dicique potest sanctissimi, quo, facultatum Aristophanis penes nos nihil esse, confirmemus; hæc enim domus, quæ quondam Aristophanis fuit, nunc nostra est, quinquaginta minis ab eo empta: nobis autem debetur ab Aristophane dos sororis meæ, quadraginta minæ; præterea debentur septem aliæ, quas Aristophanes hinc in Cyprum proficiscens a patre meo mutuo sumpsit [una cum fœnore]. Qui jam possunt homines esse alii miseriores, quam

si qui, bonis suis propriis mulctati, tamen eorum bona, a quibus in extremam calamitatem pertracti fuissent, intervertisse videantur, et, qui malorum cumulus est, sororem habeant quam non possunt facere quominus domo sua suscipiant, numerosa prole gravem, illosque omnes alant, quamvis ne ipsis quidem sit, unde ipsi alantur, si bonis suis a vobis exuantur?

7. Age, per deos superos, rem sic spectate, judices. Fingamus tantisper, vestrum aliquem filiam sororemve Timotheo Cononis filio in matrimonium elocasse, Timotheum inter hæc domo absentem in offensionem vestram incurrisse, publicata ejus bona sub hasta væniisse omnia, e sectione ne quatuor quidem talenta esse redacta: ideone æquum et personis vestris dignum censeretis, operam vos dare, ut Timothei necessarii quoque arrepti pessumdarentur, quod de bonis ejus sectis ne centesima quidem pars redierit ejus summæ quam sperassetis inde redituram, decepti vanitate famæ de amplitudine facultatum Timothei in vulgum diditæ? Atqui nostis vos omnes, qui habitus mutuus Cononi cum Nicophemo intercesserit: nostis illum imperatorem, hunc, utpote quæstorem, in istius potestate fuisse; quo fit, ut Nicophemo necesse esset in Cononis auctoritate esse. Consentaneum itaque est, emolumentorum bello partorum vix centesimam partem a Conone cum alio quopiam fuisse communicatam. Quod si ergo sunt, qui Nicophemo autument ingentia bona fuisse, necesse est eosdem confiteri, Cononi fuisse decuplo ampliora. Præterea, constat inter omnes, illos inter se nunquam dissensisse: quapropter consentaneum est existimare, in ratione gerendæ rei familiaris eos quoque secum consensisse hactenus, ut eorum unusquisque, cum filio hic reliquisset quod satis esset, tum reliqua sibi priva et propria reservaret: erat enim utrique gemina familia, altera hic Athenis, altera ibi in Cypro; Cononi in Cypro cum uxore filius erat, Nicophemo cum uxore filia: arbitrabantur enim, quæ bona in Cypro possiderent, ea perinde sua esse atque quæ hic. Adhæc etiam hoc cogitate, judices. Bona si quis inter liberos sua superstes adhuc divideret, non a se illa quæsita, sed a patre hereditate relicta, non is videtur vobis partem illorum bonorum haud minimam ipse sibi reservaturus esse? Utique: Quanto itaque bonorum magis eorum, quæ ipsi marte suo peperissent? Malunt nempe omnes, bona ipsi sua tenentes, arbitrium eorum dispensandorum et quasi frena tenere, quibus pietatem, reverentiam, officia liberorum gubernent atque sibi obstricta habeant, quam per inconsultam et improvidam indulgentiam egestati se committere, quæ cogat ipsos in liberorum potestate esse, ingratorum crudelitati obnoxios. Sed redeo in viam. Fingamus ergo, Timothei, offensam vestram meriti, bona hastæ subjici — id quod ego equidem omen detestor fierique nolim, nisi si quod ingens bonum inde reip. exsistat —, tum e sectis Timothei bonis minus etiam redigi

quam ex Aristophanis redactum fuit: ideone vos æquum censeretis, necessarios quoque Timothei bonis suis spoliari? Nequaquam: abhorret enim. Sed video vos mirari me, judices, suspicantem e sectione bonorum Timothei minus etiam esse rediturum quam ex Aristophanis rediit: non temere sic suspicor, facilique me spero facturum opera ut mihi assentiamini. Quas Conon tabulas in Cypro postremas consignaverat, eæ post ipsius excessum resignatæ aperuerunt, ipsius veram substantiam multis partibus infra vestram opinionem subsedisse. Minervæ enim ad donaria Apollinique Delphico quinquies mille stateras consecravit: fratris filio, quo bonorum in Cypro sitorum omnium custode atque dispensatore utebatur, legavit decies mille drachmas; fratri tria talenta; reliqua filio reliquit, talenta septendecim. Unde summa confit quadraginta talentorum. Neque prætendere licet, hic direptum quicquam aut tabulas corruptas neque optima fide prodita bona fuisse: ipse Conon enim has tabulas, in morbo quo postremo defunctus est, mente integra et sibi constante, probe conscius eorum quæ ageret circaque se agerentur, consignavit. Cita mihi horum testes.

TESTES.

8. Atqui, judices, priusquam rationes ambarum substantiarum, Cononis puta atque Nicophemi, palam fierent, nemo non persuasum sibi habebat, substantiam Cononis multis, nescio quot, partibus majorem esse substantia Nicophemi. Et nihilo tamen minus compertum est, Aristophanis substantiam Timothei substantia solummodo pauxillo minorem esse: cum supellectili possidebat Aristophanes in fundis ad valorem quinque talentorum et plus; in choregatum, quo gemino defunctus est, semel patris tum suo nomine, quinquies mille drachmas impendit, in trierarchatus octoginta minas. Contributionis nomine, pro seque et pro patre, quadraginta minas reip. largitus est. In navigationem in Siciliam susceptam centum minas impendit. In classem illarum decem navium, quas Cypriis rogantibus indulsistis, instruendam, et in mercedem peltastarum et in pretium armorum coemendorum, erogavit triginta millia drachmarum. Quæ omnia in summam collecta talenta conficiunt paulo minus quindecim. Quocirca nulla vobis est querendi causa, judices, cum sic constet, bona Aristophanis tertiam partem bonorum Cononis haud paulo excedere, tametsi antea nemo non opinaretur Aristophanis bona vix aliquotam partem bonorum Cononis esse, quæ Cononis bona in confesso est rite atque bona fide censa et ab ipso Conone æstimata atque indicata fuisse. Non contuli hanc ad summam ea, quæ Nicophemus ipse in Cypro possedit, ubi cum uxore filiam aluit.

9. Satis mihi videor protulisse documentorum, unde intelligatis, judices, me nonnisi justum et æquum postulare, cum postulo atque vos rogo, ne falsæ opinioni de amplitudine bonorum ab Aristophane

relictorum ita indulgeatis, eaque ita ludamini, ut iniquitate sententiæ vestræ nos funditus perdatis. Verum non subsistam hic, sed alia addam his similia exempla, a patre aliisque civium nostrorum natu grandioribus fama accepta, quæ doceant, non nunc solummodo sed jam dudum ante sæpe numero deceptos vos esse falsa opinione de multorum facultatibus, qui, cum habiti essent in opulentissimis donec adhuc in vivis superessent, post excessum reperti sunt opinione vestra multo pauperiores. Longe ne abeam, Ischomacho censum esse septuaginta talentis ampliorem, dum superesset, nemo dubitabat; de quo e vulgari fama mihi constitit: defuncti autem hereditatem cernentibus filiis, qui duo ei erant, vix eorum unicuique decem talenta in sortem obtigerunt. Stephano Thalli filio census erat e vulgi quidem æstimatione quinquaginta talentis amplior, verum post Stephani excessum constitit undecim ferme talentorum fuisse. Nicerato censum tribuebat opinio vestra non multo minorem centum talentis, ejusque partem potissimam in nummis præsentibus in arca depositis: atqui Niceratus ipse, mortis in articulo constitutus, argenti aurive negabat a se quicquam filio relinqui; quam autem reliquit substantiam, ea plus non valet quam quatuordecim talenta. Callias statim ab excessu patris Hipponici Græcorum omnium habebatur opulentissimus: avus Calliæ censum ipse suum, ut ipse Callias jactat, ad censores ducentorum talentorum professus fuerat; nunc autem Calliæ census ne duum quidem talentorum est. Cleophon, id quod vos omnes nostis, cum multos per annos omnia reip. negotia tractavisset, magnas opes ex honoribus quos gesserat collegisse credebatur: defuncto autem, nullæ usquam ejus opes reperiebantur, sed necessarii atque affines ejus, quibus sua reliquerat, sunt, ut in confesso est, pauperes. Quibus ex exemplis constat, quam crebro erraverimus in æstimandis censibus tam eorum qui avitis nobilitati essent copiis, quam si qui ex se Marte suo inclaruissent.

10. Cujus rei hæc mihi causa videtur esse, quod tralatitium et cujusvis est jactare, hunc illumve ex honoribus ab eo gestis multa talenta furatum esse. Quæ de mortuis jactari ego equidem haud miror — quibus clausum os est, quominus refutare mendacia possint—, at esse miror, qui de vivis et spirantibus adhuc talia comminisci audeant. Ipsi vos nuper audiebatis, cum absens Diotimus in concione diceretur quadraginta talenta et plus etiam in bonis habere, quibus ipse fateretur naucleros atque mercatores emunxisse: rumor hic vestram, ut par est, iram commovebat: proscribebantur Diotimi bona: redibat interim ipse e peregrinatione: graviter ferebat, absentem se per calumnias in invidiam adductum fuisse: quid multa? nemo contra hiscere, nemo eum refutare, tametsi resp. æris egeret, ipseque Diotimus ad reddendam rationem fisci a se administrati se offerret. Reputate jam ipsimet vobiscum, quantum resp. piaculum contraxisset, quantum scelus fuisset admissum, si Diotimo

e rebus humanis casu quodam adverso, ut sunt humana, sublato, priusquam ex itinere maritimo huc reverteretur, defensionis necessitas necessariis ejus imposita fuisset, de quadraginta illis talentis, quæ Diotimum depeculatum esse coram universo populo Athen. jactatum fuerat. Quantum in discrimen conjecti fuissent illi necessarii rerum omnium ignari. Intelligitis jam, sceleratorum hominum insontes calumniis perdere ardentium celeri ad mentiendum projectæque audaciæ vos hoc debere, ut non solummodo vestra de multorum censibus exspectatio egregie ludatur, sed etiam vos ipsi, ita me deus amet, persæpe ad pessumdandum insontes homines cœci agamini. Neminem vestrum, ni fallor, fugit, imperium classis vestræ toto quinquennio penes Alcibiadem fuisse; Lacedæmonios concidebat; quoquo ibat, victoriam secum circumferebat; civitates Græcæ ei uni duplo plus conferebant quam ulli alii nostrorum imperatorum omnium: quo factum ut nonnulli censum ei opinatione sua tribuerent centum talenta exsuperantem. Atqui falsam illam fuisse opinionem, excessus Alcibiadis aperuit; qui liberis censum reliquit minorem etiam eo, quem a tutoribus traditum ipse acceperat.

11. Facile ex his judicatu est, temporibus adhuc etiam vetustioribus similia exempla haud pauca numero evenisse: quorum vos auctoritati cedentes recordamini sapientis illius sententiæ, ut quisque sit optimus atque sapientissimus, ita ad ignoscendum mutandamque mentem et errorem exuendum esse paratissimum. Quod si ergo videmur consentanea disputare et idonea documenta præstare, miseremini nostrum, judices, quoquo modo miseremini, neque esto rerum omnium quicquam quod a commiseratione nostri vos avertat. Vestra enim æquitas si verum quod nobiscum est sustentabit, speramus futurum, ut quamvis magnam calumniam profligemus: sin autem nobis refragari pertinaciter decreveritis, spes salutis nulla superest. Verum per deos superos inducite potius animum, judices, ut nos servetis prout vos facere jus et fas est, quam ut nos perdatis quæ summa foret injuria; certumque habete eos vera loqui, qui ætatem omnem in silente atque a gloriationis strepitu aliena pudoris atque temperantiæ exercitatione degant.

12. Audistis itaque, judices, et de proscriptione bonorum Aristophanis ipsa, et quomodo cum eo affinitatem contraxerimus, eique cum classe e portu soluturo pecunias suas haud suffecisse, sed necesse fuisse alias aliunde mutuato sumere; hæc, inquam, omnia, et ex me audistis cum exponerem, et e testibus quos ad fidem verbis meis faciendam produxi. Jam de memet ipso pauca quædam juvat ad vos prædicare. Tametsi annum ætatis jam ago trigesimum, nunquam tamen neque patris auctoritati sum refragatus, neque commisi ut civium cuiquam causa esset in foro me accusandi; prope forum cum habitem, nunquam tamen fuit, qui me aut in tribunali aut in curia versantem videret, priusquam hæc nos calamitas obru-

eret. De patre autem, ignoscite mihi, judices, si prædicanda ad vos liberalitate, qua et reip. et amicis privatim succurrit, calumniam cupiditatis depellere coner, qua eum accusatores respersum ierunt. Non studio gloriæ istæc jactabo, sed hoc ago ut vos doceam, qui nulla cogente necessitate tamen effusus in liberalitatem erga remp. fuisset, fieri non posse, ut idem summo cum periculo suo æris publici partem interverteret, quamquam me profecto non fugit esse qui illiberalissima de causa liberalitate sua vos promereantur. Hi nummos in vos profundunt, non quo necessitates vestras sublevent, sed quo fiduciam voluntatemque erga se vestram mercati, viam sibi ad honores muniant, quorum in latebra duplo plus furentur. Meus autem pater cum honores nunquam petiit, tum munerum sumptuosorum nullo non genere functus est, choregus fuit in omni genere ludorum, triremi a se instructæ suis sumptibus septies præfuit, contributiones multas magnasque contulit. Quibus de rebus quo sitis certiores, scriba vobis hunc indicem largitionum a patre ad remp. profectarum præleget.

LARGITIONES.

Audientes magnitudinem æris a nobis in remp. insumpti, miramini, judices. Et est profecto summa ingens et pæne incredibilis. Verumtamen spatium temporis recogitare vos una decet, quo pater et nummis et opera præsto vobis fuit. Quinquaginta sunt anni, ex quo et nummaria ope et corporis opera vobis inservire cœpit; et toto tamen illo tam longo tempore numquam fuit, qui actione peculatus aliave eum esset insectatus: atqui negatum nobis sine dubio fuisset, lites hujusmodi evitare, si honores gessissemus aut in suspicionem malæ fraudis admissæ reique familiaris inhonestis artibus auctæ incurrissemus. Tanto autem, quod dixi, temporis spatio nos a nemine vexatos litis ullius molestia fuisse, tametsi certi jam vos omnes estis, quo tamen sitis etiam certiores, testes producam.

TESTES.

Erogavit ergo pater in remp. universe novem talenta cum bis mille drachmis. Præterea privatim quoque multis bene pater fecit: civium haud paucos indigentiores collationibus adjuvit in elocandis filiabus sororibusve, alios ex hostium captivitate redemit, aliis ad funera necessariorum contribuit. Quæ omnia eo fecit, quod existimaret boni civis has esse partes, ut amicis prosit, etiamsi beneficii nemo sit conscius futurus: jam vero, patre rebus humanis exempto, convenit ea vos ex me audire. Cita tu mihi hunc et illum.

TESTES.

13. Audistis ab his testibus affirmata. Jam cogitate hoc, posse mores ad breve quidem tempus ad speciem probitatis confingi fucoque

quodam honestatis incrustari; septuaginta vero per annos ut animus natura malus et sceleroosus lateat, nequaquam fieri posse. Haud equidem infitiabor esse forsitan alia quædam, ob quæ pater recte incusetur: cupiditatis autem eum arguere nemo unquam ausus est, ne inimicus quidem. Quocirca convenit, vos inimicorum vanitate prædicationis minus quam veritate rerum a patre per omnem ætatem gestarum fidere, temporisque diuturnitate, quod tempus vos decet, judices, habere documentum longe omnium certissimum atque invictissimum. Ea enim mente iisque moribus si pater minus fuisset, haud profecto censum reliquisset ex amplo tam imminutum, atque re vera est, et experimentum si sumere velitis docere vos possit: nam si vos nunc his hoc detis, accusatoribus nostris, ut patiamini vos ab eorum mendaciis circumveniri atque ad proscribendum bona nostra impelli, vix duo talenta e sectione redigantur. Quapropter nos a vobis absolvi, ut gloriæ vestræ nostræque communis interest, ita e re fisci vestri magis est: nam si bona nostra nos porro tenere atque administrare sinatis, multo uberiores ex iis fructus percipietis, quam si publicetis. Quantum enim illa reip. referant, æstimate ex indice sumptuum illinc in remp. a patre superioribus annis factorum, quem indicem modo audistis quum recitaretur: et e reliquiis rei familiaris, ad quas pater deciderat, et ego nunc sumptus trierarchatus tolero, et pater tolerabat item eo anno qui postremus ipsi fuit: studeboque, ad illius exemplum, quod menti meæ propositum habebo, sensim atque sensim pauxillum quid unde vobis aliquando prosim comparare. Quo pacto bona hæc nostra, quemadmodum jam dudum reapse vestra fuerunt, ita imposterum quoque vestra manebunt: nam cum ego mihi nihil per nefas ademptum existimabo, tum in vos hoc promptius atque copiosius erogabo; quæ res fisco vestro erit fructuosior, quam si proscribatis. Adhæc spectare vos patris indolem quoque decet; quæ ea erat, ut quæcunque juvaret extra necessaria impendere, ea omuia essent ejusmodi (prout invenietis inquirentes) unde gloria ad civitatem speraretur reditura. Longe ne abeam, equestri cum esset in ordine, equos alebat, non splendidos modo, sed etiam in certaminibus cursus vincere doctos; vicerunt hi quoque ludis et Isthmicis et Nemeis, unde et civitas præconio nobilitata et pater ipse corona ornatus abiit. Quorum unaque reliquorum quæ diximus omnium, rogo vos, judices, ut memores nobis succurratis, neque sinatis nos ab inimicorum maledicentia de medio tolli. Quibus nostris precibus concedentes et justa atque æqua sciscetis et vobismet ipsis fructuosa.

LYSIÆ

PRO POLYSTRATO

EVERSÆ REIPUBLICÆ

APOLOGIA.

1. Non nomini Quadringentorumvirorum, sed facinoribus quorundam ex isto collegio mihi videtur succensendum esse. Negari enim utique non potest, eorum aliquos vobis insidiatos esse; rursus tamen alii, coeuntes in curia, non eo coibant quo aut rempublicam aut vestrum quemquam privatim læderent, sed cum animo vestri studioso et erga vos benevolo; quo in numero hic quoque fuit Polystratus [pater noster]. Hunc enim cooptatum tum temporis [in collegium quadringentorum], ut virum commodum et civilem non erga municipales solummodo sed etiam erga universam plebem vestram, accusatores nunc malevolentiæ nescio cujus insimulant; tametsi fuisset a tribulibus delectus, qui omnium optime de suis dignoscere potuissent, qualis quisque esset. Ego vero scire velim, cujus rei causa principatui paucorum Polystratus studuisset? Num, quod ea esset ætate, qua speraret se posse orationibus suis opes sibi potentiamque parere? an quod corpore fideret tam vegeto et robusto, ut inultus posset quemcunque vellet vestrum verberare aliisque contumeliis afficere? Atqui videtis ætatem ejus, quæ est ejusmodi, ut vel sola possit alios ab ejusmodi temeritate revocare. An recuperandi status causa censendus erit pater novis rebus studuisse? Nil minus. Profecto, si quis ob facinus aliquod superiori tempore admissum capite minutus sit, eum consentaneum est sui causa mutatam velle rempublicam: pater autem nihil tale commisit, ob quod ei necesse esset plebem vestram sui causa odisse. At liberorum tamen? Ne horum quidem. Nam ego quidem tum in Sicilia, reliqui duo fratres autem in Bœotia agebant: a nobis ergo, qui urbe abessemus, nullum tale facinus potuit in urbe patrari, cujus metu territus pater, amans nostri, statum civilem perturbatum isset. Quocirca pater neque propter liberos, neque propter sua propria vetustiora scelera quæ nulla sunt, censendus est novas res agitasse.

2. Sed multitudinem honorum quos gessit ei dant vitio; quam-

quam eos male ab ipso gestos esse, nemo est qui docere possit. Ego vero non hos peccasse arbitror, si qui in illa quæ tum erat rerum perturbatione multos honores gessere; sed istos, qui, quos gererent quamvis paucos honores, iis ad pestem reipublicæ abuterentur. Non enim imperiis et magistratibus rite fungentes, prodebant rempublicam; sed hi, qui commissam sibi potestatem ad scelera conferrent. Hic autem, pater noster, primum patriam in Oropi præfectura non prodidit neque novis rebus studuit, aliis omnibus, qui tum cum imperio atque potestate essent, rempublicam hosti prodentibus atque vendentibus. Deinde contra fecit, atque alii omnes sceleris sibi conscii. Reliqui salutem fuga quæsiverunt, ipsi suo sese præjudicio condemnantes: hic autem, ratus a se fraudem noxiamve nullam esse datam, judicio sese nunc sistit. Tertium, pater a consiliis Quadringentorum sese prorsus abstinuit. Tam projecta quidem est accusatorum cupiditas tam odiosa iniquitas, ut non solum quibus a reis largitiones acceperint, eos tametsi sontes judiciorum severitati subducant, a quibus autem nil lucrentur, eos quamvis insontes deferant et in jure persequantur; sed etiam cunctos, qui tum in collegio Quadringentorum fuerunt, accusent perinde, sive deliberationibus eorum interfuerunt sive minus. Ego vero, quotquot ab illorum rationibus suas sejunctas habuerunt, ut pater habuit, a quo nulla unquam dicta fuit sententia plebi vestræ noxia; eos ego omnes a vobis ideo male tractari nego oportere, quod clam vobis addicti tyrannorum odia et iras sibi consciscere verecundati fuissent; quod ut reprehendatur tantum abest, ut potius laudem mereatur ceu sapienter et provide factum. Tyrannis enim si qui refragarentur, eorum alios exsilio, alios extremo supplicio mulctabant: quo factum ut, etiamsi qui vellent pro vobis pugnare, metus et exempla cædium omnes absterrerent. Pari modo plebeii quoque, a tyrannis aut in exsilium acti aut neci dati, de se jam desperare cœperant. Contra, tyrannis qui dicto essent audientes et neque insidiaturi neque arcana enuntiaturi viderentur, illos tyranni quietos manere salvosque sinebant. Sic facile factu non videbatur, ut eorum imperium unquam concideret. Ejusmodi ergo tempestate qui dediti vobis fuere, eos nunc non decet suæ voluntatis pœnas dare. Grave utique mihi videtur futurum, si, qui nullius tum sententiæ in fraudem plebis vestræ fuisset auctor factus, eum nunc oporteat eadem sorte uti, qua illos, si qui tum tyrannos delationibus atque suggestionibus teterrimis in vos instigassent. Eccui credibile hoc fiat, qui totis septuaginta annis in vos nihil deliquisset, eum subito intra octiduum extrema quæque in vos designasse? Crebrum quidem est et vulgo notum genus illud transformationum, quo fit, ut, qui tota vita improbi fuissent, hi repente in logisterio [seu curia censoria] probi fiant; id quod nemo miratur,

notis illis artibus quibus accusatores placantur: at ut, qui tota vita probitatem atque honestatem vobis approbassent, hi repente mali et scelerosi fiant, invisum atque inauditum est portentum. Quod num probabimus? num in usum admittemus?

3. De patre porro accusatores, cum alia multa tum hoc quoque jactarunt mendacium, Phrynichum ei cognatum fuisse. Atqui, quicunque volet, vel mea manante aqua testator, Phrynichum sanguinis necessitudine cum patre conjunctum fuisse; et ego eum falsi dicti testimonii reum peragam. Et mentitos id illos esse, multa arguunt: neque enim patri communis cum Phrynicho disciplina puerilis fuit neque morum similitudo neque vitæ genus idem neque officiorum necessitudo. Pater in urbe liberalibus artibus a magistris publicis puer est imbutus: Phrynicho autem ludum frequentare non licuit, sed paupertate constrictus rure pueritiam inter armenta et pecora exegit. Adolescentes facti locum inter se permutarunt, pater rus concessit, rei familiari curandæ operam daturus; Phrynichus autem in urbem se contulit, quæstum e calumniis facturus. Adeo nihil conveniebat in eorum moribus. Etiam Phrynicho si quando mulcta esset ærario pendenda, pater ei nihil unquam contulit: atqui, si alias, in ejusmodi temporibus inprimis amici qui sunt animum declarant. Municipalis autem patris quod Phrynichus fuerit, id vero nocere patri nullo pacto debet; aut vos quoque in noxa eritis, cives Phrynichi qui sitis.

4. Civilitas autem quo alio declaretur luculentiore modo, quam pater fecit tum quum visum vobis esset quinque millibus rempublicam credere? delectus enim indici conficiendo nominum eorum qui digni cooptatione in hunc numerum viderentur, pro quinque millibus novem scripsit nominum millia; quo utrosque sibi obligaret, tam eos qui illo in indice scribi vellent quam qui nollent, illos scribendo, hos rursus expungendo. Atqui non hi civilem tollunt libertatem, qui cives creant quamplurimos, sed isti qui civium numerum minuunt. Pater porro, cum et jurare et indicem scribere recusaret, ab illis coactus est terrore mulctarum quas ei irrogabant: dixit ergo pater quidem jusjurandum per vim expressum, et venit quoque in curiam, sed solummodo per octiduum; quo peracto in Eretriam abiit, ubi militia functus est non instrenua neque ingloria in pugnis navalibus; saucius inde huc rediit, rerum facie jam mutata. Ita se pater cum gessisset, collegioque Quadringentorum non nisi per octiduum interfuisset totoque illo tempore ad dicendam sententiam os non aperuisset, mulcta tamen ei dicta est tam enormis pecuniaria: qui autem et inimicis vestris consilia infesta vobis atque exitiosa subjecerunt et eorum collegio ab initio inde usque ad finem interfuerunt, eorum multi absoluti sunt. Id quod, non invidens illis dico, sed sortem nostram miserans, o quam illam ini-

quam! Alios sontes judicibus visos precibus eripiunt pœnisque meritis liberant viri auctoritate pollentes meritisque spectabiles, qui turbidis illis reip. temporibus egregiam vobis operam præstitisse judicantur: alii pariter, atque illi priores, injuriarum furtorumque rei accusatores largitionibus ita sopiunt, ut nil quicquam peccasse videantur. Nos vero plectimur insontes. Eccui jam non miserabilis sors nostra videbitur? Sed aient accusatores, Quadringentos nequam fuisse; atqui vos ipsi ab his inducti quinquies mille viris vos tradidistis: jam quæ vos, qui tot numero essetis, vobis passi estis persuaderi, ea non decebat unumquemque Quadringentorum sibi pati persuaderi? Verum, non hi sunt in culpa, sed isti qui vos deceperunt atque læserunt.

5. Hic autem, pater meus, multis rebus egregiam suam erga vos voluntatem declarat: statum enim vestrum popularem evertere si voluisset, non, curia solummodo per octiduum salutata, peregre profectus esset in nave. At dicat aliquis, eum cupiditate opum colligendarum illud iter suscepisse: fuerunt utique qui per potestatis opportunitatem socios vestros expilarent. Hic vero quid opum vestrarum interverterit, nemo facile dixerit: omnia ejus alia potius reprehendunt, quam cupide ab eo gestam atque impotenter præfecturam. Accusatores tum temporis quidem voluntatem erga plebem nullo prodebant documento neque laboranti ei succurrebant; nunc autem, cum ipse secum populus optime consentit et mutua caritate ardet, subveniunt verbotenus vobis, reapse sibi. Tanta autem mulcta pecuniaria damnatum fuisse patrem, id vero vos mirari, judices, nolim. Absentem enim eum unaque nos condemnarunt eo in judicio, quod ut de absente haberetur ipsi malis artibus perfecerant. Etsi enim testari quis ei potuisset, non licuit tamen ob metum ab iis accusatoribus, quibus testes corrupti præsto essent, nil metuentes manifesta adeo mendacia testimonio suo confirmare. Luctuosa profecto sit sors nostra, judices, si alios quidem, peculatus ita convictos ut infitiari nequeant, advocatis viris gratiosis exorantibus condonetis: nobis autem gratiam facere nolitis, tametsi et ipsi de plebe vestra bene mereri contenderimus, et pater nulla culpa teneatur. Peregrino quidem ad vos adeunti aut pecuniam aut honoremrogatum, e. c. ut Evergetæ titulo cohonestetur, sine dubio sitis tributuri: nobis autem hoc minutum denegabitis, ut imposterum simus cives, quemadmodum ante mulctæ illius scriptionem fuimus, jure civili redintegrato, ut qui optimo? Tyrannorum si qui fuerunt erga vos malevoli, res vestras si male et flagitiose gesserunt, sententiarum auctores si facti sunt inimicarum vobis atque perniciosarum, iniqui sitis vos, si culpam earum rerum in absentes conferatis, vos, qui ipsos adeo præsentes et in illis deliberationibus versatos absolveritis. Civium vestrorum si quis vobis non optima suadens per-

suaserit, non licet id vobis vitio dare, sed suasoribus. Jam illi, qui vobis tum malorum consiliorum auctores fiebant, quum præjudicio se suo damnassent, quo judicium vestrum prævenirent, fuga salutem quæsiverunt ne pœnas darent: etiam alii si qui nescio quæ in vos peccarint, leviora quidem illa istis, at peccata tamen, suadet his metus vestri accusatorumque, ut domo profecti peregrinam militiam fungantur, quo interea aut vos ultro fiatis mitiores aut ipsi vehementiam accusatorum placeant. Pater autem, statim a restituta pace, copiam judicii de se habendi vobis fecit, tametsi insons, recente adhuc penes vos rerum gestarum memoria, cum et citissime et certissime posset argui: fecit autem, fiducia innocentiæ suæ, certus bona causa armatum se cum victoriæ gloria ex isto judicio esse discessurum.

6. Quam civilis autem pater fuerit, nunc docebo. Primum, quæcunque inciderent castrenses expeditiones, ab earum nulla abfuit, de quo testari poterunt conscii municipales: deinde, bona sua cum vendere potuisset redactumque e venditione æs clam habere domi in arca aut in fœnore positum eoque contributiones publicas compendifacere, fundos retinere maluit suique vos census conscios habere; quo, ne si vellet quidem, sibi liceret malo et ignavo esse, sed contribueret potius muniisque sumptuosis fungeretur. Nos ipsos quoque, qui liberi ejus sumus, ita instituit, ut reipublicæ essemus quam utilissimi. Et me quidem in Siciliam misit, ubi, donec salvus erat exercitus, locus defuit specimen meæ virtutis edendi, unde cognossetis qui essem: exercitu autem deleto, quum Catanam salvus evasissem, inde factis excursionibus totum circa agrum deprædabar hostibusque clades haud contemnendas inferebam. E prædæ quidem sectione tantum rediit, ut non modo triginta minæ decimarum nomine inde demi atque Minervæ consecrari pro more solito rituque patrio possent, sed etiam superesset unde milites ex hostium captivitate redimerentur. Equestrem quoque militiam coactus a Catanæis obii, et ne in ea quidem periculum ullum defugi, ut constaret inter omnes, qui mihi esset in utraque militia, tam equestri quam pedestri, fortis et bellicosus animus. Et de his testes cita.

TESTES.

7. In bellis itaque qualis fuerim, audistis, judices, his e testibus: quo autem erga plebem vestram animo, id nunc declarabo. Syracusanus aliquis eo [Catanam] cum venisset, secum afferens formulam sacramenti, quo civium nostrorum adigeret si qui vellent desertis partibus patriæ adversus eam arma capere et in castris Syracusanorum merere, accedebat ad nostratium qui tum ibi essent unumquemque viritim, ad sacramentum dicendum invitans atque

conditiones offerens. Ei ego me statim opposui, omniaque quæ fierent Tydeo [magistro turmæ nostræ] indicavi, qui militibus in concionem convocatis rem ad deliberandum proposuit: agitabatur causa utramque in partem: alii alia suadere. Ego vero quæ tum disputaverim, hi mihi testes sunto, quos cito.

TESTES.

Sed patris quoque spectate literas, quas in Siciliam proficiscenti addiderat, mihi reddendas, ipsique arbitramini, utrum earum argumentum e re plebis vestræ sit, an ad ejus fraudem pertineat. Pater enim illis in literis, secundum significationes de rebus nostris privatis domi, hortabatur me domum redire, donec salvæ adhuc in Sicilia res nostræ essent. Atque istæc cohortatio vobisque vestrisque ibi copiis conducebat: nunquam profecto pater istæc per epistolam mandasset, nisi vobis et reip. bene voluisset. Hæc de me. Nunc fratrem natu juniorem vobis proponam spectandum qualis fuerit. Exsules nostri cum aliquando agrum Atticum persultarent, et non urbem modo quibuscunque possent modis vexarent, sed etiam ex arce sua [Decelea] prorumpentes subjectum circa agrum depopularentur, provectus in equo frater ex ordine suo exsulum unum aliquem interemit. Cujus rei vobis testes oculatos præstabo, qui rei cum gereretur interfuere.

TESTES.

Fratrem autem denique natu vetustiorem, si qui vestrum hic assident circumve stant illa in luctuosa expeditione Hellespontica versati, hi bene norunt commilitonem, ab eoque edita esse virtutis documenta conscii sunt, nullius alius virtuti quicquam concedentia. Adscendite vos mihi huc.

TESTES.

8. Tales itaque nos cum simus atque fuerimus, ecqui decebit gratiam nos a vobis nullam referre? Æquumne est severitatis et gratiæ momenta vos libra tam iniqua librare, ut, quibus criminationibus injustis pater oppressus fuit, ob eas nobis haud meritis pereundum sit; studii autem nostri pro rep. prompti et indefessi nullam nos oporteat a vobis reportare gratiam? Summa quidem hæc foret, hercle, injuria. Quidni contra potius, etiamsi per patris offensionem digni essemus malo, multo majori jure propter labores a nobis pro rep. exantlatos digni simus, qui non ipsi solummodo servemur, sed etiam patrem una meritis nostris periculo eripiamus eoque studii erga vos nostri fructum finemque speratum adipiscamur? Non enim profecto lucri cupiditas ad bene de vobis merendum nos impulit, sed hoc spectabamus, ut si quod in certamen forense aliquando implicaremur, amicorum deprecationes apud vos

valerent tantum ut gratiam nobis meritis nostris quæsitam redderetis. Verum non nostri solummodo, sed aliorum quoque, causa mites vos atque placabiles acceptorumque beneficiorum memores et gratiam referre paratos oportet esse: nam erga nos quidem ingrati si sitis, haud magnum ex ea re detrimentum acceperitis, qui jam perceptum habeatis virtutis nostræ fructum usuque cognitum atque perspectum nostrum erga vos animum, vel antequam eo loci deveniretis ut opera nostra indigeretis; at aliorum contentionem vos promerendi sic exstinxeritis, quæ contentio diligentia gratiæ meritis paris referendæ accendi vult. Nolite proverbio illi vulgari, quod proverbiorum unum omnium est nequissimum atque teterrimum, exemplo vestro fidem atque auctoritatem adstruere; quo proverbio fertur male passis memoria tenacior quam bene passis insidere. Ecquis enim imposterum velit homo frugi esse, si penes vos tortoribus vestris ampliora sint quam benefactoribus præmia consituta? Videte, judices, qua de re agatur. Non hoc agitur nunc istoc judicio, judices, utrum rem habituri sitis e fortunis nostris amplificatam, sed utrum nos, cives bonos et fortes vestrique studiosos, necne. Olim quidem, donec adhuc pax erat, pater, sedulo frugaliterque rem rusticam exercens, censum habebat in propatulo, tabulis publicis consignatum: ex quo autem hostes in fines Atticos irruperunt, fortunis omnibus denudati sumus. Et hæc ipsa causa est nostræ erga vos propensæ voluntatis: novimus enim, nummis quidem, qui nulli nobis sunt, nos non posse mulctam luere, at posse fortassean contentione studii vobis inserviendi; cujus studii nostri poscimus nunc remunerationem.

9. Ubi quis, liberis secum hunc in suggestum adductis et circum se stare jussis, vos multis cum lacrymis atque obtestationibus et lamentis oraverit, ut sibi liberisque parcatis, tum vos videmus in gratiam liberorum patribus delicta remittere, commiseratione motos, si una cum patribus liberos quoque capite minui oporteat, quanquam ignoratis cujates sint hi liberi adultiores facti futuri, commodine atque probabiles cives, an mali et noxii: de nobis autem certi estis, non nos modo strenue pro rep. elaborasse, verum etiam patrem culpa vacare. Quanto igitur est æquius, vos gratia referenda illos demereri quorum voluntates usu vestro jam cognitas perspectasque habeatis, quam hos promereri quorum de studiis atque moribus futuris nihil dum certo vobis constet? Evenit nobis contra, quam aliis hominibus. Alii per liberos, utrinque adstare jussos, vos exorant: nos autem patremque ipsosque nosmet vestris offerimus oculis, judices, rogantes ut, civile jus quo olim salvo et integro usi fuimus nobis imminuere, eaque civitate cujus cives fuimus nos excludere, nolitis. Misericordia potius vos senisque patris nostrique moveto. Iniqua vestra pessumdati sententia, quo-

modo mutua delectabimur nostra consuetudine? quam jucunditatem adspectus nostri patri afferet? quo nos ore vultuque patrem intuebimur? quam mœstam dejectis animis vitam necessario agemus et inter nos domi et publice vobiscum, recordantes, modis nos acceptos esse indignis vestraque æquitate et universi populi magnanimitate. Auribus propitiis preces, quas vobis admovemus, qui tres sumus ex eodem patre nati, accipite: sinite nos ad ornandam vestram remp. adhuc majorem studii officiorumque contentionem conferre. Per ea quæ vestrum cuique viritim cara et sacra sunt, vos oramus, per liberos si cui sunt, ut nostri misereatur, per paritatem ætatis, si quis vestrum aut nobis aut patri æqualis est: absolvite nos, haud committite ut voluntati nostræ bene de rep. merendi obstaculo sitis. Hostes si nos interemissent aut obstitissent quominus salvi domum rediremus, rem fecissent se dignam atque consentaneam: sed hostes nos conservarunt. Quam ergo dura sit futura atque indigna sors nostra, si nihil a vobis impetremus, cujus causa nos par sit nobis felicitatem hanc congratulari, cui hoc debemus, quod e telis hostium salvi atque sospites in patriam evaserimus?

LYSIÆ

MUNERUM ACCEPTORUM

SINE NOMINE APOLOGIA.

1. Et de criminationibus quidem hæc hactenus, quibus abunde satisfactum esse, judices, equidem nullus dubito: sed etiam de reliquis ut me dicentem æqui audiatis, oro vos, quo sciatis quonam de viro sententiam sitis laturi cum de me feretis. Archonte Theopompo in scrutinio probatus cœpi muniis virilibus atque civilibus fungi: choregus tragœdis datus insumpsi triginta minas; tertio mense post in Thargeliis vici choro virili, quæ victoria mihi bis mille drachmis constitit; archonte Glaucippo in pyrrhichistas Panathenæis magnis impendi octingentas drachmas; Dionysiis in chorum virilem eodem archonte sumptum feci quinquies mille drachmas, comprehenso nempe illa summa impendio in tripodem facto quem dedicavi victoriam adeptus; Diocle quoque archonte Panathenæis minoribus in cyclicum chorum impendi tercentum drachmas. Inter hæc continuo septennio triremi cum potestate trierarchi præfui, eamque in rem sex talenta impendi. Tantos pro vobis sumptus tolerans ipsoque corpore meo quotidianos labores atque pericula capessens et domo absens, nihilominus tamen duas contuli contributiones, alteram triginta minarum, alteram quadraginta. Alexia archonte, ut primum cum classe domum redii, protinus gymnasiarchi munus in Prometheis gessi, vicique sumptu facto duodecim minarum. Choregus postmodum choro puerili dictus, quindecim minas impendi. Archonte Euclide choregus factus Cephisodoto magistro vici, quam in rem septendecim minas impendi, computata supellectile et vestis dedicatione: Panathenæis parvis sumptus feci in pyrrhichistas imberbes, minas septem. Vici quoque triremi certamen apud Sunium, cui rei quindecim minas impendi. Præterea architheoriis functus sum et arrhephoriis aliisque similibus, in quæ omnia insumptæ sunt a me plus triginta minæ. Hæc, quæ enumeravi, omnia si voluissem solummodo secundum formulam a legibus præscriptam exsequi, næ partem ne quartam quidem insumpsissem ejus æris quod a me aio insumptum esse.

2. Toto illo septennio, quo trierarchus fui, mea triremis reliquas

omnes universæ classis navigandi celeritate atque felicitate superavit; id quod documentis gravissimis confirmabo. Primum enim Alcibiades, quem ego navigationis mihi comitem nunquam obtigisse pervelim, triremis meæ vectura utebatur, quamvis neque amicus mihi neque cognatus neque tribulis esset. Atqui vos omnes nosse arbitror, imperatorem, cui quicquid vellet agere liceret, haud facile aliam in navem fuisse inscensurum, corpusque suum crediturum, præterquam ei quæ citissime atque dexterrime ageretur. Ut autem Alcibiadem ejusque collegas adempto imperio privatos feceratis, classemque cum copiis Thrasyllo cæterisque novem viris ejus collegis tradideratis, horum decem virorum nullo non cupiente mea navi vehi, pervicit tandem Archestratus Phrearrhius ut ea veheretur: illo apud Mitylenam exstincto, Erasinides ea mecum vectus est. Atqui navem sic instructam quanti putatis constitisse? quantum æs absumpsisse? quot noxias hostibus dedisse? quot ornamenta civitati comparasse? Documentum poscitis? ingens enimvero dabo. In postrema pugna navali, cum classis vestra laceraretur, solus ego trierarchorum omnium a vobis laudem merui — nam trierarchi quoque tum perinde atque imperatores re turpissime gesta in offensionem vestram incurrerunt, quod ambo pariter socordia et imprudentia sua istam vobis tantam atque tam insanabilem plagam contraxissent; nolim itaque vos ægre ferre rei mihi gloriosæ factam a me commemorationem —, solus ego tum (nam imperator nave mea tum nullus vehebatur) non solum navem meam salvam in portum vestrum reduxi, sed etiam Nausimachi Phrearrhii navem, quam e periculo et manibus hostium eripueram. Felicitatem hanc atque laudem propriam non secundæ fortunæ temeritati, sed sapientiæ institutorum meorum debeo: habebam enim toto illo mei trierarchatus spatio mecum liberalitate mea obstrictum Phantiam gubernatorem, qui Græcorum omnium gubernator dexterrimus atque felicissimus tum habebatur; sed remiges quoque comparaveram isto gubernatore dignos paremque illis reliquam navalium ministrorum familiam. Vera hæc a me dici, nostis quidem vos omnes, quotquot tum temporis militiam ibi locorum tolerabatis; verumtamen cita tu mihi Nausimachum.

TESTIMONIUM.

Naves universæ isto e prælio servatæ sunt numero duodecim, quarum unus ego duas opera mea servatas in portum vestrum retuli, meam atque Nausimachi triremem.

3. Pro tot igitur tantisque discriminibus vestri causa toleratis ornamentisque a me in remp. collatis, rogo nunc non munus, ut reliqui rogare solent, sed licentiam solummodo fortunas meas imposterum salvas possidendi, existimans non mihi majori quam vobis

dedecori futurum, si vos mihi sive volenti sive nolenti per vim et nefas bona mea eripiatis. Jactura quidem ipsa bonorum haud adeo me sit cruciatura: sed vitam haud merear ut contumeliam accipiam, muniaque sumptuosa defugientibus creetur opinio, quæ in remp. erogarim, ea mihi sine gratia perisse, ipsos autem recto usos consilio, facultatum suarum prorsus nihil in vos impendisse. Quodsi ergo me audietis, et æquam justamque feretis sententiam et vobismet ipsis fructuosa atque salutaria præferetis. Vectigalia publica, judices, videtis quam sint exigua, et illa ipsa tam exigua quam misere turpiterque ab administratoribus furtisque et rapinis discerpantur; ut verum videantur hi cernere, qui statuunt, certissima vobis vectigalia esse facultates volentium munera edere. Quodsi ergo saniorubus uti voletis consiliis, nostram, quotquot cives vestri sumus, rem familiarem haud minore cura diligentiaque tuebimini atque vestrum suam quisque propriam tuetur, certi cum sitis, nostra si nobis relinquatis, posse vos iis imposterum quoque perinde uti atque pridem usi estis: omnesque vos certos arbitror esse, me facultatum mearum multo diligentiorem atque fideliorem fore quæstorem quam vestri quæstores sunt in bonis publicis administrandis. Sin autem mendicum me reddideritis, non me solummodo læseritis, sed una vosmet ipsos quoque fraudaveritis: fructus enim hujus iniquitatis ad vos non perveniet, sed alii una cum reliquis bonis vestris etiam hæc nostra concerpent et inter se partientur.

4. Etiam hoc par est vos considerare, multo magis vos decere, bona vestra mecum communicare quam de meis mihi controversiam movere, et commiseratione potius me amplecti nudum et spoliatum quam divitiis affluentem invidentia insectari, votaque palam ad deos facere ut hac in civitate largum exsistere jubeant proventum civium mei similium, qui perinde cupiditatem suam ab alienis compescant, quam sua in vos erogare ardeant. Quam statim dicam sententiam, ejus duritie et asperitate nolim vestrum quemquam, judices, offendi; vera enim est, ut ego equidem interpretor: quæsitores vestri multo mihi videntur rectius facturi, si vos in tabulas publicas referant ut debentes mihi, quam fecerunt, cum me in discrimen causæ pro me dicendæ adduxerunt quasi ego vestrorum bonorum partem meam per nefas fecissem. Ita enim me adversus remp. gero, ut privatim parcam, publice autem gaudeam largus et liberalis esse: non de reliquiis fortunarum mearum ita superbio, quam de largitionibus ad vos a me profectis glorior, existimans harum quidem gloriam propriam mihi atque perennem esse, illas autem me his debere qui mihi reliquerunt, et ob fortunas quidem a calumniis inimicorum me per nefas exagitari litibus molestis et injustis implicatum, ob largitiones autem mereri veniam a vobis atque absolutionem in causis capitalibus. Consentaneum et æquum si

fieret, non laborarent nunc alii deprecationibus me vestræ iracundiæ eripere, sed esset potius mea tanta apud vos auctoritas et gratia, ut, si quis amicorum meorum ejusmodi certamen quale hoc meum est haberet decertandum, vos eum mihi poscenti condonaretis; aut, si causa capitis ipsi mihi peregrino in foro esset dicenda, vos per legatos pro me apud illos extraneos deprecaremini. Ne ista quidem criminari licet, multos honores me gessisse per quos de vestro crevissem, neque turpibus de causis me in jus vocatum esse, aut dedecus aliquod vobis contraxisse, aut publicis malis delectatum esse: universe privatimque publiceque ita me gessi, ni fallor (et fidenter ad conscientiam vestram provoco), ut purgandæ vitæ ante actæ ergo nil opus sit me multa verba facere. Quocirca vos rogo, judices, ut eadem de me nunc quoque quæ pridem existimetis, neque solum sumptuosorum munium quæ pro vobis gessi recordemini, sed etiam morum meorum studiorumque vitæ omnis meæ privatæ, arbitrantes functionem hanc unam omnium esse multo molestissimam, ut a puero inde usque ad calcem vitæ pudentem te atque temperantem præstes, et neque a libidine te quapiam vinci neque a cupiditate illici et aufferri patiaris, sed ita te geras, ut civium nemo neque de te queratur neque audeat in jus te vocare.

5. Nequaquam ergo convenit, judices, auctoritati accusatorum vos tantum deferre, ut nos condemnetis ab hominibus projectæ audaciæ accusatos, qui per sacrilegia quorum rei aguntur ad istam potentiam istasque ad opes grassati sunt, et tanta protervia ipsi semet fidunt, ut, cum purgare crimina in se intorta nequeant, ipsi ultro alios accusationibus lacessere sustineant. In castris tam raro versantes, ut Cinesias ipse in ista valetudine mollitieque corporis muliebri tamen crebrius arma gesserit, tam acres se ferunt patriæ propugnatores stomachoque tam gravi injurias ejus ultum eunt. Nihil de suo conferentes quo respublica amplior fiat atque beatior, nullum non movent lapidem ut vos adversus viros fortes optime de republica meritos irritent atque exacerbent. Mores utinam ipsi suos in concione deprædicent! neque enim habeo quod ipsis imprecer gravius malum. Ego vero vos, judices, modis omnibus oro quæsoque et supplex obsecro, ut nolitis me largitionum acceptarum eoque corruptorum judiciorum reum pronunciare, sed potius existimare nullas esse tantas opes quas merere velim, ut per me pestis aliqua patriæ consciscatur. Insanirem enim profecto, si ego, qui gloriæ studio incensus facultates ad patriæ inserviendum exhauserim, largitiones acciperem quo eidem patriæ molestia creetur. Veritate suffragante nil dubito de me ita prædicare, ut aiam, ita me de vobis esse meritum ut, si optabile sit benefactoribus judices habere eos quibus ipsi bene antea fecissent, non videam, quos malim alios de me sententiam quam vos dicere.

Porro, judices, — juvat enim hoc quoque commemorare — nunquam pertæsus sum in vos sumptus facere; neque metus meum cor incessit ne, quo plus in vos erogavero, hoc indigentiores sim meos necessarios relicturus, sed istud mentem meam multo vehementius commovit, si a vobis imperata minus prompte minusque libenter exsequerer: neque miseratio me unquam cepit si vitæ periculum in pugnis navalibus adeundum mihi esset, non lacrymavi tunc, non uxoris, non liberorum subiit recordatio, neque grave et acerbum duxi, si pro patria occumbens liberos orbos patre destitutos essem relicturus, sed illa me multo magis ussit sollicitudo, si quærenda turpi modo salute mihique ipsisque probra injungerem. Cujus meæ erga vos voluntatis nunc præmium vos deposco, æquum censens, pro eo atque ego erga vos fuerim animo, periculis caput pro salute vestra objiciens, vos nunc, in tuto cum sitis, mei meorumque liberorum salutem in periculo versantem vobis ante alia omnia tuendam ducere; existimantes, nobis quidem acerbum, vobis autem turpe fore, si ejusmodi ob crimina debeamus infamiæ notam suscipere, aut exuti fortunis in magna rerum multarum indigentia circumcursitare mendicantes, quæ res futura sit vobisque indigna nostrisque de vobis meritis. Neutiquam, neutiquam, judices, sed absolvendo nos facite potius, ut imposterum quoque tales nos habeatis viros, quales olim habuistis.

LYSIÆ

CONTRA DARDANARIOS

ORATIO.

1. Multi me convenerunt, judices, qui se mirari dicerent quod ego frumentarios coemptores in senatu accusassem, auctoresque mihi essent, tametsi eos flagitiosissime censeatis agere, censere tamen vos, accusatores eorum nihilo ipsis esse æquiores, sed ab his illos iniqua causa opprimi. Exponam itaque primo loco, quid me coegerit hos accusare.

2. Prytanes his de hominibus ad senatum cum retulissent, tanta exarsit senatus in eos iracundia, ut essent in oratoribus, qui senatui auctores fierent, ut frumentarios indicta causa morte mulctandos undecimviris traderet. Ego vero grave et indignum ratus, senatum hoc modo assuefieri pœnarum extremarum præcipitandis exsecutionibus, cum assurrexissem, dixi me censere, adversus coemptores frumentarios oportere judicium ex formula processus forensis instrui, quod existimarem, vos, judices, frumentariis, si digna extremo supplicio fecisse fuissent convicti, non minus esse justa decreturos pœnamque meritis dignam irrogaturos, atque nos, senatores qui sumus: sin autem nihil deliquissent, non oportere eos indicta causa exitio dari. Qua oratione senatui approbata, erant qui me conarentur in invidiam adducere ac si studio frumentarios servandi hujus ego factus essem auctor sententiæ. Ego vero apud senatum quidem, cum istæc causa agitaretur, huic criminationi satisfeci: reliquis enim senatoribus tacentibus, cum assurrexissem, frumentarios ita accusabam, ut toti consessui planum facerem me pro iis non dixisse, sed legibus in republica nostra sancitis subvenisse. Has ego ob causas litem hanc exorsus sum: metuens autem a plebe criminationes, volo causam hanc in vestro quoque, judices, foro exsequi, existimans, turpe mihi fore, eam prius a me omitti quam vos de ea pro arbitrio vestro pronunciaveritis.

3. Adscende tu mihi primus omnium et dic mihi, inquilinus es? Sum. Juribus inquilinatus frueris ea lege ut pareas legibus civitatis, an ut facias quæcunque allubescit? Ut paream. Aliam

ergo tibi pœnam convenire nullam censes quam mortis, si constiterit te commisisse aliquid ejusmodi in quod leges pœnam mortis sanxere? Nullam aliam. Responde ergo mihi, faterisne te frumenti plus coemisse quam leges permittunt, quæ leges quinquaginta tonnas coemi permittunt? Ego plus coemi quam leges permittunt, at jussu magistratuum.

4. Jam absolvite hunc, judices, ubi legem protulerit, jubentem frumentarios eam granorum copiam coemere quam magistratus imperarit: quod si minus potuerit facere, vos eum condemnare oportet. Nos enim legem vobis exhibuimus, vetantem hac in urbe commorantium quenquam frumenti plus quinquaginta tonnis [vel doliis] coemere.

5. Oportebat quidem, judices, hæc hactenus dicta ad accusationem sufficere, reo crimen confitente, et lege factum id vetante quod hic se commisisse fatetur, vobisque jurejurando obstrictis sententiam ex præscripto legum dicere: verumtamen quo vos de hoc quoque certi siatis, hunc frumentarium mendaci calumnia magistratus infamatum isse, necesse habeo hoc de loco pluribus agere. Frumentariis nempe culpam in magistratus [rei annonariæ tuendæ atque regendæ præfectos] conferentibus, arcessebamus [nos prytanes] magistratus, eosque interrogabamus quid id rei esset. Tum duo quidem plane negabant se causæ hujus quicquam tenere: Anytus autem aiebat superiori hyeme, cum in annonæ caritate frumentarii alii alios plus licendo superare contenderent interque sese certarent atque rixarentur, auctorem se ipsis esse factum ut desinerent contendere, existimantem vobis ipsis, qui ab his frumentum empturi essetis, conducere, quam vilissimo vos emere; non enim licere frumentariis carius obolo in modium quam ipsi emissent vendere. Quo itaque vobis constet, Anytum hujus sententiæ auctorem ipsis esse factum, non quo frumentum a se coemptum reconderent, sed solummodo ne in coemendo se mutuo superatum atque perditum irent, ipsum ad vos Anytum producam. Ecquis jam neget, Anytum quidem, sedente adhuc superioris anni senatu, hujusmodi oratione fuisse usum, hos autem frumentum hoc coemisse consilio, ut id rursus hoc anno, hoc qui nunc sedet senatu, carissimo venderent?

TESTIS.

Audistis hos magistratum jussu frumentum non coemisse: at fac tamen eos vel maxime vera prædicare: quid tum? non purgantur istiusmodi excusatione, sed hoc agunt, quod ad rem minime pertinet, ut criminis sui pœnæque communione magistratus implicent. Legibus enim ita destricte atque diserte edicentibus, qui fiat ut pœnas a legibus constitutas effugiant, sive qui facto per se sive qui per alios auctoritate in leges impingunt?

6. Verumtamen ne ipse quidem suspicor eos ad hanc latebram esse receptum habituros; at nescio an coram vobis quoque, prout in senatu fecerunt, jactaturi sint suum vestri studium dicturique se benevolentia erga civitatem actos frumentum coemisse, quo possent id vobis quam vilissimo vendere. Sed eos in hoc mentiri, cum aient, documento planum faciam imprimis gravi atque perspicuo. Vestri enim caritate si fecissent, oportebat eos frumentum a se coemptum plures per dies eodem pretio vendere, donec coemptæ copiæ defecissent: jam vero medimnum persæpe eodem die drachma carius vendebant, quasi medimnatim coemissent. Cujus rei vos ipsos testes appello. Miram enimvero atque incredibilem inconstantiam atque repugnantiam in modo, quo hi suam erga vos voluntatem, si dis placet, declarare contendunt. Quum collationibus pecuniariis conferendis amor erga vos declarandus ipsis est, tum conferre recusant, paupertatem excusantes, quamquam gloriam mereri sic possent, fama liberalitatis ad multos permanante: cui autem crimini leges mortis pœnam præfiniunt, id crimen summa cum cautione atque latendi diligentia committentes, quod latere ipsorum intersit quamplurimum, gloriantur id se vestri studio facere. Atqui vos omnes nostis, his omnium minime convenire, ut studeant in vestræ caritatis excusatione delitescere. Eccui enim minus, quam his, convenit bene vobis velle atque ut res vestræ prospere vobis succedant in votis habere, quorum tam separata sunt emolumenta rationesque a vestris, ut e damnis vestris ipsi crescant? lucrantur enim tum quamplurimum, quum nuncio publicæ alicujus calamitatis acceptæ civitas conterretur: tunc frumentum carissimi vendunt. Tam sunt malorum vestrorum avidi iisque tam delectantur, ut non solum vera et reapse vobis cœlitus immissa aut quacunque alia fraude oblata mala primi omnium sciant atque in famam emittant, sed et veris deficientibus ipsa falsa comminiscantur quo ingentia annonarum pretia in vanum vobis territis extorqueant: rumores spargunt a se confictos, classem frumentariam in Ponto naufragio perisse, aut e Ponti faucibus egredientem a Lacedæmoniis interceptam esse, aut emporia clausa, aut induciis renuntiatum iri; eo denique procedunt inimicitiæ, ut una cum hostibus certatim vobis insidientur. Frumento enim cum maxime indigetis [classe hostium portus vestros obsidente commeatuumque importationes impediente], tum hi maxime frumentum horreis clausum tenent, tum vendere nolunt, ne scilicet de pretio frumenti secum decidamus, sed cupide atque cum congratulatione redimamus quantivis indicent: quo fit interdum, ut ipsa tenente pace ab hisce patriæ hostibus veluti obsidione premamur machinisque convellamur. Dudum est ex quo civitas horum hominum nequitiam et erga vos malevolentiam sensit eique obicem ponere cavit: satis

enim habens aliarum rerum omnium venalium inspectionem unis ædilibus demandare, huic uni generi quæstus exercendi peculiarem magistratum præfecit. Sunt hi sitophylaces, sic dicti, seu specierum annonariarum custodes, quos per sortem creatis. Hos sitophylacas sæpe vos, cum vestri cives essent, tamen extremis suppliciis affecistis, quod horum frumentariorum fraudes domare et coercere non valuissent. Atqui custodes furum si morte afficitis propterea quod fures satis compescere non potuerunt, ecquid fures ipsos pati, quas pœnas dare vobis oportebit?

7. Recordari quoque, judices, vos decet, fieri nullo modo posse ut hos absolvatis. Eos enim si absolvatis, qui ipsi fatentur se adversus mercatores conjurasse, incurretis in eam opinionis fœditatem, ut ipsi vos quoque peregrinis vestros portus frequentantibus insidiari videamini. Aliud enim quodcunque, non hoc, si excusarent, nemo haberet quod de vestra eorum absolutione quereretur; nam penes vos est, utris malitis credere, accusatoribus an reis sese purgantibus: jam vero qui faciatis, ut gravis et indigni facinoris notam effugiatis, si eos impune sinatis abire qui ipsi fatentur a se consciis et volentibus leges esse violatas? Recordamini, quæso, judices, quam multos hoc ipso de genere hominum morte mulctaveritis, qui cum hoc ipso de crimine, quo nunc hi, fuissent in judicium vocati, infitiando subterfugere studuissent suæque innocentiæ testes adeo coram vobis produxissent; accusatorum nempe criminatio credibilior vobis reorum infitiatione videbatur. Atqui quomodo res sit non miranda, si jus eodem de crimine dicentes, reos punire malitis infitiantes quam ipsos confitentes?

8. Præterea, judices, nullum est genus certaminum forensium, e cujus dextra sinistrave disceptatione enascens emolumentum detrimentumve magis ad universam civitatem pertineat, quam hoc genus: quærent itaque cives atque noscitabunt, quæ vestra sit hac de causa sententia: existimant nempe, mortis quidem pœnam in hos reos si decernatis, reliquos etiam hac de familia pudentiores imposterum fore; sin autem hos sine damno abire sinatis, effrenem licentiam vestro exemplo dedisse his furibus videbimini pro libidine sua grassandi. Verum oportet, judices, non ob peccata solum jam commissa punire, verum etiam exemplis statuendis terrorem post futuris injicere: nam aut hoc pacto aut nullo consequemini ut sint tolerabiles. Quamquam vel sic quoque vix erunt. Recordamini, judices, etiam hoc: nullo ex alio hominum ordine plures, quam ex hoc, causas capitis certarunt. Tam spissa lucrantur ex isto quæstu frumentario, ut quotidie pericula capitis adire malint, quam finem modumque imponere cupiditati turpissimis et iniquissimis artibus vos defraudanti atque expilanti. Ne si lamentabiliter quidem supplicent atque obsecrent, recte commiserationi locum dederitis:

multo sit satius, vos miserorum civium, quos horum sicariorum cupiditas jugulavit, miserari sortem, nec non mercatorum, quorum in capita fortunasque hic furum globus conjuravit; iisque debitas pœnas ab his repetere, eoque pacto et gratiam a mercatoribus inire et eos ad annonas huc convectandas multo reddere lubentiores atque paratiores. Sin minus, certo futurum existimate, ut mercatorum quoque animos occupet eadem opinionis fœditas, atque, id quod modo dicebam, vestra absolutio horum nebulonum in civium animis creatura videtur. Ecquid enim aliud, quam vos cum furibus colludere, censebunt mercatores, audientes, eos mangones specierum annonariarum a vobis absolutos esse, qui ipsi fassi sint se navicularíis insidiari?

9. Nescio jam, quæ plura disputare debeam: nam aliorum quidem reorum crimina necesse factu vobis est, ut ab accusatoribus doceamini, horum autem improbitatem ipsi vos omnes jam dudum nostis. Quod si ergo hos condemnabitis, una juri æquo satisfacietis et frumenti pretium minuetis; sin minus, accendetis.

LYSIÆ

CONTRA PANCLEONEM

HUNC NON ESSE PLATÆENSEM

ORATIO.

1. Multa, judices, hac de causa disputare, neque scio neque opus esse arbitror: recte autem a me in hunc Pancleonem susceptam esse actionem hoc ex titulo, quod Platæensis non sit, quem se fert, id vero nunc planum vobis facere studebo.

2. Hic Pancleon itaque cum diu me vexasset injuriasque dandi finem nullum faceret, accessi ad ergastulum fullonium in quo mercenariam operam navabat, diemque dicebam qua essem cum eo in foro Polemarchi acturus, jubens ea die adesse causam dicturum: opinabar enim inquilinum esse. Recusante autem illo atque negante forum illud esse sibi competens, qui non inquilinus sed Platæensis esset, interrogabam, quonam ergo in demo seu municipio domicilium haberet et cuinam esset demo adscriptus: inter hæc amicus, ex iis quos mecum sumpseram ut de actis testarentur, auctor mihi fiebat, ut illum eam quoque apud tribum, unde se Pancleon oriundum esset laturus, denunciarem. Cui admonitioni parui. Illo itaque respondente se Decelea esse oriundum, citabam eum ad judices tribus Hippothoontidis: post ad tonstrinam ibam, ubi Deceleenses convenire solent: ibi sciscitabar, nec non si quos alibi Deceleenses indagarem, num nossent aliquem Pancleonem, qui se e municipio ipsorum oriundum ferret. Negabant omnes nosse. Unde cœpi certior esse, non Platæensem sed peregrinum esse: quo cum accederet, quod audirem ab aliis quoque hunc hominem apud Polemarchum fuisse delatum, illarumque litium alias adhuc pendere, alias jam esse decisas, sed ita ut ære mulctatus abisset, ego quoque nullus jam dubitavi nomen ejus ad idem forum deferre. Primum itaque testes ego vobis exhibebo Deceleensium eos, qui se nosse negarunt Pancleonem municipalem suum esse; deinde, quotquot in urbe jam adsunt ex iis, qui lite adversus eundem instructa perfecerunt ut condemnaretur. Tu mihi aquam inhibe.

TESTES.

3. Tenetis jam causas, judices, quibus ego motus eum in foro Polemarchi in jus vocavi: illo autem, opponenda exceptione fori haud competentis, hoc judicium eludente, cœpi multo etiam quam ante acrius in veri fontem inquirere, cavendum mihi ratus, ne cuiquam arrogantia et protervia elatus contumeliosa calumnia hominem insontem vexare magis quam ab inimico pœnas injuriarum mihi debitas repetere viderer; omnium itaque primum Euthycritum, quem Platæensium noram vetustissimum, suspicatus eum rem optime tenere, interrogabam, num quem nosset Hipparmodori filium Pancleonem Platæensem? bene quidem, aiebat Euthycritus, Hipparmodorum, filium autem ejus neque Pancleonem nosse neque alio quocunque nomine appellatum. Accepto hoc responso, pergebam alios quoque quos esse Platæenses noram interrogare. Verum omnes, negantes se nomen hoc nosse, ablegabant me, si vellem quam expeditissime atque exploratissime certior hujus rei fieri, ad forum illud ubi recens caseus vænit: illuc enim mensis cujusque Calendis Platæenses omnes convenire. Servata die, Platæenses ibi congressos interrogavi, num quem nossent civem suum Pancleonem. Reliquis tum omnibus infitiantibus, tandem tamen unus eorum aliquis mihi confirmabat, civem quidem se nullum nosse sic dictum, at esse sibi servum fugitivum hoc nomine: addebat dictis ætatem et staturam hominis artemque quam factitaret. Hæc vera esse quo certi sitis, Euthycritumque quem primum percontatus sum, et reliquorum Platæensium ad quoscunque adii, et illum ipsum Nicomedem qui se dominum Pancleonis tulit, testes exhibebo. Inhibe tu aquam.

TESTES.

4. Diebus haud multis post videns ego Pancleonem hunc ab hoc ipso Nicomede, qui modo testatus est se dominum ejus esse, in servitutem redigi, volens cognoscere quid rei esset, accessi. Longam et acrem post rixam, erant qui affirmarent Pancleoni fratrem esse, qui eum in libertatem esset vindicaturus: super hoc præstito vadimonio hominem quandocunque postuletur exhibitum iri, discessum est in forum. Postero die ego quoque in foro aderam cum testibus, cum protestationis ergo qua Pancleon actionem in se meam amolitum ierat, tum actionis qua Nicomedes eum in servitutem redactum ibat, quo cognoscerem qui causæ hujus esset futurus eventus, et quisnam eum esset in libertatem vindicaturus et quibus argumentis. Verum neque prætensus ille frater aderat, neque fidejussorum quisquam qui pro eo caverant et quorum ob speratam

condictamque in foro præsentiam illa sponsio superiori die acceptata fuerat: muliercula solummodo quædam aderat, aiens eum servum esse suum, super eoque cum Nicomede contendens atque negans se Nicomedi concessuram Pancleonem in servitutem agenti. Longum sit tum dicta enarrare: verum, tametsi et Nicomedes eum vellet missum facere et mulier item, si quis alius eum aut in libertatem assereret aut servum suum esse contenderet, eo tamen violentiæ atque furoris procedebant ut abirent cum homine vi extorto atque abrepto. Vobis itaque, judices, quo constet vera esse quæ dico, scilicet, et pridie fidejussores de ipsoque homine sistendo et de fratre libertatis vindice producendo cavisse, et tum die postero advocatos ejus vi manuque foro et manibus litigantium eum eripuisse et secum abduxisse, harum rerum testes vobis dabo. Tu autem inhibe aquam.

TESTES.

Perspectu jam facile est, Pancleonem ipsimet sibi videri non modo non Platæensem, sed ne ingenuum quidem. Qui enim eo, quod passus est se vi manuque foro et arbitrio judicum extorqueri, amicos in discrimen causæ de violentia illata dicendæ conjicere maluit, quam via juris æqui in libertatem vindicatus ab iis pœnas repetere qui se in servitutem actum issent, difficile arbitratu non est, eum servilis suæ sibi conditionis probe conscium fuisse, eoque metuisse fidejussoribus datis periculum judicii de ingenuitate adire.

5. Ex his ferme vos omnes intellexisse, judices, arbitror, multum abesse ut Pancleo Platæensis sit: verum, ut ipse semet optime norat, ita desperavit quoque unquam futurum ut vobis persuaderet, ut Platæensem esse suspicaremini; id quod aperte institutis suis prodidit. Aristodicus enim hic, quem inter testes meos coram cernitis, judices, hunc eundem Pancleonem actione apud polemarchum aliquando persecutus est. In ἀντωμοσίᾳ hujus causæ juratus confirmabat Pancleo se Platæensem esse eoque se necessitate coram polemarcho standi nulla teneri; testis autem ab Aristodico contra eum productus juratus negabat eum Platæensem esse; huic testi Aristodici denuntiabat quidem Pancleo falsi dicti testimonii actionem, verum actionem illam exsecutus non est, sed æquo animo tulit se ab Aristodico reum peractum mulctæ condemnari. Cui mulctæ luendæ dictam diem exire passus ære non depenso, superdiarius factus est; et Aristodico propterea supellectilem ejus domesticam diripere parante, tandem cum eo conditionibus quas impetrare potuit commodissimis decidit, et sic mulctam solvit, impetrata ab actore qualicunque remissione. Vera hæc esse testes confirmabunt a me exhibendi. Inhibe tu aquam.

TESTES.

6. Verum ante quam hæc decisio coalesceret, metu Aristodici, Thebas hinc auffugerat Pancleon, ubi pro inquilino diu habitavit. Atqui vos omnes scire, judices, arbitror, si vere Platæensis esset Pancleon, consentaneum fuisse, ut quocunque alio terrarum in angulo latitare mallet quam Thebas concedere. Thebis autem diu Pancleonem habitasse, quo certi sitis, audite hos testes. Inhibe tu aquam.

TESTES.

7. Sufficere hæc mihi dicta, judices, arbitror; quæ si memoria tenebitis, certus sum vos ea scituros esse, quæ cum vera et æqua sunt, tum ego vos oro quæsoque ut sciscatis.

LYSIÆ

ADVERSUS DELATIONEM

QUOD PECUNIA PUBLICA EI COLLATA ESSET

QUI IMPOTENS NON ERAT

ORATIO.

1. Multum absum, senatores, ut irascar huic accusatori, ut gratiam potius ei habeam, qui certamen hoc mihi compararit. Qua enim antehac carebam opportunitate legitimaque causa omnem meæ vitæ rationem coram vobis explicandi, eam nunc per hunc adeptus sum. Conabor itaque hac oratione planum facere, hunc quidem mentiri, me autem ad hoc diei vitam egisse eam, ut laude sim quam invidia dignior. Nam invidia ductus, nullaque alia de causa, videtur hic homo me hoc in certamen detrusisse; quanquam iis qui invidet, quorum alii miserentur, ecquod ille flagitium unum omnium vobis abhorrere videtur? Quanquam cur mihi invideat, ego equidem nil causæ cerno. Nam si opum causa, nullæ mihi sunt; et si ait esse, injusta me calumnia it oppressum: sin autem simultatem nescio quam suam mecum prætendit, eaque se impulsum ait ad hanc litem mihi movendam, pariter mentitur; ea enim est ejus improbitas, ut tota mea vita caverim rei quicquam cum illo commune habere; neutram in partem eo sum usus; neque amicum neque inimicum unquam eum habui. Eccur itaque tandem, Senatores, ita mihi invidet? Nam se mihi invidere tam apertis prodit indiciis, ut infitiari nequeat. Dicam vobis. Virtute ipsi præsto. Usus hac quam videtis calamitate, civis tamen sum illo fortior atque honestior; et semper studui esse, ratus oportere labes corpori a sinistra quadam fortuna oblatas mentis laudibus corrigi. Neque mei me consilii pœnitet, sed rectam me viam tenuisse persuasum mihi habeo: mens enim si mihi sit, perinde atque corpus est, vitiosa atque mutilata, et morum pravitate si huic præstem? non sim perinde turpis futurus et abominabilis, atque hic est?

2. Sed hæc hactenus. Ipsam nunc ad causam accedamus; de qua quam brevissimis potero, conficiam. Accusator nempe obolum a rep. adhuc mihi præbitum negat fas esse imposterum præberi, sed ait denegandum esse: corpus mihi validum et robustum esse;

titulum ergo ἀδυνάτου, seu invalidi, cujus prætextu stipem illam adhuc percepissem, mihi nullo modo competere: præterea me artem tenere atque exercere tam fructuosam, ut ea vel sola, etiam sine illo stipendio, me possit alere. Et argumentis utitur, ad corporis quidem robur demonstrandum, hoc, quod alias in equos non sim adscensurus; ad docendum autem quæstum ex arte me facere satis uberem ad vitam sustentandam, istoc, quod consuetudine utar hominum sumptuosorum et prodigalium. Quæstum quidem ex arte mea vitamque reliquam, quæ sit, nostis, senatores, ni fallor, vos omnes: dicam tamen nihilominus paucis. Pater facultatum mihi nihil reliquit, dudum vita defunctus; matrem hoc triennio ante demum defunctam de meo ad vitæ finem usque alui; liberi nondum sunt, qui curis suis meo corpori de victu cultuque necessario prospiciant. Artem, quam sterilem parumque fructuosam exerceo, incipio jam obrepente senio ægre exercere; neque comparcere mihi adhucdum potui tantum æris, unde servum emerem, quem eam artem docerem eoque adjutore in illa exercenda uterer. Vectigal mihi nullum est aliud, præter hanc stipem, qua si me privetis, periclitor de sorte dirissima subeunda. Quapropter penes vos cum sit, senatores, ita me servare, ut una jus et fas quoque servetis, nolite me ita perdere, ut eo facto vosmet ipsi summo scelere obstringamini; neque detrahite mihi nunc seniori et invalidiori facto id, quod olim juniori adhuc atque valentiori dabatis; neque sinite ab hujus accusatoris mei calumniis ita vos incitari atque in furorem agi, ut crudelibus modis accipiatis eos, quorum miseria vel ipsos inimicos ad commiserandum flexura sit, postquam olim erga eos ipsos adeo, quibus corpus nulla deformatum esset labe, mirifice misericordes fuissetis; neque reliquos pari sortis adversitate mecum usos ad mœstitiam atque desperationem adigite, id quod facturi sitis si mihi injuriam offerre sustineatis. Foret utique abhorrens, vos, senatores, quam stipem me olim passi estis a rep. ferre, cum calamitate adhuc simplici premerer, eam mihi hoc tempore ereptum ire, quo ad illam olim simplicem calamitatem [artuum mutilationem] geminum aliud accessit malum, senium et morbi cum tota cohorte malorum illinc exsistentium. Paupertatis meæ magnitudinem vel solus videtur accusator meus docere posse omnium liquidissime. Fac me, choregum tragœdiis nuncupatum, illi conditionem offerre fortunarum permutandarum. Quid tum? Vel decies malit choregi partes agere, quam semel fortunas mecum permutare. Ecqui ergo grave non sit accusatorem jactare audere, me ob quæstus ubertatem cum locupletissimis versari atque prodigalitate certare, qui accusator, si quod dixi eveniat, tam se sit iniquum et multo etiam nequiorem exhibiturus?

3. De gestatione mea in equo quod eum nihil puduit ad vos commemorare, neque ultricis fortunæ metu absterritum neque vultus

vestri reverentia repressum, necesse habeo me purgare; potero tamen brevis esse. Quibuscunque, senatores, hujusmodi quædam obtigit corporis labes, hos omnes arbitror hoc quærere, meditari, circumspicere, ut aliquam inveniant machinam, per quam ista labes sibi fiat versatu atque toleratu quam expeditissima minimaque cum molestia quasi habilis. Quorum in numero cum ego quoque essem, offensione sinistræ fortunæ debilitatus, hanc mihi machinam excogitavi, qua molestias itinerum allevarem quæ suscipienda mihi sunt paulo longiora, quam sunt illa quotidiana et inevitabilia [in forum et ad familiares in urbe, quo pedibus ligneis fultus commeare soleo]. Equus est illa machina, in quem inscendo, non, quod hic ait, superbia tumens, non insolentia gestiens, sed ob paupertatem, id quod perspectu facillimum est, senatores, vel unum hoc recogitanti. Facultates amplæ si mihi essent, astraba [h.e. sive mulo, sive petorrita], gestarer, non autem in equis alienis precario sumptis: quia vero vehiculum hoc beatorum hominum comparare mihi ære meo non possum, sæpe necesse habeo equis alienis uti. Annon erit inconsentaneum, senatores, quod in equos adscendam mutuo rogatos, ex eo accusatorem contendere vobis persuadere, me δυνατὸν esse [valentem et corpore et opibus] eoque privandum beneficio legis, solos ἀδυνάτους, invalidos, ad stipis fructum admittentis; qui accusator idem si me videat astraba [mulo, vel petorrita] vectum, haud sit hisciturus. Ecquid enim dicat tandem, etiamsi oggannire velit? Quod geminis nixus inambulem scipionibus, cum alii singulis incedant nixi, vitio id ille mihi non dat; neque argumento hoc utitur ad persuadendum me in numero τῶν δυναμένων [potentium atque valentium] esse: equis autem quod vecter, ex eo colligit, hoc in censu me haberi oportere, quanquam causa non est eadem ob quam ego baculis incedo geminis nixus, atque ob quam divites incedunt nixi singulis.

4. Videte, quo impudentiæ processerit hic homo, et quantum furore quotquot sunt homines omnes vicerit, qui, unus cum esset, vobis, senatores, tot numero qui sitis, persuadere tamen ausus sit, invalidorum in numero me non esse habendum. Atqui vobis hoc si persuaserit, quid impedit, quominus in novem archontibus sortiar? quid impedit, quominus obolum, mihi ut valido ademptum, huic ut invalido sententia vestra addicatis? Non enim profecto judicio vestro tam aperte refragaturi videntur novem archontes, ut, cui vos stipem adhuc ceu invalido indultam, rursus tamquam valido subito facto denegaveritis, eundem ipsi a sortitione sui collegii ceu adhuc invalidum, ut pridem, arceant. Sed bene habet: res in salvo est. Non eodem vos, atque hic, furore agitamini, neque rursus hic perinde sapit atque vos; de quo ei congratulor, dignus enim est qui a vobis dissentiat: vos sanæ mentis estis compotes, hic cerritus est. Quid enim? Quasi mutilatio pedum puella quædam nubilis,

orba, dives sit, de qua domum ducenda atque habenda multi inter se in jure contendant, ita hic venit mecum litigatum vobisque persuasum ita debilitatum mihi corpus non esse atque vos omnes esse videtis. Vos autem idem mihi facturi videmini, quod faciunt omnes quibus mens recta constat, ut vestris potius oculis quam hujus orationi credatis.

5. Contumeliosum autem me cum ait esse rixosumque et violentum atque petulantem, in ista quam cernitis mei corporis debilitate, ludos sibi de vobis facit, pro puerisque vos ridet, quasi fidem ipsi sitis habituri formidabilem me appellanti nullam, si admodum mitem. Ego vero vos autumo, senatores, probe debere dignoscere, quænam hominum genera par sit per naturam rerum ad insolentiam efferri, et quibus rursus negata sit protervia. Mendicos rerumque omnium egentes haud est consentaneum lascivire, sed eos, quibus multo plura supersunt quam vita postulat sustentanda; neque, quibus corpus est imbecillum, sed lacertis et nervis maxime fidentes; neque provectos ætate marcidosque, sed juvenes adhuc corporibusque animisque vigentes. Divites enim pericula forensia de vi facta nummis datis emercantur; pauperes autem ab egestate coerciti necessario manus continent atque modestiæ student: juvenes si quid ætatis ferocia ablati deliquerint, facile veniam a senioribus impetrant; reliquis autem insolescentibus succensent, objurgantque ambo pariter, tam senes quam juvenes: valentes viribus ubi alios verberibusque commulcarint aliisque contumeliis dedecorarint, ipsi possint illæsi abire; imbecilli autem, neque aggressores ulcisci possunt, neque, in mentem ipsis ubi venerit aliis injuriam offerre, non succumbere. Accusator itaque proterviam mihi atque rixositatem exprobrans non serio agere, sed jocari, videtur; neque hoc agere, ut me talem esse vobis persuadeat, sed illud, ut me subsannet, quasi facinus id sit palma dignum.

6. Præterea quoque homines ait penes me convenire multos atque facinorosos, qui sua cum prodigant, tum bonis insidientur eorum qui sua tueri et salva servare contendant. Ego vero vos meminisse velim, senatores, hæc eum jactantem non me magis, quam reliquos omnes accusare qui artibus manuariis exercendis quæstum faciunt; neque eos magis qui me frequentant, quam eos qui officinas aliorum opificum. Unus enim quisque vestrum itare solet, alius ad tabernam unguentariam, alius ad tonstrinam, alius ad sutrinam calceariam, alius quocunque tandem quo animus quemque fert, plerique ad proxime forum habentes, paucissimi ad eos quibus non plurimum a foro distant officinæ, nulli prorsus ad hos qui longissime illinc habitant. Quod si ergo vestrum quis eos, qui ad me conveniunt, ideo pro improbis habet, paret eum idem esse de aliis quoque judicaturum, qui apud alios otium conterunt: sin autem hos quoque pro facinorosis damnat, constat universum popu-

lum Atheniensem ab eo damnari; omnes enim soletis aliquo convenire et ubi ubi tandem otium fallere.

7. Verum non video, quid opus sit me ad singula quæque criminationum capita insistentem iisque occurrentem molestiam vobis creare. Nam si gravissima quæque refutavi, quid attinet in iis serio contendere, quæ tam sunt futilia, atque totus homo ipse est? Ego vero vos, senatores, oro quæsoque omnes, ut quo pridem erga me fuistis animo et quam de me habuistis conceptam opinionem, eandem imposterum quoque servetis; neque hujus accusatoris calumniis decepti me privetis ea bonorum patriæ portione, quam solam mihi sinistræ fortunæ malignitas reliquam fecit. Præstigiis hujus hominis tantum ne tribuite, ut, quod dudum mihi ultro tribuistis, id rursus morem huic gerentes adimatis. Ut enim fortuna summis in patria honoribus me exclusit, civitas decreto suo exiguam hancce stipem mihi addixit asseruitque, rata, casus in utramque partem fortuitos esse communes omnibus. Qui ergo non sim omnium infelicissimus, si, quam largitionem civitas eorum sanxit in solatium qui simili mecum calamitate perculsi sunt, ea largitione me hujus accusatoris fraudet improbitas, tam diro ictum infortunio, ut propter id summis in patria honoribus carendum mihi sit?

8. Neutiquam, senatores, neutiquam sic ponite calculum. Ecqua enim mea culpa tantam vestræ severitatis iniquitatem meruissem? Num quod, me accusatore, mulctatus quisquam bonis universis ad mendicitatem decidit? Atqui nemo est, qui doceat, malum hoc ulli civium vestrorum a me datum esse. An quod alienarum rerum ad me nil pertinentium curiosus sum, et lingua protervus, et manu præceps, ferox, rixosus, ad suscipiendas simultates citus et susceptarum tenax? Atqui vita mea non utitur opportunitatibus ad hujusmodi scævitatem animi aut concipiendam aut nutriendam accommodatis. Sed forsitan quia intolerandum in modum contumeliosus, superbus atque violentus sum? Atqui ne ipse quidem accusator hoc affirmare ausit, nisi si hoc quoque mentiri velit, ut reliqua mentitus est omnia. At quia sub Trigintatyrannorum dominatu potens fui, eaque potentia ad civibus incommodandum abusus? Atqui vestra cum plebe Chalcidem quæ est ad Euripum profugi: in urbe manere quanquam licebat, malui tamen vobiscum discrimina capitis adire, nudus rebus omnibus. Insontem itaque me nulliusque mihi culpæ conscium, nolite, senatores, iisdem excipere modis, atque merito excipitis facinorosos multorum scelerum convictos: recordamini, me nunc neque ærarii publici rationem reddere quod nunquam administravi, neque honoris gesti quem nullum unquam gessi, sed de obolo certare. Quod cum feceritis, et vos æqua atque justa sciscetis, et ego rogatis potitus gratiam vobis habebo, et hic denique accusator discet, non infirmissimo cuique insidiari, sed similes sibi vincere.

LYSIÆ

DE AFFECTATA TYRANNIDE

APOLOGIA.

---

1. Vobis equidem, judices, lubentissimus ignosco, si, sermonibus hujusmodi, atque accusatoris sermo fuit, vestras aures personantibus, malorumque superiorum memoria vestros animos sauciante, animo sitis erga omnes pariter infesto qui tum in urbe manserunt: accusatores autem miror, si, privatarum cujusque suarum rerum omissa cura, alienarum satagentes; cum probe sciant, qui nostrum insontes sint et qui rursus multis sceleribus contaminati, tamen lucri cupiditate ducti, territare magis insontes calumniis atque emungere, quam vos docere, studeant, de omnibus, qui sub Trigintatyrannis in urbe manserunt, non idem vobis esse statuendum. Nam si, quæ sub illorum dominatu mala reipublicæ evenerunt, ea commemorant ad mei criminationem nil facere existimantes, sed eo solummodo jactant quo famam nescio cujus eloquentiæ aucupentur, næ illos ego admodum indisertos duco, qui ne centesimam quidem partem facinorum a tyrannis commissorum perstrinxerint: sin autem ista accusatorum inanis disputatio eo tendit quo me communicatorum cum tyrannis consiliorum atque scelerum insimulent, planum faciam, quæcunque illi adversus me protulerunt, ea omnia mera mendacia, et me talem esse qualis vel optimus quisque Piræensium [seu exsulum] fuisset futurus, si ista tempestate in urbe mansisset. Vos autem rogo, judices, ut ab hisce sycophantis diversa sentiatis. Horum enim opus est insontes in invidiam adducere; in eoque elaborant, sperantes ex eorum concussione quæstum se facturos spississimum: vestræ autem partes sunt, cum insontibus quibusque nullo discrimine civitatem vestram communicare; sic enim protetores forma reip. nuper a vobis instituta et nunc obtinens quam plurimos habebit. Rogo itaque vos et æquum censeo, judices, ubi vobis constiterit, ad plebem vestram a me noxiam nullam esse profectam, sed potius remp. a me multis modis et laboribus corpore meo toleratis et contributionibus pecuniariis ornatam atque sublevatam esse, ut vos tum mihi, si non plus, quanquam plus meruisse aio, hoc saltim minutum tribuatis, ut deteriore saltim loco me esse

ne sinatis, quam nullo scelere obligatos, ne dicam, bene de vobis meritos.

2. Sceleris autem nullius me reum esse, magnum hoc vobis esto atque grave documentum: ipsum memet si criminis commissi accusatores coarguere possent, non profecto me nunc ob tyrannorum scelera postularent, neque se decere putarent ob illorum facinora alios ab illis facinoribus disjunctissimos criminari, sed ipsos facinorosos ad pœnas dandum adigere: jam vero autumant iracundiam, qua publice adversus tyrannos exarsistis, adminiculum esse satis idoneum ad alios perdendum, etiamsi nullo facinore obstrictos. Ego vero perinde iniquum et inconsentaneum arbitror esse, sive tum fuerunt egregie quidam de republica promeriti, non eos, sed alios, gratiam illorum meritorum atque honores ferre, sive mala quidam vobis tum magnaque et multa conscivere, pœnas eorum non hos vobis dare a quibus illa mala profecta sunt, sed alios nullius offensionis nulliusque noxiæ datæ reos. Stultum sit, quin furiosum, amicorum animos insectationibus erga vos a vobis irritari, cum inimicorum satis et super habeatis, qui pro magno lucro sint reputaturi, insontes injustis calumniis adversus vos concitari.

3. Ut autem notam teneatis, judices, qua sontes ab insontibus facile dignoscantur, docebo vos, quosnam cives consentaneum sit paucorum principatum appetere, et rursus quosnam populari libertate delectari. Sic enim et vos statum causæ melius perspicietis, egoque hoc facilius atque certius hac defensione mea defungar, demonstraturus, e moribus atque institutis meis si fas sit, id quod esse palam est, animi mei erga plebem vestram habitum colligi, eos fuisse meos in utraque vestræ reipublicæ fortuna mores eaque instituta, ut suspicio atque infamia animi erga plebem vestram infesti a me debeat esse alienissima. Primum itaque hoc vestris animis proponite, judices, neminem esse, qui nascens secum in vitam inferat animum aut paucorum dominatui deditum aut popularis libertatis studiosum, sed prout cuique forma quæque gubernationis prodest, ita quemque eam constitutam velle: in vobis itaque, judices, haud minimum est situm, si vestra interest, vos studium atque caritatem ejus constitutionis quæ nunc obtinet quam plurimorum animis injicere. Quæ, ut disputo, ita esse, facillime vos e memoria rerum superiorum colligatis. Spectate modo, judices, ambarum constitutionum principes quoties animum mutarint. Non Phrynichus atque Pisander aliique istius familiæ, quos par erat partes plebis tueri cujus advocati essent constituti, tamen, a conscientia scelerum exagitati quæ multa et enormia commiserant, eoque metuebant ne pœnæ eorum sibi essent dandæ, priorem oligarchiam condiderunt? non in Quadringentorum numero fuere multi, qui postmodum inter reliquos exsules e Piræeo in urbem redierunt? non eorum, a quibus

horum Quadringentorum potentia convulsa fuit, permulti postmodum in collegium Trigintavirorum cooptati patriæ viscera dilaniarunt? Quid? quod ex illis ipsis, qui, nomen ad illam expeditionem professi qua tyrannos in Eleusine oppido conclusos oppugnatum indeque exturbatum ibatis, vobiscum in castra vestra urbe exierant, haud pauci illinc ad Trigintatyrannos transfugerunt, cum iisque obsidionem in illo quod dixi oppido tolerarunt. Unde haud est difficile perspectu, judices, dissidere homines inter se non super formis civitatum gubernandarum, sed super eo quod cujusque privatim interest. Hunc ad canonem oportet vos civium quemque judicare, inquirentes, qualem se quisque in democratia gesserit, et quodnam ad eum rediturum fuerit emolumentum e status civilis commutatione: nam sic demum æquissimam atque verissimam eorum facere licet æstimationem.

4. Quotquot ergo sub democratia aut infamia notati fuissent, eo quod honorum a se gestorum rationes censoribus approbare minus potuissent, aut proscriptione bonorum mulctati aut alio quopiam simili infortunio icti, illis omnibus ego arbitror fuisse consentaneum, ut novas res appeterent, sperantes in ea rerum commutatione portum se tutum esse inventuros: quicunque contra non modo plebem nulla læserunt noxia, sed eam potius tot tantisque ornarunt promeritis, ut plebem potius deceat illis præmia studii atque operæ referre quam pœnas ab iis repetere criminum ementitorum, in hos si quæ intorqueantur calumniæ, vos eas neque auribus neque animis admittere par est, ne si omnes quidem, quotquot in parte quadam reip. gerendæ versantur, eos aiant paucorum dominationi studuisse. Jam non modo mihi, judices, in isto pristino reip. statu nulla contigit neque privatim neque publice calamitas, quæ me coegisset rationem cupide amplecti, qua præsentibus a malis liberarer; sed referebat etiam mea pristinum istum statum liberæ reip. manere, quia eo manente spes erat fructus e contentione mea pro patria percipiendi, quæ spes mutata rep. prorsus decolabat. Quinquies triremem instruxi et rexi, quatuor præliis navalibus interfui, contributiones pecuniarias in bello permultas contuli, aliaque sumptuosa munia obii nihilo segnius neque parcius quam ullus alius civium vestrorum omnium; pluraque in vos impendi, quam a legibus imperatum esset. Quorsum enimvero istæc? quo scilicet a vobis vir fortis et bonus haberer, et suspiciosa si quæ inciderent tempora, hoc expeditius atque prosperius in judiciis decertarem. Sperare fructum hujus mei studii in democratia poteram, minus in oligarchia quæ me fortunis meis omnibus denudavit; id quod secus fieri non poterat: tyranni enim, non si qui de plebe bene meriti essent, eos gratia quadam sua dignos habebant, sed quo quisque vos infestius vexasset atque torsisset acerbius, hoc cariorem habebant et pluribus

cumulabant honoribus, quasi fidei erga se pignus haberent nullum certius, quam erga vos malevolentiam. Hæc vos omnia recordantes decet, non accusatorum criminationibus fidem habere, sed e factis quemque suis spectare. Ego, judices, neque Quadringentorum tempestate florui potentia [neque Trigintatyrannorum]; aut accusatorum si contra quis ait, progressus in medium mendacii convincito: nihilo me magis quisquam sub Decemviris in senatu fuisse, ullumve magistratum gessisse docebit. Quod si ergo tum magistratus nullos gessi, id eo factum est, quod aut delatos recusarem aut iis dignus non haberer: quod si ergo magistratus tum delatos recusavi, convenit ut ea ipsa de causa nunc a vobis honorer; contra, si, qui tum plurimum poterant, hi me indignum habuerunt cum quo partem rerum suarum ullam communicarent, seu quod odissent seu quod non fiderent, ecquod aliud excogitari potest argumentum unde constet hos accusatores mentiri?

5. Sed ex aliis quoque meis cœptis atque institutis hanc rem par est æstimari. Turbidis enim illis atque calamitosis reip. temporibus eum me gessi civem, ut si reliquis quoque sensus idem mecum iidemque mores fuissent, nemini omnium malorum quicquam fuisset eventurum. Obtinente enim illo paucorum dominatu, reperietis neminem, si quæretis, in carcerem a me abductum; inimicorum neminem tum ultus fui, neminem amicorum beneficio quodam ornavi. Quanquam hoc quidem non admodum est mirandum: ejusmodi enim erant ista tempora, ut tam difficile esset bene de quoquam mereri, quam erat facile male, qui vellet. Ut neminem in album civium Atheniensium intuli, ita rursus nemo eorum, quibus arbiter sedissem, a me condemnatus est; neque doceri poterit e detrimentis vestris me rem fecisse ampliorem. Atqui, si malorum vestrorum auctoribus jure merito succensetis, consentaneum rursus est vos honorifice de iis sentire, si qui noxiam vobis nullam dederint. Videor itaque fidem meam erga popularem vestræ reip. constitutionem documentis vobis approbasse luculentissimis atque certissimis, unde certi sitis, non modo fuisse me semper vestri studiosum, sed etiam imposterum fore. Qui enim tum temporis, in illa tanta impune peccandi licentia, nihil in vos deliquerim, multo nunc magis contendam vobis probari, benegnarus, si quid deliquero, pœnas delicti mihi protinus fore dandas. Verum enim vero mens mihi semper ea fuit, ut neque in oligarchia aliena appeterem, et in democratia fortunas meas in vos prompte atque largiter erogarem.

6. Nego itaque vos, judices, recte iis succensere, si qui sub tyrannis intacti a malis mansere: quidni potius in eos iracundia vestra grassabitur (et licet, et æquum est), qui plebem tum læserunt? Inimicorum in numero non recte videmini eos habere, qui in exsilium non abierunt, cum istos potius deceat illo in numero haberi,

qui vos in exsilium extruserunt: iniquum est odium vestrum erga studiosos rei familiaris tuendæ; quod odium justius in eos convertatis, qui alios spoliant: animadversionem vestram sibi deposcunt, non hi, qui suæ salutis ergo tum in urbe manserunt, sed isti, qui quo alios pessumdarent in rep. gerenda versati sunt. Sin autem opinamini oportere a vobis per summum nefas paucos etiam illos exscindi et eradicari, quos tyrannorum immanitas adhuc tamen superstites siverat esse, nullam aliam ob culpam quam quod exsilium vestrum non participarunt, nullus vobis civis supererit.

7. Sed ex hoc quoque momento rem spectate, judices. Nostis omnes, in illa superiori quæ ante tyrannos fuit democratia, remp. gerentium multos fiscum compilasse; alii jura et vectigalia vestra nundinabantur, alii calumniis socios vestros a vobis alienabant et ad defectionem adigebant. Hos solos si Trigintaviri sustulissent, fortes bonosque viros ipsi vos eos haberetis: jam vero quod illorum pro furtis et sceleribus tyranni totam plebem plectendam censerent, id ægre ferebatis, indignum rati, paucorum peccata cum tota civitate communicari. Nolite itaque illa injuriarum exempla imitari, quæ vos cernentes cum exercerentur detestabamini, neque, quæ vos olim ipsi patientes per vim et nefas pati putabatis, eadem nunc rursus in aliis exercentes justa vos et æqua agere arbitramini; sed quo erga vosmet eratis animo tum exsilium tolerantes, eodem estote nunc in patriam reversi erga illos alios quos dico qui in urbe manserunt; ut ægre tulistis vos a tyrannis opprimi et vexari, pari indignatione hos quoque vestras injurias ferre nulli dubitate: hoc pacto et concordiam imprimis aletis atque constabilietis, et remp. mirifice amplificabitis, decretisque et exemplis vestris hostium animis aculeos quam acerrime pungentes imprimetis.

8. Oportet quoque, judices, eorum meminisse, quæ sub Trigintatyrannis evenerunt, quo inimicorum errores vos vestris de rebus consilia capere hoc sapientiora doceant. Audientes vos, exsules qui tum eratis, nos qui in urbe manseramus concordes esse, habebatis reditus in patriam spem perexiguam, rati nostram, urbanorum puta, concordiam vestro in patriam reditui officere crucemque esse exsilii vestri durissimam: ut autem allatum ad vos ex urbe fuit, ter mille virorum cohortem, quod erat Trigintavirorum ministerium atque satellitium, in dominos suos insurrexisse, reliquos cives præconis voce relegari, ipsos Trigintaviros inter sese dissidere, plures denique in urbe esse pro vestra salute sollicitos atque trepidantes quam vobis infestos, tum demum incipiebatis bene de cœptorum vestrorum successu sperare, tum demum credibile vobis fiebat, brevi fore ut in patriam rediretis atque ab inimicis pœnas repeteretis; videntes coram oculis ea evenire, quæ deos supplices orabatis ut evenire juberent. Censebatis nempe, et recte id quidem, vos redi-

tum vestrum in patriam minus potentiæ vestræ quam furori tyrannorum esse debituros. Oportet itaque superiorum temporum eventibus pro futurorum exemplis in capessendis consiliis uti, eosque libertatis popularis studiosissimos ducere, qui auctores vobis sunt concordiæ tuendæ pactis servandis jurejurando confirmatis, existimantes firmissimum hoc esse salutis publicæ præsidium, flagellumque hostium acerrimum: non enim facile quicquam ipsis contingat ad cruciatum acerbius, quam ut audiant, nos urbanos a vobis Piræensibus ad reip. gubernationem admitti, utque cives inter se sentiant esse mutua voluntate quasi nullæ unquam ipsos intercessissent simultates. Oportet hoc quoque vos nosse, judices, velle exsules [h. e. Trigintatyrannos et eorum asseclas] reliquorum civium quam plurimos et in invidiam adduci et infamia notari, sperantes sic futurum ut a vobis injuria læsi vestris a partibus ad partes ipsorum transeant; eosque quantivis esse facturos, gratia opibusque apud vos sycophantas plurimum valere: horum enim improbitatem saluti sibi fore arbitrantur.

9. Cujus rei documento vobis erunt, quæ post Quadringentorum dominationem evenerunt, si voletis ea ad vestram mentem recordatione revocare. Sic enim intelligetis, quorum hi sycophantæ, discordiarum faces atque tubæ, vobis auctores facti sint, ea nunquam vobis expedisse; quæ autem ego suadeo, ea esse ejusmodi, ut formæ reip. gerendæ utrique, tam populari quam aristocraticæ, nullo non tempore expediant. Epigenem nostis atque Demophanem et Clisthenem, qui et privatam suam rem e ruinis civium auxerunt, et publicam noxiis quam plurimis atque dirissimis dilacerarunt. Alios enim ut indicta inauditaque causa morti daretis, vos impellebant; aliorum multorum bona ut publicaretis, alios ut urbe expelleretis infamia notatos, hortabantur: mens enim ipsis erat tam læva tam flagitiosa tam improba, ut criminosos quidem largitionibus corrupti sine nota transmitterent, insontes autem in judicium vestrum inducerent atque a se condemnatos pessumdarent. Studia hæc exercere prius non desinebant, quam civitatem in discordias calamitatesque quam maximas conjecissent, ipsi autem e pauperrimis ditissimi essent facti. Vos autem eo contra fuistis animo, ut in exsilium actos inde revocastis sinuque vestro recepistis, infamia notatos in statum pristinum civilis dignitatis restituistis, reliquis fidem vestram de servanda pace atque concordia jurejurando dicto obligastis; denique, si qui, obtinente adhuc priore libertate, civium animos delationibus falsisque criminibus in odia insectationesque mutuas inflammassent, eos si vobis licuisset libentius punivissetis, quam illos ipsos qui in tyrannide rerum potiti fuerunt. Recte enim vero, judices, sapienterque: constat enim nunc inter omnes, per eorum errorem qui in oligarchia nefarie remp. tractarunt factum esse, ut democratia revi-

visceret; per delatorum autem malignas et nefandas fraudes, ut libertas populi paucorum jugo bis subjiceretur. Convenit ergo his turbarum concitoribus non sæpe consiliorum auctoribus uti, quibus paruisse ne semel quidem profuit.

10. Considerate hoc quoque, Piræensium qui maxima inclaruerunt gloria et periculis defuncti sunt plurimis atque gravissimis et ornamenta in vos contulerunt plurimaque atque amplissima, quam sæpe hi vestram plebem hortati sint ut velit pacta jurejurando sancita sanctissime tueri, quippe qui hanc arcem esse vestræ salutis arbitrarentur: pactorum enim per religiosam observationem futurum, ut et urbani securi sint nihilque de injuriarum superiorum pœnis dandis metuant, et rursus Piræenses confidant formam reip. a se restitutam quam diutissime esse perennaturam. Quibus fidem vos habere, multo est æquius, quam his discordiarum satoribus, qui, cum exsilium agerent, ad recuperandam libertatem nihil operæ nil animorum contulerunt, sed alienæ virtuti, non suæ, reditum in patriam debent pristinarumque fortunarum recuperationem; cujus hanc reddunt patriæ gratiam, ut ementitis criminationibus denuo remp. conturbent atque secum collidant. Mecum eadem quibus est voluntas ex iis qui in urbe manserunt, eos equidem autumo, judices, documentis sat perspicuis testatum fecisse, cujates sint cives et quali mente præditi: hi autem calumniatores, vehementer dubito, quidnam fuissent ausuri et quales se gesturi, si quis eos in numerum Trigintavirorum allegisset, qui nunc post restitutam libertatem in hac juris civilis æquitate cum tyrannis eadem designant, repente divites e pauperibus fiunt, multosque cum gerant honores nullius rationem reddunt, pro concordia quam fovere debebant discordiarum semina spargunt, suspiciones quibus animi aliorum ab aliis distrahuntur, et pro pace bellum denunciant; propter hos fiducia Græcorum caremus. Tanta hi nobis mala crearunt aliaque a me nunc non commemorata numero non pauciora, Trigintaque tyrannis cum nil differant, præterquam hoc uno, quod tyranni obtinente ipsorum dominatu iisdem malis artibus studebant atque hi nunc student, hi autem in ipsius populi oculis libertate restituta gaudentis eadem agitant atque exercent quæ illi olim; autumant tamen nihilominus se decere, ut quemcunque velint sine hæsitatione arreptum vexent atque concerpant, quasi alii quidem, eadem atque ipsi agentes, injuste agant, ipsi autem frugi sint homines honestique cives. Quanquam his quidem eam mentem eosque mores esse vitæque hoc institutum, nil mirandum est, vos autem utique mirandum est ita in horum hominum esse potestate, ut quæcunque velint vos exsequamini, qui tutores atque vindices juris æqui vos feratis; quo fit, ut non, qui plebis majestatem lædunt, sed optimi cives plectantur, bona sua in largitiones quibus horum cupiditas satietur

absumere recusantes. Malint hi remp. per se minutam atque contemptam esse, quam per alios potentem atque formidabilem liberamque, existimantes, jam quidem per exsules e Piræeo reduces sibi licere quicquid modo designent; sin autem postmodum contingat ut vos per alium quempiam ab hoc jugo liberemini, futurum esse, ut hos sospitatores patriæ ipsi claritate atque terrore sui nominis obruant atque obscurent, multoque plus quam hi in rep. valeant. Denique in idem consentientes ad idemque contendentes omnes, obstant, si quis beneficio quodam vos ornare velit. Hoc quidem igitur intelligere, si quis velit, haud sit arduum; nam ne ipsi quidem in occulto manere volunt, sed pudet eos in numero malorum non haberi; et ipsi vos eorum scelera partim coram cernitis oculis, partim fama accipitis ad vos perlata.

11. Nos autem, tametsi æquum censemus esse, nullius in civis causa, quicunque est, pacta conventa jurisque jurandi religionem a vobis violari, tamen ignoscemus vobis illa pacta violantibus, cum videbimus vos pœnas debitas ab auctoribus illorum malorum repetentes, quorum a nobis tum toleratorum et adhuc sumus memores et nunquam non erimus: sin autem testatum ad omnes facietis, easdem pœnas insontibus pariter atque sontibus a vobis irrogari, qua sententia me damnabitis, eadem alios quoque ad desperandum de rep. adigetis.

LYSIÆ

DE EVANDRI PROBATIONE

ORATIO.

1. * * * existimans eos [magistratus puta censuræ morum præfectos] non admodum diligentem neque severam esse censuram habituros ob longinquitatem temporis quod a perpetratione tuorum criminum ad hoc diei effluxit; quorum criminum, quæ et multa sunt et atrocia, quanquam tu bene tibi conscius es, speras tamen eorum nonnullos esse oblitos. Quapropter animo vehementer angor metuoque et indignor idem, Evandrum hac spe fretum ad vos nunc procedere, senatores, quasi non vos, sed nescio quos alios, injuriis læsisset, et quasi alii de se dicturi sint sententiam, non vos, qui rei causam cognoscetis ejus a quo multas magnasque noxias accepistis. Sed vestra hæc est ipsorum culpa, non recordantium Evandrum de grege illo esse, qui facilitatem vestram et clementiam pro tarditate interpretantur. Republica a vi atque dominatione Lacedæmoniorum oppressa, ne servitutem quidem hi suam vos secum participare sinebant, sed urbe vos expellebant; vos autem non modo libertatem virtute operaque vestra reparatam cum ipsis communicavistis, sed etiam jus in judiciis sedendi atque cum populo in concione agendi: recte itaque fit atque prout consentaneum est fieri, vos hi cum sperant tam fore segnes atque tam vecordes, ut illa sua tam enormia crimina dissimulatione veniaque et oblivione transmittatis. Huic gregi adscriptus Evander non acquiescit in participatione jurium illorum; sed etiam, pœnis superiorum scelerum nondum persolutis, honores ambit.

2. In defensione nostræ accusationis, ut fama ad nos pertulit, accusationis summa capita leviter atque defunctorie perstringet, præterlabens res dictu necessarias et accusationem defensione suffurans [h. e. criminum memoriam judicibus rapiditate transcursus eripiens]; in hoc autem sese jactabit, ut dicat, seque majoresque gloriæ studiosos multa in rempublicam erogasse muneraque magnifice edidisse superiori adhuc tenente libertate populari multasque et insignes victorias e ludis reportasse; item, proprias ipsius laudes si requiratis, pudentem se atque temperantem esse, neque conspici

ea patrantem quæ alii hac in urbe audeant, sed rerum suarum satagere. Ego vero facile factu arbitror esse, ut ad hujusmodi cavillationes occurratur: de muneribus quidem sic ferme, multo fuisse satius, si pater ejus munerum prorsus nihil edidisset, quam ut ederet tam magnifice; fraudi enim fuit reipublicæ illa ejus profusa liberalitas, qua cum illectæ plebi imposuisset atque persuasisset ut fidei suæ se committeret, abusus est illa fide pater ejus ad eripiendam plebi libertatem; quo factum est, ut hoc ejus unum scelus ad sempiternam memoriam multo sit futurum durabilius, quam donaria omnia ab eoque et a majoribus atque necessariis ejus dedicata: ad ipsius autem Evandri pudorem atque modestiam quod attinet, sic ferme occurrere possitis eam jactanti, non nunc quæri frugine sit atque temperans, in hac severitate reipublicæ legibus servientis insolentiam compescentibus; sed istud, cur, quo tempore licebat, utram mallet vitæ sectam sequi, vitam licentiosam et legibus repugnantem in luce reipublicæ agere maluerit. Nam, quod nunc se continet, id non ipsi debetur, sed his qui eum exorbitare non sinunt; tum autem quæ commisit flagitia, ea ipsi imputanda sunt iisque qui æquum censebant ei a se conniveri. Hæc vos meminisse atque recogitare oportet, cum, illam suam majorumque magnificentiam jactans, post illa sua dedecora, tamen in censura morum a vobis probari postulabit, ne tardi atque vecordes ei videamini.

3. Sin autem ad hanc latebram Evander cum advocatis confugerit, temporis angustias non sinere regem sacrorum alium sortiri, sed necesse esse se si repudiaveritis, sacra patria infecta manere, recordamini tempus sortitionis jam dudum præterisse. Anni enim hujus, quem adhuc agimus, nil superest præter unicum crastinum diem, quo sacra Jovi Servatori fieri debent: nequit ergo in tantis temporum angustiis judicium cogi sortiendi regis sacrorum ergo. Quæ ut ita evenirent si Evander hic calliditate atque nequitia perfecit, quid exspectatis eum ubi probatus fuerit ausurum, qui magistratum mox functione decessurum permoverit ad facinus committendum a legibus tam abhorrens? Illene vobis pauca hujusmodi videtur commissurus toto illo anno quo sacerdotio fungetur, si ad id admittatur? mihi profecto non videtur. Verum non hoc solum vobis est spectandum, sed istud quoque, utrum vestræ erga deos pietati sit convenientius, vos jubere idem etiam nunc fieri quod superioribus jam temporibus haud semel usu venit, ut superioris anni rex sacrorum cum collegis sacra faceret, loco ejus qui facturus esset anno proximo post, si rite fuisset nuncupatus; an hunc facere, cui ne puras quidem manus esse qui norunt his testati sunt; et num jurejurando receperitis vos aliquem haud probatum sacerdotio esse admoturos, an ei coronam delaturos quem in censura

morum probassetis. Hæc nempe vos spectare decet; sed et illud præterea vobis ad animum revocare, qui legem de spectandis probandisque candidatorum moribus tulit, eum illam legem inprimis propter eos tulisse qui honores sub tyrannis gesserunt: videbatur enim ei grave atque indignum, qui popularem libertatem evertissent, hos ipsos rursus in restaurata rep. ad honores admitti, eoque facultate rursus armari leges et remp. illam conturbandi, quam salvam sibi traditam nacti tam fœdis tam sævisque modis contruncassent. Quare non convenit in censura morum agenda tam remisse atque supine versari neque rem parvam ducere; sed summa diligentia providere ut et candidati rite atque legitime creentur et creati caste sancteque honores gerant, quoniam in harum rerum tutela salus libertatis plebisque vestræ sita est.

4. Evander si nunc non sacerdotium sed ordinem senatorium solummodo ambiret, et priusquam ad illum admitteretur, mores ejus oporteret a vobis spectari atque probari, sine dubio vos tum sitis eum vel absque accusatore repudiaturi, si nomini ejus in tabulis adscriptam cerneretis currus notam, qua e nota vobis constaret eum sub Trigintatyrannis equestri militia functum fuisse: jam vero cum publice constet, eum illa tempestate non equitem solummodo [, sed etiam senatorem egisse, neque senatorem solummodo] egisse, verum etiam in illa utraque functione plebem vestram multis modis vexasse atque exagitasse, non rem facturi sitis abhorrentem, si publice testatum faciatis mentem vobis aliam esse? Et senatorio quidem ordine receptus, honorem illum gereret non ultra annum, neque solus sed in collegio, quo a collegio ipse numero quingentesimus facile compesceretur, si quid exorbitare auderet, præsertim intra tam brevem temporis ambitum, cujus ipsa brevitas ausa vix inchoata rescindit. Hoc autem sacerdotium quod ambit adeptus, geret solus sine arbitro ex animi sui sententia: et est quidem honos iste item annuus, verum eo defunctum necesse est in senatum Areopagiticum cooptari in perpetuum, quo potestatem nanciscetur per omnem reliquam vitam continuandam de summis rebus vestris pro arbitrio suo constituendi; quare convenit hujus honoris scrutinium vos facere multo quam aliorum omnium honorum severius. Quod si minus facietis, quem putatis animum plebi reliquæ fore, videnti, vestro judicio delatum hunc honorem ei, quem oportuerat non præmia meritorum quæ ei nulla sunt ferre, sed criminum quæ multa commisit pœnas dare? videnti, causas de homicidio capitales ad disceptandum ei commissas, quem oportuerat ipsum ab Areopagitico senatu judicari? videnti denique, coronatum eum, et arbitrum factum causarum ad virgines nubiles in hereditatibus patrimoniorum relictas nec non alios ad orbos pertinentium, quorum in numero sunt, quibus ipse iniquitate sententiæ a se dicta orbitatem

contraxit? Non existimatis eos ægre laturos, omnemque culpam illarum tantarum indignitatum atque acerbitatum vobis esse imputaturos, si per hujus Evandri in potestate a vobis constituti scelus fiat, ut rursus in illa miserrima tempora relabantur, quibus ipsorum multi in carcerem abducebantur aut exsulare cogebantur? præsertim si hoc quoque una recogitent, hunc ipsum Thrasybulum in causa fuisse cur Leodamas, hunc sacerdotii honorem petens, repudiaretur, et hoc nunc agere ut Evander probetur: ut enim Leodamantem accusavit, ita nunc paratus est Evandrum defendere; quanquam vos omnes nostis, quo erga vos animo sit Evander præditus et quanta vobis mala consciverit. Ecquid aitis? quantam ipsi vobis invidiam conflabitis, si Thrasybulo morem hac in re geratis! Leodamantem cum reprobaretis, opinabantur omnes, eum a vobis iratis fuisse reprobatum: sin autem Evandrum probetis, certi erunt omnes Leodamantem iniquitate repulsæ vestræ læsum fuisse. Evandro quidem et Thrasybulo cæterisque advocatis hoc vobiscum certamen est, utrum vos justam causam obtenturi, h. e. Evandrum a sacerdotio exclusuri sitis, an ipsi vobis injustam extorturi [et in sacerdotium per nefas irrupturi] sint; vobis autem cum universa civitate certamen est, utrum penes eam sitis vestram dignitatem sanctimoniæque existimationem tuituri an amissuri, quæ civitas exspectatione suspensa nunc observat quem vos erga se sitis animum habituri. Nemo vestrum autumet, velim, me Leodamantis studio, hominis amici, Evandrum accusare. Nequaquam. Vestri magis et reip. studio hoc fit, cujus commodis prospicio et inservio. Id quod facile est perspectu ex ipsa re. Nam Leodamanti quidem expedit Evandrum a vobis probari: Evandrum enim si præferetis, ipsi vosmet famam vestram infamabitis, ut pro studiosis plebis, cujusmodi Leodamas est, hominibus Evandro similibus, hoc est principatui paucorum deditis, deferre vestros honores videamini. Et si Evandrum reprobaretis, videbimini Leodamantem quoque non sine causa reprobasse: sin autem ne hunc quidem Evandrum reprobabitis, etsi tam turpem et maculosum, videbimini pari iniquitate et hunc allegisse et istum rejecisse.

5. Verum Evander (ut auctores mihi sunt, qui facturum aiant), non sui censuram magis, quam vestram agi nunc causam, quotquot reliquis exsulantibus in urbe mansistis, aiet, pactaque jurejurando sancita vobis in memoriam revocabit; quasi sic omnes, quotquot in urbe manserunt, nacturus sit morum suorum approbatores. Ego vero ei de plebe hæc pauca respondebo: de iis, qui in urbe manserunt, plebem non idem sentire, sed eorum flagitiosos quidem, qui paria atque similia cum Evandro deliquerunt, censere honoribus esse excludendos, prout ego aio fieri oportere; contrariam vero in partem de reliquis sciscere, qui sunt Evandro dissimiles. Argu-

mentum dabo. Civitas ex his urbanis non pauciores ad honores admisit, quam ex illis qui Phylam primum tum Piræeum occuparunt. Recte vero. Hos enim libertatis reparatæ auctores norant quidem quales erga se in democratia fuissent, minus autem quales erga se futuri fuissent, si sors eos sua in urbe sub dominatu paucorum retinuisset: locus enim ipsis defuerat animi sui documentum in ista conditione edendi; istorum autem erga se animum ex idoneis documentis in utraque reip. fortuna editis perspexerant. Quapropter recte faciunt [exsules in patriam reversi] illis [urbanis] fidentes, atque existimantes, per istos quidem Evandro similes tum esse factum, ut, si qui civium essent comprehensi, hi morte afficerentur; hos autem Evandro dissimiles operam dedisse, ut, etiamsi qui jam comprehensi essent, tamen neci fuga subtraherentur: omnibus enim si iidem animi iidemque mores fuissent, neque exsilio neque reditui locus fuisset, neque aliud quidquam eorum malorum quæ remp. oppresserunt evenisset. Sunt qui mente se consequi posse negent, qui factum, ut ab exigua manu Piræensium tot numero urbani vincerentur: atqui non aliunde id, quam ab horum fide atque providentia, qui sub tyrannis in urbe manserunt causæ plebis addicti; hi enim cum exsulibus domum reversis salva uti rep. et æquo jure civili perfrui maluere, quam una cum Trigintaviris servire Lacedæmoniis. Quibus pro meritis populus iis amplissimos decrevit honores; tribunatus enim equestres et imperia defert militaria legationesque pro se obeundas: cujus eum nunquam pœnituit. Et propter impuros quidem illos multorum scelerum reos legem de agenda morum censura sanxit; propter hos autem nulla noxia cognitos pacta illa pepigit. Hæc ego quæ pro plebe dicerem, habebam.

6. Vestrum autem jam est, senatores, dispicere, utrius auctoritati vos concedentes hac in censuræ causa rectiora sitis consilia secuturi, meæne, an Thrasybuli pro Evandro mox dicturi. Nam mihi quidem patrive majoribusve quod obtrectet, suspicionem malignioris erga plebem vestram voluntatis ciens, profecto nil habebit. Neque enim ipsum me poterit rerum cum tyrannis communicatarum arguere; qui multo post tyrannorum tempestatem examen ætatis virilis obierim, quo examine mores ita meos judicibus approbavi ut idoneus haberer tutelæ meæ reique publicæ capessendæ atque gerendæ: neque patrem poterit [Thrasybulus] novarum rerum insimulare cupiditatis; quippe qui multo ante istas turbas in Sicilia supremum diem obierit in functione magistratus: neque majores poterit docere tyrannorum fuisse studiosos, quibus illi nunquam non adversati fuerunt. Neque rursus aiet nos fortunarum in belli civilis æstu collectarum nil in remp. erogasse. Multo enim secus est: quæ in pace nobis erat amplissima substantia ad octo-

ginta talentorum valorem, ea in bello tota est in patriæ salutem insumpta. In hunc autem Evandrum quæ dicam habeo tria, quorum unumquodque tam est atrox atque nefandum, ut vel solum mortis pœna dignum sit: primum largitionibus Bœotorum reip. formam mutavit et his nos sociis fraudavit; tum prodenda classe remp. tantum conjecit in periculum, ut necesse haberet de salute sua tuenda deliberationes agitare; postremo a captivis nostris, quos ipse in perniciem præcipitaverat, concussionibus triginta minas expressit, negans se effecturum aut concessurum, ut ære publico redimerentur, nisi de suo peculio tantum restituerent. Vitam utriusque nostrum jam tenentes, deliberate, senatores, utri plus fidei deferre de Evandri censura vos deceat: et hoc in speculum intuentes, nullum est periculum ne erretis.

LYSIÆ

CONTRA EPICRATEM

ET LEGATIONIS SOCIOS

EPILOGUS.

1. Satis quidem jam in Epicratem ejusque collegas legationis dictum est, o viri Athenienses, ab accusatoribus: verum tamen vos hoc quoque præterea oportet recordari, sæpe numero vos ex his audisse, cum dicerent, nihi vos condemnetis eos, quorum condemnandorum ipsi vobis auctores fiant, exhausto ærario militari militem mercenarium mercede esse cariturum. Atqui, tametsi vos morem iis geratis, nihilominus tamen tantum abest ut sumptui in militem mercenarium faciendo pecuniæ satis suppetat, ut potius e publicatis insontium civium bonis ad vos præter odium et dedecus nihil redeat; fructus enim illinc omnis ad hos instigatores redibit: usu enim didicerunt, ubi semel hanc de se opinionem vulgi animis infixerint, ut vulgus credat, vos in istorum auctoritate esse atque calumniis eorum ita servire, ut quamcunque in partem jubeant, vos non possitis non decernere, facillimo se negotio a criminosis pecunias posse colligere. Atqui quam oportet vos habere spem salutis, si discrimen aut salutis aut interitus vestri solis certetur in pecuniis [unde miles mercenarius alatur], easque pecunias eorum fidei atque custodiæ si credideritis, qui, cupiditatem furum observare atque pœnis coercere a vobis jussi, furantur ipsi, majestatemque vestram pœnarumque severitatem largitionibus nundinantur? Neque nunc primum hoc in genere furti deprehensi sunt, sed jam dudum ante sæpenumero causas acceptorum munerum pro se dicendas habuerunt. Et est profecto de vobis quod querar, qui, quamvis jurejurando fidem atque religionem vestram juri æquo omnibus dicendo obstrinxeritis, tamen, in causæ ejusdem reatusque paritate, quidem condemnaveritis, hunc Epicratem vero absolveritis, quanquam eum non solummodo homo idem accusaret sed etiam testes idonei in eum consurgerent, qui non quæ fando inaudissent ea referrent, sed quæ ipsi gessissent atque administrassent, testimonio suo confirmarent, quippe qui a corruptoribus pro interpretibus et conciliatoribus ad Epicratem allegati fuissent, cum hoc de largitione decidissent, pecunias ei numerassent. Atqui nostis omnes, quæ sint exempla vestræ severitatis, quibus reliqui absterriti discunt a cupiditate atque peculatu sibi temperare: non tum statuitis ejusmodi exempla, cum indisertos causarumque forensium imperitos punitis;

sed cum a facinorosis oris impudentia et linguæ volubilitate armatis meritas pœnas exigitis, tum spes superest, fore aliquando ut hi facinorosi conatus suos vestram remp. carpendi reprimant. Jam vero vos compilare periculo ipsis caret. Occulti enim si maneant, furtis suis securi perfruuntur: sin autem deprehendantur, aut parte quadam furtorum periculum redimunt, aut, accusatoribus corrumpi recusantibus, in judicium perducti potentia sua legum carceres perfringunt, et sic liberi atque absoluti discedunt.

2. Agite ergo, judices, nunc repetendo pœnas ab his, documentum edite publicum unde reliqui discant justitiæ atque continentiæ studere. Quicunque in gerenda versantur rep., huc convenerunt omnes, non quo nostras audiant orationes, sed quo intelligant qui vobis sit erga flagitiosos animus. Quod si ergo hos [Epicratem cum collegis] absolvatis, nil dubitabunt illi vobis imponendo rem suam facere ampliorem; sin autem hosce reos nunc factos morte damnabitis, una sententia geminum consequemini bonum: qua enim sententia meritas illis pœnas irrogabitis, eadem reddetis reliquos in posterum quam nunc sunt continentiores. Etiamsi judicium his sortiri recusetis, aut conantes capitis causam dicere explodatis, audientiam denegantes, sed statim condemnetis suppliciaque ipsis extrema quæque atque dirissima irrogetis, nego tamen eos, de quo querantur, habituros, aut quod aiant indicta causa se perisse, sed confitendum ipsis erit pœnas se meritas luisse. Non enim indicta causa pereunt illi, qui a vobis condemnati pereunt, apertorum scelerum rei, quæ scelera vos ita certo comperta et liquido perspecta habetis, ut nil sit cur a quoquam doceamini; sed hi, si qui, calumniis inimicorum obruti, a vobis causæ nihil tenentibus audientiam impetrare haud potuissent. Hos autem facinora sua accusant, quibus facinoribus aliud nihil nos præterquam testimonii auctoritatem accommodamus. Neque hoc vereor, ne vos eos auditos absolvatis; sed illud censeo, pœnas eos esse non sat magnas daturos, si moriantur a vobis auditi. Indigni sunt honore vestræ audientiæ, manifesti qui sint inimici vestri atque reip. Quid enim? Inimici vestri non sint, quorum studia, spes, commoda atque detrimenta toto cœlo a vestris dissident? Num contendere audebunt, fines bonorum sibi eosdem atque vobis fuisse propositos? Videte modo. Hi in bellis civilibus e pauperibus repente divites e bonis vestris exstiterunt, vos autem horum culpa extremam ad egestatem decidistis. Atqui bonos plebis consiliarios haud decet vos calamitatibus oppressos expilare, sed bona sua vobis condonare. Videte enim quo loci res nostræ devenerint. Qui antehac in pace ne se quidem suosque alere poterant, hi nunc contributiones conferunt et choregiis defunguntur et in re familiari sunt amplissima atque lautissima; quæ eadem agentibus quibusdam vestrum, tametsi e patrimoniis perquam splendidis, usus docuit quam sæpe invideritis eosque acerbitate

pœnarum insectati sitis. Jam vero civitati ea mens est, ut non amplius ob prædas, quas hi publici latrones e publico vestro patrimonio agunt, succenseatis; sed minutarum buccellarum, quas hi vobis de rapinis suis objiciunt, gratiam ipsis habeatis, quasi vos ipsorum sitis mercenarii, non ipsi vestra furentur. Omnium quod est immanissimum atque indignissimum, in re sua privata cum fraude quapiam circumventi sunt, plorant et quiritantur miserabiliter; publicam autem rem depeculantes conditionem assimulant miserabilem, quo vestram cieant commiserationem, et vos, qui eorum fraude circumventi atque emuncti estis, commiseratione moti impostoribus et furibus vestris ignoscitis.

3. Videntur idem, quod antea sæpe fecerunt, nunc quoque facturi municipales atque amici eorum, ut cum lacrymis eos a vobis exorent. Quibuscum ego sic agi censeo oportere. Furtum si negabunt ab his commissum, docento primum has nostras criminationes falsas atque ementitas esse, eoque facto demum vobis persuadere conantor ut absolvatis: sin autem ipsi, existimantes hos culpa teneri, tamen exoratum vos eant, constat eos furibus vestris magis studere quam vobis qui estis compilati; quapropter non gratia, sed pœna digni sunt, quam exsequi vos in his quam primum poteritis decet. Verum, non vos modo, sed nos quoque horum qui sumus accusatores, et nos vel magis etiam, orabunt, existimantes a nobis, pauci numero qui simus, multo facilius impetratu esse ut accusationem omittamus, quam a vestra multitudine ut absolvatis. Facilius enim alii jura et præmia vestra condonant, quam vos ipsi. Nos autem ab his rogati, cum noluerimus jura vestra prodere, rogamus vos rem æquam, ut ne ipsi quidem prodatis, recordantes, quam sitis in nos animadversuri, id quod par est vos facere in omnes ærarii vestri depeculatores vestræque majestatis læsores, ubi deprehenderitis nos prævaricatos et horum largitionibus victos aut alio quocunque modo reconciliatos. Atqui si in prævaricatores severe animadvertitis, non ea qua par est fide atque constantia lites occœptas prosequentes, quanto est æquius vos neque precibus neque commiseratione victos pœnas vobis debitas a violatoribus patrimonii vestri repetere. Condemnate itaque, judices, hos, extremaque in eos decernite supplicia, neque, quod adhuc facere consuevistis, idem nunc quoque facite, ut reos criminum insimulatorum peractos cum condemnaveritis, tum in æstimatione litis sine mulcta dimittatis; quo magis cum reis simultates suscepturi, quam pœnas ab iis sumpturi videmini; quasi hi homines dedecore magis, quam mulcta moveantur: bene enim norunt, in sententia quidem ferenda vos nihil aliud quam objurgare eos quos condemnatis; in æstimatione pœnæ vero, virgas quasi vos expedire securesque in tergora cervicesque eorum, qui vectigalia vestra carpunt et jura minuunt.

LYSIÆ

CONTRA ERGOCLEM

EPILOGUS.

---

1. Ergocles hic quorum est criminum insimulatus, ea sunt, judices, et numero tot et tam atrocia, ut ne unius quidem cujusque facinoris pœnas daturus sat magnas mortibus vel decies iteratis mihi videatur. Nam, ut nunc liquet, urbesque prodidit et proxenos civesque vestros deprædationibus aliisque contumeliis violavit, et e peculio vestro dives e paupere factus est. Ecqui tandem his ignoscere poteriris, quorum culpa factum est, ut classis quidem vestra, cui præerant, ob nummorum penuriam dissolveretur, numerusque navium ingens ad paucitatem redigeretur; ipsi autem, qui hinc e portu nostro pauperes rerumque egentes omnium evecti fuissent, tam repente tam ingentes corraderent opes ut civium omnium nemo sit cui sint ampliores? Vestrum itaque est, Athenienses, in talia facinora animadvertere. Foret enim utique grave atque indignum, si hoc tempore in istis pecuniæ publicæque privatæque angustiis et in ista contributionum quibus exinanimini multitudine furibus vestris ignosceretis cæterisque prævaricatoribus, qui largitionibus se venales præbent et juris æqui dispensationem nummis nundinantur; postquam, id quod superioribus ætatibus sæpe factum esse constat, cum adhuc et privatis quisque suis floreret rebus et publica vectigalia ampla lautaque essent, peculatores vestros morte mulctassetis.

2. Thrasybulus in altum cum classe exiturus, si hujusmodi conditiones vobis proposuisset, ut, quas illi vos adderetis novas triremes, has ipse vobis redderet obsoletas atque cassas, et pericula ut vos ipsi adiretis corporibusque vestris toleraretis, fructus eorum vero amici sui perciperent, idemque Thrasybulus si prædixisset, ita se rem gesturum, ut vos quidem magnitudine atque assiduitate contributionum exhauriremini, Ergocles autem cæterique sui adulatores e pauperrimis civium omnium fierent locupletissimi, neminem vestrum omnium autumo tum non esse confessurum, vos nequaquam fuisse commissuros ut Thrasybulo hac lege classem vestram committeretis, sed exitu potius eum prohibituros. Præsertim, quum statim ab illo decreto promulgato, quo sanxistis, ut pecuniæ e sociis redigendæ

publicas in tabulas referrentur, et qui magistratus cum Thrasybulo maritimam hanc expeditionem obissent, ut hi domum reversi rationes gesti muneris redderent, Ergocles auditus sit hujusmodi voculas jactans, vos jam nunc statim in ipso expeditionis ingressu calumnias incipere serere, vetustasque leges a situ quo dudum sepultæ jaceant rursum extractum atque restauratum ire, auctorque factus idem sit Thrasybulo, ut Byzantium occuparet, classem quæ vestra est secum pro sua retineret vobisque reposcentibus denegaret, Seuthæque filia in matrimonium ducenda portum atque perfugium sibi compararet; quo tu (ipsa refero hominis verba), quo tu eorum exstirpes calumnias; sic enim facies (inquit) ut illis negatum sit domi desidentibus per otium capiti tuo amicorumque tuorum laqueos tendere, sed ut ipsi necesse habeant te reformidare. Tam hi se a rep. vestra, Athenienses, statim incipiebant alienos ducere suamque rem a vestra sejungere, atque primum bonis vestris exsaturati atque suffarcinati erant. Quam primum enim ditescunt, statim quoque vos odisse incipiunt, seseque ita comparant, ut appareat, eos jam nolle vobis parere, sed velle imperare; metuque ne vos sibi rursus spolia eripiatis quæ vobis detraxerunt, parati sunt loca munita occupare et dominationes paucorum meditari et nihil non agere quo vos periculis gravissimis iisque indies novis circumagamini: sic enim sperant se hoc consecuturos, ut ad scelera sua attendendi vobis ne sit otium, sed ut quietos se sinatis esse, dum ipsi de vobis vestraque civitate metuatis. Præclare profecto Thrasybulus in eo fecit, Athenienses — nolo enim plura de eo, tametsi poteram, expromere —, quod istoc vitæ exitu metum sui vobis detraxit: neque enim expediebat eum in vivis amplius superesse, qui ejusmodi facinora machinatus esset, neque rursus eum decebat judicio vestro perculsum in carcere exspirare, qui visus aliquando fuisset bene de vobis esse promeritus; prospere itaque evenit reip. ut hoc ab hoste hoc modo liberaretur. Ergoclem autem cum consortibus video, secundum illud decretum quod in superiori concione in eos scitum fuit, nullis jam parcere sumptibus, sed spiritus suos largitionibus redemptum ire et ab oratoribus vestris et ab inimicis atque accusatoribus suis et a prytanibus, multosque Atheniensium corrumpere. Cujus flagitii ignominia vobis depellenda atque abluenda est; abluetis autem, si meritas ab hoc Ergocle pœnas sumetis: vestrum est, vos ad universum genus humanum purgare, testatumque ad omnes facere nullam esse tantam vim pecuniarum, a qua ad pervertendum jus et ad omittendam sontium ultionem flectamini. Non Ergocles nunc solus, sed una tota civitas, id quod vos probe tenere atque meminisse velim, judicatur, et fama ejus ad omne posterum tempus certatur. Facietis enim hoc judicio vestris magistratibus planum testatumque, utrum velitis ab

iis honores demandatos, salvi si esse velint, caste sancteque geri, an ipsis permissuri sitis, posteaquam furtis bonorum vestrorum quam plurimis saginati fuerint, eundem ad portum salutis perfugere, atque hi conantur. Atqui nosse vos oportet, judices, atque certos esse, qui in istis tantis rerum nostrarum angustiis nil dubitet illa minora scelera committere, ut civitates prodat, ut ærarium vestrum depeculetur, ut jus æquum et vectigalia vestra prærogativasque largitionibus vendat, eum a majoribus quoque haud fore alienum nihilque dubitaturum, quominus et arces vestras et classem hostibus prodat atque statum hunc popularis libertatis cum paucorum dominatu permutet: non itaque convenit vos horum apparatu terreri eique concedere, non, reformidare multitudinem atque potentiam eorum, quos hi gratia precibusque et largitionibus victos impulerunt, ut advocationem atque deprecationem in judicio reciperent; exemplum potius statuite, cujus fama terrorque ad omnes permanet, et neque lucrum neque commiserationem neque aliud quicquam præhabete severitati punitionis in his exercendæ.

3. Ergoclem suspicor equidem, Athenienses, prævideoque de crudelitate quidem atque rapacitate sua in Halicarnassensibus demonstrata et de imperio classis vestræ a se gesto ceterisque de rebus a se gestis ne ausurum quidem esse se purgare; verum tamen voluntatem erga vos suam studiumque vestri excusaturum molestiasque jactaturum et veluti vobis exprobraturum a se apud Phylam toleratas, cum exercitui vestrorum exsulum illinc in patriam redire conantium interesset. Ego vero, Athenienses, hanc rem hoc pacto puto et censeo. Quicunque pericula vestra vobiscum participarunt, non alia quapiam turpi re, sed hoc solo moti quod cuperent libertate civili et æqui juris exercitatione beari, legesque quod vellent eas habere quibus omnes servirent, et quod grassatores odissent, hos ego cives esse malos nego, nego item nefas esse in horum causis capitalibus exsilii ab ipsis tolerati rationem haberi: sin autem in iis, qui ab exsilio vobiscum in patriam redierunt, sint, qui nunc, obtinente pace atque libertate civili, cives torqueant injuriisque exagitent, vestrisque de spoliis res suas privatas exaggerent, in hos multo etiam severius quam in Trigintaviros convenit vos animadvertere. Hi enim in id deligebantur, ut quocunque possent genere noxiæ vos carperent: istis autem ipsi vos vestris manibus in fidem quasi tutelamque tradidistis, quo remp. in libertatem vindicarent ad splendoremque atque amplitudinem attollerent; quorum nihil evenit, sed potius, quoad ejus per ipsos fieri potuit, in discrimina dirissima conjecti estis; quapropter multo sit æquius vos commiseratione vestri liberorumque atque uxorum moveri, quam horum a quibus tam impuris tam crudeliter laceramini. Quo enim tempore anchoram quasi salutis vix tandem aliquando apprehendisse confidebamus, hi qui

nostri magistratus sunt faciunt, ut multo nunc diriora toleremus quam unquam ab ipsis hostibus toleravimus.

4. Atqui nostis, in fide atque sanctitate vestrorum magistratuum unicam vobis superesse spem salutis, eaque in parte si minus prospera fortuna utamini, vos funditus et citra spem perisse. Quapropter æquum dignumque vobis est, judices, ut ipsi vos mutuis adhortationibus accendatis ad pœnas ab his sumendum quæ sumi possunt sævissimas, et ad confirmandum reliquis Græcis vos datas noxias in nocentibus exsequi, et velle hujusmodi exemplis magistratus vestros ad continentiam et honestatis studium revocare: id quod hoc pacto certissime fiet. Et ad hæc ego vos equidem adhortor: vos autem certos oportet esse, meæ quidem si concedatis auctoritati, vos optime vobismet ipsis esse consulturos; sin autem minus, pejoribus civibus usuros. Præterea, Athenienses, nullam vobis habebunt absoluti gratiam, sed omnem nummis vestris, quos ex ærario vestro cum essent furati, nunc partem eorum in largitiones insumpserunt, quibus sperant judices hujus judicii corruptum iri: relinquetis itaque vobis quidem penes eos simultates, cum minaces vestros vultus tabellasque ad sui condemnationem jam expeditas recordabuntur; illi autem largitionibus suis salutem suam in acceptis referent. Denique pœnas ab his cum repetetis acerbissimas, tum facietis, ut Halicarnassenses quoque, et si qui alii male ab his mulcati sunt, existiment, per hos quidem se perisse, per vos autem servatos esse: sin autem hos servabitis, nulli dubitabunt socii vestri cum proditoribus suis vos collusisse. Quare convenit, vos, Athenienses, horum omnium memores, una et amicis vestris debitam referre gratiam et a facinorosis meritam pœnam exigere.

LYSIÆ

CONTRA PHILOCRATEM

EPILOGUS.

1. Certamen hoc, judices, est id quidem mihi quam futurum speraveram ad amicis desertius. Omnium enim, qui multi fuerant, nemo verbis suis fidem re nunc fecit: accusatores Philocratis se fore cum mihi condixissent, copiam sui nunc nullam faciunt. Id quod penes me quidem argumentum est nullo alio infirmius, in conficiendo indice bonorum ab Ergocle relictorum et a vobis proscriptorum, qui index ærarii vestri quæstoribus exhibitus est, summam fidem esse versatam eumque veritati rei esse consentaneum: Ergoclis enim bonorum nisi grandis portio penes Philocratem fuisset, tam facile profecto huic non fuisset accusatores profligare. Ego vero vos omnes nosse autumo, judices, Ergoclem ideo a vobis morte mulctatum esse, quod peculatu substantiam triginta talentis ampliorem corrotundasset. Cujus in urbe nec vola nec vestigium superest conspicuum. Quo autem alio converti aut ubi opes interversas quærere oportet? Nam si Ergocli bona fuerunt quæ fuisse constat, eorumque bonorum nihil usquam in propatulo prostat, necesse est alicubi latitare: et si latitant, multo est convenientius apud amicos, affines, atque familiares latitare, quam apud inimicos. Quemnam vero hominum omnium unum majoris fecit Ergocles, quam Philocratem? quemnam habuit cariorem? quem magis familiarem? Non, quem civium omnium egentissimum urbe secum eduxerat, hunc eundem reduxit locupletissimum? non eum quæstorem opibus suis præfecit? non postremo trierarchum creavit? Quanquam res profecto sit miranda, quo tempore alii patrimoniis amplissimis præditi per trierarchatuum impendia ad egestatem deciderunt de qua amare queruntur, eo tempore hunc, qui antea plane nihil in fortunis habuisset, trierarchi sumptuosum munus expetisse. Nam utique trierarchum Ergocles hunc Philocratem eo creavit, non quo res ipsius familiaris minueretur, sed quo quæstum ex eo munere Philocrates faceret pinguissimum, eoque fidelius sua [Ergoclis] bona custodiret atque administraret; cum nemo Ergocli esset, quo magis fideret, atque hoc Philocrate. Cui non patent, ut equidem mihi

persuasi, judices, nisi duæ viæ sui purgandi. Aut enim alius quispiam ei demonstrandus est, penes quem abdita hæreant Ergoclis bona, aut planum faciendum, Ergoclem ærarii vestri prædonem non fuisse largitionibusque intactum atque inaccessum fuisse, ideoque per nefas a vobis sublatum esse. Sin autem id fiet, quod necesse est fieri, ut Philocrates horum neutrum doceat, placet hunc a vobis condemnari. Succensetis iis atque punitis, si qui alios aut astu emungant aut vi deprædentur: qui ergo conveniat vos iis connivere atque ignoscere, si qui vestra ipsorummet bona furati penes se occulta retineant?

2. Atheniensium ecquis est quem fugiat, tria talenta fuisse pro Ergocle alicubi per modum fideicommissi deposita oratoribus deponsa, si possent eum periculo capitis eripere aut saltim necessitatem devitare ipsum accusandi? Oratores autem, quanquam pecuniam non fastidiebant, verumtamen videntes iracundiam vestram ad puniendum ardentem, quietos sese continebant, neque audebant importunitate studii aut Ergoclem servandi aut saltim accusationem ejus avertendi sese ipsos prodere. Philocrates itaque primum quidem, cum illa tria talenta reposcens ab illis recuperare non posset, minabatur rem se proditurum eosque ad populum acceptorum munerum crimine delaturum: deinde vero, postquam illa tria talenta recuperavit et una cum iis reliquorum quoque bonorum Ergoclis potitus est, eo processit audaciæ, ut emptos ære testes sibi compararet, qui mox confirmabunt omnium hominum Philocratem Ergocli fuisse infestissimum. Atqui, si Philocrates Ergoclem tanto prosequebatur odio, existimatisne, judices, Philocratem eo unquam fuisse dementiæ processurum, ut trierarchatus functionem sponte sua capesseret, imperatore Thrasybulo, cui Ergocles esset acceptissimus atque carissimus? Qui poterat aliter citius pessum ire? qui magis patere vexationibus atque contumeliis?

3. Sed ad hoc quidem caput sat multa a me esse autumo disputata: vos autem rogo, ut vobismet ipsi deesse nolitis, sed potius cupidos atque facinorosos ulciscamini omnemque gratiam prædonibus ærarii vestri denegetis, qui commiseratione vestra prorsus indigni sunt. Philocrates enim, etiamsi mulctam dependerit quam vos ei dicetis, tamen de suo nil dependet, sed vestra vobis solummodo reddet; quod cum fecerit, multo tamen ei adhuc supererunt plura quam vobis dependerit. Et profecto indignum sit atque abhorrens, iis quidem vos irasci, si qui de suo ad publicas necessitates conferre minus valeant, eorumque bona velut injurias vobis offerentium publicare; horum autem, qui vos ipsi expilarint, punitioni animum non adjicere, sed committere, ut, cum bona vestra vestris a furibus haud recuperetis, tum eos postmodum habeatis hoc sæviores inimicos. Donec enim ipsi sibi conscii erunt vestra bona secum

esse, malevolum erga vos animum non exuent, existimantes præter publicas calamitates aliud nihil esse quod metu se liberet rationis rerum a se gestarum vobis tandem aliquando necessario reddendæ.

4. Quid? quod autumo, judices, jus æquum et verum hac in causa si obtineat, non satis esse ut Philocrates peculatus postuletur, sed etiam oportere, ut necessitas pro capite dicendi ipsi imponatur. Et profecto grave sit atque non ferendum, si, cum privatis et minutis in causis furtorum conscii pœnis teneantur iisdem quibus fures ipsi, tum Philocrates, qui Ergocli conscius sit et peculatus et cauponatus jurium vestrorum, non modo non eadem pœna qua ille afficiatur, sed insuper quoque mercedem nequitiæ ab ipso in celandis Ergoclis furtis demonstratæ ferat habeatque relictam ab illo substantiam. Sed est alia adhuc quoque causa, judices, ob quam vos par est hunc Philocratem ejusque consortes punire, quos nil puduit vestram castitatem contumeliosissimis sermonibus infamare, ac si cupidi venalesque sitis. Superiori enim judicio populi, cum causa Ergoclis in concione agitaretur, dictitabant quingentos e Piræeo esse largitionibus a se corruptos, et in urbe alios mille et sexcentos numero; magisque se suis opibus fidere, quam peccata sua reformidare, præ se ferebant. Fecistis vos quidem jam tum, cum Ergoclem condemnaretis, his planum atque testatum, verum ad omnes homines etiam declarandum vobis est, nullam esse pecuniarum tantam vim, quæ vos ab eorum castigatione avocet, si quos in maleficio deprehensos vestrarum tabellarum potestati obnoxios nacti sitis. His negate facultatem vestra bona furandi atque diripiendi. Hæc ego vobis suadeo, ad hæc vos cohortor. Nostis enim vos omnes Ergoclem cum classe hinc discedentem hoc sibi habuisse propositum, ut rem faceret quam amplissimam, non ut largitate atque magnificentia suæ erga remp. liberalitatis gloriam quæreret: nostis item bona Ergoclis penes alium nullum esse, quam penes hunc Philocratem. Quod si ergo sapitis, operam dabitis ut ab eo bona vestra recuperetis.

LYSIÆ
CONTRA NICOMACHUM SCRIBAM
DE RATIONIBUS REDDENDIS
ACCUSATIO.

---

1. Haud raro evenit, judices, ut in judicium adducti, cum visi essent peccasse, veniam tamen a vobis impetrarent, alii quod majorum fortia facta proferrent, alii quod sua ipsorum de vobis merita. Quando igitur defendentium excusationes haud aspernamini, a quibus ornamentorum aliquid in remp. esse collatum constiterit, æquum est accusatores quoque æquis auribus a vobis audiri, cum reos improbitatis arguunt jamdudum inolitæ atque inveteratæ. Patrem itaque hujus Nicomachi servum publicum fuisse, et hic ipse Nicomachus quibus in studiis adolescentiam contriverit et quotum demum ætatis annum agens in album phratorum illatus [h. e. civitate donatus] sit, ea vero omnia enarrare longum sit: ex quo autem mandatum ei tandem negotium fuit codicem legum condendi, ecquis est quem fugiat, quantas ex eo tempore noxias reip. attulerit? Imperatum enim ei cum esset intra quartum mensem leges Solonis in mundo unoque codice exarare, non solum non Solonis leges sed suas conscripsit et pro Solone ipse sese suis auspiciis legislatorem creavit, sed etiam honorem in quatuor menses datum in sextum annum extraxit: cujus sexennii diem non est passus abire, quo non quæstum fecisset aliis legibus expungendis aliis inferendis. Denique jus nostrum eo contemptus atque dedecoris devenit, ut necesse haberemus uti legibus iis, quas impertire postulantibus nobis, velut promo condo, placuisset Nicomacho, quamvis parce vellet, quamvis adulteratas et vitiatas, quamvis immani emptas: ita factum est, ut litigantes contrarias atque repugnantes inter se leges allegarent, alias idem imperantes, alias vetantes, quas ambæ partes affirmarent a Nicomacho accepisse. Item si magistratus alicui mulctam arbitratu suo irrogassent eumque postmodum in judicium induxissent, Nicomachus proferre leges [secundum quas causa quæque disceptaretur] recusavit; sed prius resp. maximas in calamitates incidit, quam ille hoc honore decederet actorumque rationem redderet. Quoniam igitur pœnas tum nullas dedit, age nunc tandem videamus, qualem in illo magistratu se gesserit? Primum totum quadriennium insumpsit legibus exscribendis, quod negotium intra mensem poterat peragi: deinde, cum assignata in manusque data ipsi fuissent exemplaria, unde suum

codicem exscribere jussus esset [vel, si mavis sic reddere: cum certæ Archontum ætates, velut metæ quædam, ipsi fuissent fixæ, quibus ab ætatibus inde initium exscribendi faceret, ut citeriores quidem, non autem ulteriores seu antiquiores leges conscriberet], universum juris nostri ambitum sibi fecit provinciam, et, tot et tanta cum tractasset quanta nemo alius, tamen ad hoc diei nondum rationem reddidit solus. Reliquis enim omnibus exeunte prytania quaque reddenda est honorum suorum ratio: tu autem, Nicomache, ne quadriennii quidem rationem actorum dignatus es literis consignatam censoribus exhibere; sed civium omnium tibi soli censes licere honorem per longa temporum spatia extrahere, ita ut neque rationem reddas neque plebiscitis pareas neque leges pensi facias, quarum alias tuum in codicem infers, alias expungis, eoque procedis dementiæ, ut tua ducas esse quæ sunt reipublicæ, quanquam servus es publicus. Vos itaque decet, judices, recordantes, et quibus ortus sit majoribus Nicomachus, et ea injuria vobis inferenda quam intulit, quam se immemorem vestri beneficii ingratumque præstiterit, eum punire, et quoniam unius cujusque criminis pœnas ab eo non repetiistis, nunc ob cuncta simul ulcisci.

2. Sed fortasse, judices, cum pro se afferre quo purgetur nihil poterit, tum in invidiam me adducere conabitur. Quod cum faciet, oro vos, judices, ut ei me criminanti fidem prius habere nolitis, quam si ego, copiam mei defendendi nactus, mendacia ejus purgare minus potuero. Quodsi ergo conabitur eadem de me ad vos quoque criminari, quæ coram senatu ausus est, me fuisse in numero Quadringentorum virorum, recogitate probrum hoc esse illis ita familiare atque protritum atque in neminem non ab iis jactari solitum, ut si omnes illi, quos hi aiunt in isto collegio fuisse, reapse fuissent, non jam quadringentorum sed plus mille virorum illud collegium fuisse necesse esset. Referunt enim hunc in numerum alios qui tempestate Quadringentorum adhuc pueri erant, alios peregre procul ab urbe agentes: verum, quo homines insontes vobis suspectos invisosque reddant, calumnias istiusmodi a se nefandum in modum confictas iis adspergunt. Ego vero tantum absum, ut in collegio Quadringentorum fuerim, ut ne in ter [aut quinquies] mille quidem collegium unquam fuerim cooptatus. At enim videte quæso loci mei iniquitatem et quam iniquo cum adversario commissus sim: privata si quapiam in re cum eo contracta certarem eaque in re maleficii eum admissi arguerem ita perspicue atque nunc hac publica in causa arguo, tam non videtur esse ferreus et impudens, ut per excusationum tam frigidarum ineptias absolvi sit postulaturus; jam vero in judicio versans de se habendo super re ad rempublicam pertinente, videtur opinari, nullas se pœnas dare oportere, dummodo me accusaverit.

3. Rem porro mirandam puto Nicomachum, qui censeat vos debere

aliis minora delinquentibus succensere in eosque animadvertere, eundem postulare ut vos sibi ignoscatis, a quo rempublicam gravissimis læsam injuriis pessimisque fraudibus innexam esse confido me planum facturum. Audite ergo nulla formidine, judices: accusatores enim hoc genere accusationis utentes admitti atque probari par est, cum reos insectantur huic reo similes. Hi nempe, cum libertatem plebis ipsi suis manibus lacerassent, nunc se studiosos ferunt hujus a se labefactatæ libertatis; quorum e numero Nicomachum hunc esse, vel uno vobis hoc documento constabit. Amissa classe, cum de mutanda reipublicæ forma deliberaretur, objurgabat Cleopho senatum, aiens eum conspirasse atque coisse ad machinandam reip. perniciem et consilia reip. dare haud saluberrima. Ibi Satyrus Cephisiensis, quippe tum senator, senatui fiebat auctor, ut Cleophontem in carcerem abduci juberet, postmodum judicio tradendum. Senatores reliqui, sublatum cupientes Cleophontem, metu ne judicium non mortis ei pœnam sed aliam quampiam mitiorem irrogarret, persuadent huic Nicomacho ut legem proferret in hanc formulam, oportere senatum quoque judicio interesse unaque cum reliquis legitimis judicibus sententiam pronunciare. Ibi homo hic hominum omnium pessimus perspicuum atque controversiæ expers edidit documentum animi sui a libertate populari alieni atque factioni dediti, novis tum rebus atque dominationi paucorum studenti: eodem enim die demum, quo judicium in Cleophontem est habitum, legem illam protulit. Sunto, judices, per me licet, alia in Cleophonte haud probanda: hoc tamen in confesso est, turbatores illos, qui remp. labefactare tum contendebant, omnium civium hunc unum Cleophontem maxime de medio tollere studuisse, Satyrumque atque Chremonem, qui Trigintatyrannorum teterrimi erant, non eo accusasse quod majestatem vestram a Cleophonte læsam existimarent, sed quod sperarent, ubi eum sustulissent, neminem fore qui ipsos prohiberet mala vobis injungere. Quod ut consequerentur, malis artibus per hanc legem a Nicomacho tum prolatam perfecerunt. Videtur utique Cleopho, judices, vestrum nonnullis civis malus fuisse: at hoc tamen rursus vos cogitare par est, quanquam a Trigintatyrannis haud pauci mali cives perempti sint, vos tamen tyrannis ob hos ipsos malos cives, non minus quam ob bonos, interemptos succensere, quia tyranni eos, non in maleficiorum pœnam, sed ad ultioni privatæ satisfaciendum, ob privatas eorum cum ipsis simultates, qui secum non facerent, sed cum diversa factione, sustulerint. Ad hoc igitur caput accusationis refutandum cum accesserit Nicomachus, hoc unum modo vos meminisse velim, legem illam de qua queror ab eo fuisse isto prolatam temporis articulo quo reipublicæ forma fuit mutata, in eorumque gratiam qui libertatem eversum ibant, in causaque fuisse, proferenda illa lege ab ipso conficta, ut una cum legitimis judicibus ad judicandum de Cleophonte præter

morem sederet is senatus in quo Satyrus et Chremon plurimum valebant, Strombichides autem et Calliades aliique multi viri fortes atque boni perierunt.

4. Mentionem hujus loci fecissem nullam, nisi intelligerem, Nicomachum hac excusatione, injusta quidem illa atque ementita, conari severitatem vestri judicii subterfugere, quod plebis sit studiosus. Cujus suæ erga vos voluntatis argumento utetur hoc, quod exsilium vobiscum participarit. Ego vero haud paucos demonstrare atque nominatim edere possim, qui, quamvis operam tyrannis ad evertendam remp. navassent, nihilominus tamen ab ipsis alii morte affecti, alii in exsilium acti fuerunt, a dominationis certe consortio exclusi; quapropter haud convenit exsilii tolerationem ei prodesse, sed vos potius decet nullam ejus habere rationem neque ejus respectu peccatis Nicomachi ignoscere: nam ipse quoque in partem culpæ venit, et per ipsum pro parte ipsius virili factum est ut vobis esset in exsilium migrandum; ut autem ipsi domum redire liceret, hoc plebis vestræ contentioni debet. Præterea stultum et turpe sit, vos quidem gratiam ei habere rei quæ ipso invito et nolente evenit [reditus in patriam], ipsum vero pœnas dare nullas criminum ab ipso volente in vos commissorum.

5. Audio præterea Nicomachum hæc crepare, me impium esse qui religiones sacrorum tollam. Ego vero hac de re sic statuo. Leges super descriptione si tulissem, liceret quodammodo Nicomacho ista jactare: jam vero postulo eum legibus communibus et dudum fixis morem gerere. Miror enimvero ei, aienti me impium esse, qui tamen censeam sacra a kyrbibus atque stelis imperata fieri secundum pacta literarum monumentis consignata, in mentem non venisse totam hoc pacto civitatem a se accusari: vos enim hæc eadem decretis vestris sanxistis, quæ ego restaurari suasi. Porro si res, quarum ego factus sum auctor, tibi graves atque indignæ videntur, quanto gravius atque scelestius illorum videbitur facinus, qui sacra fecerunt solummodo e præscripto kyrbium. Atqui de pietate, judices, non a Nicomacho vos discere quæ conveniant decet, sed e factis judicare. Majores nempe vestri, tametsi sacra nulla faciebant alia quam a kyrbibus præscripta, civitatem tamen hanc vobis tradiderunt Græcarum omnium amplissimam atque fortunatissimam: quare convenit, vos eadem sacra, easdem cærimonias, tueri, si nullam aliam ob causam, saltim ob felicitatem fortunæ quæ illorum sacrorum exercitationem consecuta est. Ecqui alius esse quis possit religiosior atque pietatis erga deos observantior quam ego sum, qui censeam sacra esse facienda primum e ritu patrio, deinde ea quæ civitati prosunt omnium maxime, tum quæ populus scivit, denique in quæ faciendis sumptibus vectigalia publica sufficiunt? Tu autem contra fecisti, Nicomache: nam in descriptione sacrorum

a te condita atque exhibita cum sacra indixeris multo plura quam vetustis a legibus imperata sunt, factum ex eo est, ut vectigalia, in hæc nova sacra te auctore inchoata cum insumantur, ad illa vetusta et patria minus sufficiant. Ne longe abeam, anno superiori ob defectum pecuniæ facta non sunt sacra eorum e numero quæ a kyrbibus imperata sunt, et in quæ sumptus trium talentorum fuisset faciendus. Occurri nequit reditus publicos haud suffecisse: suffecissent utique in sacra antiquo patrio ritu sancita, nisi Nicomachus hic nova sacra descripsisset, in quæ plus quam sex talenta impendi debent, et non modo suffecissent reditus, sed etiam superfuisset adhuc ærario. Quæ aio, testibus ea confirmata dabo.

TESTES.

6. Reputate vobiscum, judices, sacra si faciamus secundum pacta conventa tum literis consignata atque jurejurando confirmata cum populus ab exsilio domum rediret, omnia sacra fieri posse vetusto ritu patrio tradita: sin autem secundum edictum harum stelarum quas hic Nicomachus fixit, multa intercidere atque omitti debere. Et nihilominus tamen ambit hic sacrilegus domos, circumcursitat per stationes, ubique jactans, se leges conscripsisse de sacris faciendis, non parsimoniæ quidem, et pietati tamen vestræ, convenientes; quæ si vobis leges minus arrideant, jubet eas rursus expungi: et ejusmodi offuciis sperat se vobis persuasurum, ut credatis neganti quicquam in vos peccasse, tametsi civitatem, ut sumptum duodecim talentis majorem quam oportebat hoc biennio faceret, induxit, et, qua est audacia, quotannis senis talentis ærarium quasi mulctare sustinuit; quid enim aliud fecisse dicendus erit is, qui leges de sacris tulit eas, quæ leges si obtinebunt, ærario sena quotannis talenta erunt impendenda plus quam oportebat? idque tam importuna et dura tempestate, qua res pecuniaria tam arcta est, videns, ærarium exhaustum et exinanitum, Lacedæmonios minantes ni debita ipsis tot talenta dependamus, Bœotos autem corporaque tum serva tum libera et jumenta armentaque nostra et plaustra et instrumentum omne rusticum ex agris nostris agentes, ferentes, secum retinentes pro arrha quasi luitionis duorum talentorum quæ ipsis debemus neque reluere valemus; videns denique navalia et mœnia nostra ob penuriam ærarii in ruinas dilabentia; qui porro probe nosset senatum rebus identidem presidentem, si satis sit unde sumptus in res exsecutu et provisu necessarias faciat, nulla in re delinquere, sin autem enervatus atque subsidiis destitutus sit, facere non posse quominus causas iniquas et turpes, titulo denunciationis ad se delatas, recipiat, civiumque innocentium bona confiscet, et in potestate sit oratorum pessima quæque suadentium. Quapropter oportet vos, judices, non senatoribus succensere identidem remp. administrantibus, sed his qui ad ejusmodi incitas et penurias rei

pecuniariæ remp. deprimunt. Attendunt nunc exitumque hujus judicii præstolantur fures peculio vestro insidiantes, quibus effusam licentiam impunitatemque dabitis vos compilandi, nisi Nicomachum puniveritis: sin autem condemnato extremas quasque pœnas irrogabitis, quo calculo Nicomachum condemnabitis, eodem reliquos quoque corrigetis melioremque ad frugem revocabitis; edetisque documentum, unde alii discant neque expedire sibi neque licere in vos delinquere, non infacundos castigantes sed disertos et linguæ potentes. Ecquis jam unus omnium civium ad pœnas vobis dandum meritas hoc Nicomacho est accommodatior? quis de patria minus est bene meritus? quis eam sæpius atque gravius læsit? quis, creatus a vobis juris vestri civilisque et sacri digestor atque conscriptor, utrumque illud jus ita corrupit atque Nicomachus? Recordamini, quam multi, vestri qui cives nati essent, ob peculatum morte sint mulctati. Læserunt hi quidem vos proculdubio, sed hactenus solummodo quod detrimento vos affecerunt quasi momentaneo, ad id solummodo breve tempus quo rem vestram minuerunt: hi autem, Nicomachus cum consortibus, qui leges atque cærimonias vestras describere jussi, eas temerant, ad id faciendum largitionibus empti, remp. in omne futurum tempus carpunt et labefactant.

7. Ecqua tandem vos de causa, eccujus memores virtutis ab eo demonstratæ, Nicomachum absolvatis? Num quod vir fortis atque strenuus sit multisque prœliis terraque marique interfuerit? Atqui, quo tempore vos cum discrimine capitum vestrorum in navibus hinc fugientes in exsilium ibatis, hic manens in urbe Solonis leges vitiabat atque confodiebat. An, quod de suo largiter atque magnifice in vos impenderit multasque contributiones contulerit? Atqui non modo nil contulit, sed contra peculium vestrum expilavit. Verumtamen ob majorem famam et virtutem? Profecto jam sæpe quibusdam hoc nomine ignovistis: hunc autem, sui quidem causa morte mulctari, majorum vero sub corona vænire oportebat. Attamen, si nunc ei veniam dederitis atque peperceritis, gratiam vobis imposterum rebus ipsis reddet animumque memorem declarabit? Is ne? qui ne priorum quidem ornamentorum a vobis in se collatorum meminit; quanquam e servo civis beneficio vestro factus, et e mendico dives, et e commentariensi secundi ordinis legislator. Id quod etiam jure merito vobis vitio vertatur, qui ab exemplo majorum vestrorum hac in re desciveritis: majores vestri delectu suo sibi legislatores constituebant Solonem et Themistoclem et Periclem, existimantes latoribus legum leges ipsas similes esse futuras; vos autem Tisamenum Mechanionis filium et Nicomachum, aliosque iis similes homines nescio quos subscribas, huic legum conscribendarum negotio præfecistis; et magistratus quidem vestros ab illis contaminari atque corrumpi suspicamini, ipsi vos autem illis fiditis. Quod turpissimum, quod cum eidem magistratui eundem pro

commentariensi bis famulari haud licet, summas autem res quam diutissime hos agere atque versare arbitraria cum potestate sinitis. Denique ei Nicomacho describendas leges atque cærimonias vestras mandastis, cui ne cum civitate quidem quicquam commune est ob patris ignobilitatem: de quo totum populum judicium capitale agere oportebat, is jura vestra libertatemque jugulavit; de quo ut inter vos constaret, factis ipse suis operam dedit. Horum cœptorum vos nunc tandem aliquando pœniteto: incipite tandem aliquando injurias nolle animo æquo perferre eorum qui identidem sunt in civitate turpissimi; neque committite, ut quos privatis in circulis objurgatis atque traducitis, eos publice punire cum possitis, tamen absolvatis.

8. Hæc hactenus. Juvat nunc adhuc paucis quoque vos admonere de iis, qui Nicomachum exorando liberare studebunt. Parati nempe quidam sunt e numero amicorum ejus, nec non eorum qui in rep. versantur, pro eo deprecari: quorum ego nonnullos decere magis arbitror, ut facinora ipsi sua purgent, quam ut pro aliis maleficis deprecationem apud vos interponant. Grave mihi, judices, hoc quoque videtur neque ferendum, hos a Nicomacho quidem, qui unus esset nullaque vestra læsus injuria, contendere ut noxias suas a rep. removeret nil curasse; vobis autem, tot numero qui sitis et ab eo gravissime læsi, laborare ut persuadeant haud decere pœnas a reo repeti. Oportet itaque, quod ab hujus amicis conferri videtis studium ad amicum servandum, id idem a vobis conferri ad inimicos vestros puniendum, bene gnaris, si fures ærarii vestri majestatisque vestræ latrones pro meritis castigaveritis, hos ipsos eorum patronos primos fore qui vos fateantur viros fortes atque strenuos esse. Cogitate, neque Nicomachum, neque deprecatorum ejus quenquam tot ornamenta in remp. contulisse, atque hic unus Nicomachus ei vulnera imposuit; quapropter multo magis vobis convenit hunc punire, quam illis huic subvenire. Ignorare vos quoque nolim, judices, qua cum spe deprecatores Nicomachi hoc ingressi sint tribunal: sperant vos minus constantes in dignitate vestræ personæ tuenda fore, quam nos in nostræ fuimus; nullam non nobis admoverunt persuadendi machinam, tametsi frustra, ut accusationem hanc omitteremus; jam vestrum in conspectum prodierunt periculum facturi, possintne auctoritate, gratia, precibus judicium flectere, sperantesque fore, ut imponendo vobis licentiam adipiscantur imposterum quicquid volent impune agendi. Nos quidem flectere non poterant: estote itaque vos quoque constantes. Non ante judicium solummodo declarandus vobis est, id quod facitis, animus maleficis infestus, sed in ipso quoque judicio, atque id multo potius, castigandi sunt audaces legislaturam vestram funditus tollentes: quod cum fiet, tum demum nulla non pars reip. recte et ad præscriptum legum gubernabitur.

LYSIÆ

CONTRA PHILONEM

DE PROBATIONE

ORATIO.

1. Haud ego equidem, senatores, sperabam unquam futurum ut Philon hic eo excederet audaciæ, ut probationis ergo copiam sui vobis faceret: verum, quia non una in re sola se jactavit ejus audacia sed in permultis, egoque hoc in tribunal ingressus sum jurejurando dicto, me vobis auctorem futurum optimorum quorumque consiliorum, quo in jurejurando hæc quoque inest clausula, ut, qui jus illud jurandum dicit, is spondeat a se denunciandum Si quem norit inter senatus candidatos sorte designatos eo ordine indignum, feram me nunc hujus Philonis accusatorem, nullam meam cum eo privatam exsequens simultatem, neque ad levitatem et fidentiam sublatus a nescio qua conscientia facultatis et usus in dicendo coram vobis, sed multitudine delictorum ejus fidens, dignumque me censens religioni jurisjurandi a me dicti me inhærescere. Intelligetis quidem copias, quibus ad illum accusandum ego utar, multum concedere copiis his, quibus ille fretus flagitiosum se ferre ausus est: verumtamen etsi in accusatione a facundia memoriaque destituar, non id ei ideo debet prodesse; sed potius, quæ ego, quamvis pauca, perspicue et quoad satis erit docuero, ex iis eum reprobari convenit. Dicam enim sic, ut cum facinorum ab eo commissorum ignoratio mea factura sit, ut multitudinem gravitatemque rerum dicendarum minus videar assecutus fuisse, tum rursus tamen satis dixisse videar ad declarandam hujus improbitatem, quæ tanta est et tam abnormis, ut quamvis pauca specimina satis universam prodant. Sed et vestrum si qui sunt eloquentia valentiores quam ego sum, eos rogo, ut delicta Philonis oratione exaggerare velint et a me præteritis ea quæ ipsi norint crimina ejus addere: neque enim e solis a me dicendis spectari mores ejus convenit.

2. Nego itaque fas esse senatui de rebus fortunisque vestris deliberaturo quenquam interesse, qui non, præterquam quod civis natus sit, etiam civis esse bona fide studeat atque contendat. Ejus-

modi enim animo qui præditi sunt, eorum permagnum interest rectene an secus habeant reip. fortunæ, propterea quod existimant oportere se perinde damna ejus atque emolumenta participare. Nam qui, nati cum sint cives, eo tamen sunt animo, ut ubicunque bene sibi sit copiarumque ad vitam commode degendam satis et super sit, ibi patriam esse autument, hos constat, transmissa boni communis cura, in privata sua commoda esse incubituros, quippe quibus non in civitate sed in fortunis suis sita sit patria. Planum itaque faciam hunc Philonem securitati suæ diligentius quam patriæ periclitanti prospexisse, satiusque duxisse salvas habere fortunas suas in tutoque ætatem degere quam periculis pari cum aliis civibus contentione obeundis remp. salvam præstare. Cui cum sæva illa clades contingeret — cujus ego cladis mentionem hactenus faciam, quatenus rerum narrandarum ordo et natura necessitatem mihi imponet eam perstringendi —, Philon hic, una cum reliquis civibus a Trigintatyrannis e civitate proscriptus, aliquantisper rure consedit; cum autem illi a Phyla in Piræeum redissent, civesque nostri non Attico solummodo ex agro verum etiam ex omni circa regione finitima coissent, omnes et singuli quam possent operam ad succurrendum laboranti patriæ conferentes; quid ibi Philon hic? contra quam alii omnes, convasatis quæ ei hic erant alienam in ditionem se transtulit, Oropum habitatum concessit, ibi vectigal inquilinatus dependit, sub tutela patroni vixit; malebat nempe apud illos inquilinum agere, quam apud vos civem pari vobiscum jure utentem. Neque, quod constat civium nonnullos fecisse, animum partesque cum fortuna mutavit: nonnulli nempe, videntes Phylæis illis conatus prospere succedere, a tyrannorum partibus ad horum transibant; Philon autem ne harum quidem secundarum rerum communionem appetiit; rei bene prospereque jam peractæ supervenire, quam ei cum ageretur interesse, maluit; participare fructus laborum maluit, quam suo consilio suave opera patriam ornare atque relevare. Non rediit in Piræeum, neque locus ullus est in quo collocandi sui copiam vobis fecisset. Jam qui vos prodidit, quos videret prosperis rerum successibus florentes, quid ille fuisset ausurus, si vos secius atque vellem res gerentes vidisset?

3. Privatis quidem si qui constricti cladibus interesse periculis iis haud potuerunt, quibus resp. tum defuncta est, venia hi digni utique sint — ecquis enim ultro, dedita opera infelix sit? —, consulto autem qui commiserunt ut a laboribus vestris abessent, hi venia sunt arcendi: non enim a calamitatibus intercepti abfuerunt, sed mala fraude sua temporibus vestris insidiati. Ratus quidam est usuque universi generis humani constabilitus mos imprimis æquus et humanus, ut, duobus ejusdem criminis reis factis, offendamur

atque succenseamus ei maxime, qui quo minus committeretur cavere potuisset; pauperibus autem aut corpore invalidis parata est penes omnes venia, censentes, quicquid labantur, invitos eos labi. Philon ergo venia prorsus est indignus: nam neque corpus ei ad laborum patientiam molle et flaccidum est, id quod ipsi cernitis, neque copiis rei familiaris destituitur ut muneribus edendis parum sit idoneus, id quod ego mox planum atque testatum faciam. Qui ergo, ignavia torpens et malignitate quadam animi dolosus, ibi loci et in tantum prodesse patriæ cessavit quatenus prodesse poterat, quo quæso pacto poterit is facere quominus omnium vestrum odio et exsecratione obruatur? Verendum porro vobis non est, ne Philone reprobando civium reliquorum quenquam offendatis: non enim alteros, sed ambos [tam Piræenses, quam urbanos], ab eo proditos esse palam est; quapropter neque ab iis qui in urbe manserunt eum amari consentaneum est, quibus laborantibus ut subveniret in mentem ei non venit, neque rursus a Piræensibus, quibuscum reditum in patriam armis quærere nil curavit, idque cum, ut ait, civis esset. Sin tamen adhuc superest tertium aliquod civium genus, si fiat aliquando — quod dii vetent — ut genus hoc rerum potiatur, cum illo tum genere civium rempublicam gerere atque senatui interesse postulato, hoc suum de ipsis meritum allegans, quod causam ipsorum amplexus esset.

4. Quo itaque certi sitis Philonem apud Oropum sub tutela patroni incoluisse fortunasque ei satis amplas lautasque esse et neque urbanis eum neque Piræensibus præsto fuisse, audite hos qui testimonio suo fidem a me dictis adstruent.

TESTES.

Relinquitur ergo ut causetur, per interventum valetudinis negatum quidem sibi fuisse Piræensibus succurrere, verumtamen de suo sponte contulisse unde paupertas plebis vestræ sublevaretur, aut municipalium quosdam instruxisse, quemadmodum civium vestrorum alii quoque haud pauci fecerunt, si qui per corporum infirmitatem ipsi militia fungi nequirent. Ego vero ei hoc quoque mendacium eripiam, quo vos eo circumvenire ne possit; quoniam mihi postmodum non licebit ejus arguendi causa huc ad vos progredi. Cita tu mihi Diotimum Archarnensem una cum reliquis qui delecti cum Diotimo fuerunt, ut municipales armis instruerent ære collato comparatis.

TESTIMONIA DIOTIMI ET COLLEGARUM.

5. Nihil itaque Philon reip. profuit: verum non modo in mentem ei non venit ut prodesse reipublicæ vellet in istiusmodi tempore atque in ista rerum perturbatione, sed etiam commisit ut e malis

vestris rem augeret; evectus enim Oropo, alias solus ipse, alias cum globo quem ducebat hominum improborum, qui clades vestras lautam sibi atque quæstuosam ducerent provinciam, persultans agros vestros, si quos in cives vestros incurreret annis graves, in municipiis relictos, in re familiari perquam curta, qua carere ad vitam sustentandam nullo modo possent, per ætatem haud valentes vobis opitulari, cum animis vestri essent studiosissimi, hos igitur Philon fortunis spoliabat, majoris faciens mediocritatem fructus quem ex eorum spoliis percipiebat, quam laudem innocentiæ atque continentiæ erga eos, qui nunc, quo minus in eo suas cuncti exsequantur injurias, eadem ab ipsa causa impediuntur, ob quam tum quoque vobis succurrere cum vellent non poterant. Verum cavendum vobis est, ut eorum infirmitas eadem ne bis Philoni provincia fiat. Jam semel fortunis eos omnibus denudavit: nunc iterum ex eorum damnis lucrum aufferat, si fiat, quod vos minime committetis, ut vos Philonem ideo probetis, quod illi cuncti a senio et valetudine constricti hic adesse et de hoste suo queri eumque súo premere testimonio non possunt; verum, etiamsi vel unus modo illorum tum ab hoc Philone vexatorum in judicio adsit, satis hoc magnum judicate argumentum veritatis, et hunc Philonem odio quam fieri poterit maximo insectamini, qui expilare sustinuerit eos, quibus alii miserti paupertatis de suo largiri soliti sint. Cita tu mihi testes.

TESTES.

6. Porro causam video nullam, cur vos oporteat hoc de Philone secius statuere, atque ipsi ejus necessarii, quos consentaneum est eum optime nosse, statuerunt; erga quos ita se gessit immanem atque belluinum, ut, etiamsi aliud nihil deliquisset, vel sola hæc ejus immanitas vos eum reprobare sit coactura. Omittam, quæ mater adhuc superstes de eo questa est: at in exitu vitæ quæ egit, ea sunt ejusmodi, ut facile vobis sit illinc colligere qualis erga matrem fuerit. Dubitans enim illa cadaver suum filio credere, tres minas in funus suum erogandas Antiphani moribunda tradidit, cum quo nulla ipsi necessitudo erat. Norat ergo filium cupiditate captum, contempta sanguinis arctissima necessitudine, ipsos extremos honores sibi esse denegaturum. Atqui, si mater adeo, quanquam matres ita natura factæ sunt, ut a liberis quas accipiunt injurias, eas plerumque tolerent, et rursus beneficiis cultæ nil admodum magnum atque præclarum se ferre putent, quia, quicquid sit, benevolentia id magis atque caritate quam veritate rei censetur; quod si ergo mater hunc vel e cadavere suo compendium facturum suspicata est, quid vos oportet de eo arbitrari? quem ei erga vos animum esse? Nam erga necessarios qui tam immanis tam sordidus tam

turpis lucri avidus est, ecqui is erga alios erit? Vera autem ut vobis constet hæc quoque esse, audite ex ipso Antiphane, eo qui tres illas minas a moriente tulit mortuæque funus curavit.

TESTIS.

7. Ecquid igitur vos tandem spectantes hunc probabitis? utrum, quod nil deliquerit? Atqui patriam gravissime læsit. An, quod spes est fore ut olim aliquando resipiscat? Frugi homo prius esse studeto præclareque de patria meretor, tum demum candidatum se ordinis senatorii ferto, quum rebus testatum fecerit, tantum a se decorum esse in patriam collatum quantum constat ei vulnerum ab isto inflictum esse. Consultius enim apud omnes habetur gratiam demereri potius, quam promereri. Grave mihi quidem indignumque videtur, si peccatorum jam commissorum pœnas nullas det, beneficiorum autem, quæ in vos olim aliquando se collaturum ait, jam nunc præsentia ei præmia tribuatis. Sed fortassean ideo Philonem probabitis, quo cives vobis meliores virtutisque studentiores imposterum fiant, videntes, perinde omnes honoribus affici? Imo vero periculum est, ne boni, videntes in petitione honorum pari se loco cum malis haberi, desinant honestati operam dare, quod existiment, qui malis honores conferre nil dubitent, eosdem bonorum quoque esse solere immemores. Est hoc quoque meditatione vestra dignum, judices: castellum si quod navemve prodidisset quis aut castra, cum parte civium, extremis eum pœnis afficeretis; hic autem universæ civitatis proditor factus, ea tamen fiducia eaque cum spe vestrum in conspectum prodiit, ut constet eum immunitatis a pœnis certum esse. Quid? quod proditionis adeo præmium sperat se ablaturum honorem ordinis senatorii! Atqui, libertatem qui tam palam prodiderit atque hic fecit, ei non de honore petendo sed de servitute certandum apud vos erit, et de proscriptione bonorum omnium, unde extremam ad paupertatem delabatur.

8. Verum hæc eum jactare audio, nefas si esset ejusmodi in tempore patriæ deesse, legislatorem haud videri fuisse commissurum ut ea de re legem nullam ferret, qui, quas alias res vetitas voluisset, de iis diserte cavisset legibus singularibus. Sperat nempe vos tam tardos fore, ut hoc quod obvium est minus intelligatis, ob sceleris magnitudinem a legislatore præteritum id fuisse. Eccui enim aut oratori aut judici venisset in mentem, ut suspicaretur fore civium quemquam audaciæ tam projectæ ut tantum in se facinus admitteret? Hujusmodi enim si quid iis suboluisset suspicari, tam stulti et tam segnes profecto non fuissent, ut hoc de scelere cavere oblivisceerentur. Ordinis militaris de desertore, velut de magni sceleris reo, et ejusmodi quidem in bellis, ubi non salus patriæ in periculo

versatur sed ipsa patria alios in periculum conjicit, leges cum ferrent quibus ei severæ pœnæ constituuntur; ferre de eo, qui patriam ipsam periclitantem deseruerit, insuper habituri fuisse videntur? Nequaquam: tulissent enimvero, si unquam futurum suspicati fuissent, ut exsisteret qui tale quid auderet. Ecquis non vos, et meritos quidem, reprehendat, si, postquam inquilinorum eos qui plebi subvenissent tametsi nulla lege tenerentur id facere, honorassetis, et modis quidem hac civitate dignis; jam nolletis hunc Philonem punire, qui, quam debuerat tueri civitatem, eam civis officii immemor prodidit? punire, inquam, si non alia quapiam graviore pœna, saltim infamia in qua jam hæret?

9. Existimate vobiscum, qua tandem de causa bene de republica meritos honoretis, malos autem contemnatis atque abjiciatis; quod utrumque a majoribus ita est institutum eorumque exemplis confirmatum atque pro lege tuenda vobis traditum, non præteritorum magis gratia quam postventurorum, ut civium injiceretur animis ardor eas artes discendi easque copias rerum sibi comparandi, ea denique studia exercendi, quorum assidua meditatione tandem consequerentur hoc, ut boni fortesque viri, non fortuito nati, sed opera dedita facti haberentur; mali autem turpesque non modo non consulto, sed ne fortuito quidem essent, et a flagitiis sese quoquo modo abstinerent. Philonem porro cogitate non ea de se prodidisse, quæ spem faciant, fore ut boni atque idonei senatoris partes impleat. Senatores honorem capessentes jurejurando obstringuntur. Ecquod autem jusjurandum videatur ille sibi religioni ducturus violare, qui deos patrios prodidit? Id enim egit, et futurum fuisset, si omnes eundem atque ille animum habuissent idemque essent exemplum secuti. Ecquod ille sit bonum atque reip. salutare capturus consilium, qui patriam ne servare quidem atque a servitute vindicare sustinuerit? quænam ille reip. arcana silentii fide tecta et clausa servet, qui ne publice quidem a legibus atque magistratibus indicta atque denunciata exsequenda sibi duxerit? Qui ne postremus quidem ad communionem laborum atque discriminum vestrorum accesserit, qui conveniat, eum in honoribus, iisque tantis, conferendis præhaberi iis ipsis, quorum laboribus a vestris cervicibus depulsa est servitus et res tam præclaræ gestæ? Dirum utique sit atque detestabile, qui tanti vos omnes non fecerit, eum a vobis tanti fieri ut eum ordine vestro amplissimo dignum in censura morum declaretis.

10. Sed video quosdam, quorum satis mirari non possum dementiam. Hi parati Philoni, cujus studiosi et advocati sunt, succurrere, huc prodierunt eo cum proposito, ut amicum a vobis deprecentur, quem extorquere mihi precibus non potuerunt neque me flectere ut ab accusatione desisterem: hi vos rogabunt, ut amicum sibi condonetis; tum temporis autem, cum discrimina vobis impenderent atro-

cissima et resp. ipsa sui præmium in medio jaceret raptori cuique obnoxia, neque jam de honorum petitione sed ipsa de libertate ageretur, tum hi Philonem non rogarunt, ut vellet vobisque et universæ reip. succurrere, patriamque ut nollet eo cum senatu prodere, in quo sedendi jus et facultatem nunc ambit, quanquam titulus ei nullus est hunc honorem petendi neque jus fructum aliis præripiendi quorum sudore partus est. Solus omnium non habebit quod ægre ferat, repulsam a vobis, senatores, aufferens: non enim vos eum nunc aspernabimini, sed ipse suis semet manibus hoc honore tum spoliavit, cum sese dignum non judicavit pro eo senatu, cujus ad sortitionem nunc tam studiose venit, in acie vobiscum stans dimicare.

11. Satis hæc mihi dicta arbitror esse, quanquam multa præterii, confidens, vos, etiamsi hæc prætermiserim; tamen sponte vestra sententiam æquam reique publicæ salutarem esse laturos. Nam ad dignoscendum, quinam ad ordinem amplissimum admittendi sint, non aliunde vobis sunt quam e conscientia vestra documenta repetenda: recordamini, quales vos erga remp. cum essetis, eum in ordinem cooptari meruistis. Hujus quidem Philonis studia exempla sunt incivilia et ab omni popularis gubernationis forma abhorrentia.

LYSIÆ

CONTRA DIOGITONEM

ORATIO.

1. Summa nisi res ageretur, judices, et ejusmodi ut in ejus discrimine pupillorum horum, quorum causam dicendam recepi, sive salus sive exitium libretur, nunquam sivissem hos in conspectum vestrum prodire, contentionem cum necessariis rem esse ducens inprimis turpem atque abominabilem, prætereaque certus, ita vos rixositatem exosos esse, ut non cupidos solummodo rapacesque contemnatis et in numero sceleratorum habeatis, sed illos adeo ipsos quoque vilipendatis et in hominibus nauci numeretis, si qui, a necessariis bonorum parte quadam fraudati, fraudem hanc intolerantius ferant: verum hi pupilli magnis, o judices, permagnis facultatibus, et cunctis adeo fortunis exuti sunt atque detrimentis irreparabilibus affecti ab iis ipsis, a quibus par erat non solummodo non proficisci neque exspectari ejusmodi injuriam, sed etiam aliunde oblatam propulsari, id si fecissent quod eorum personas decebat; ad me receptum itaque cum habuissent hi, quorum soror penes me domi est, facere non potui quominus agendam eorum causam susciperem: uxor enim mea, quæ ut modo dixi horum soror est, Diogitonis hujus quem accuso e fratre neptis est. Conatus ego contentionem amica compositione dirimere, utraque cum parte multis cum egissem, et ut ex æquo et bono inter se deciderent hortatus essem, majoremque in modum contendissem, effeci tandem ut ambæ partes privato amicorum arbitrio rem permittere haud recusarent; magni enim referre autumabam, a me caveri, ut res ultra necessariorum atque familiarium conscientiam ne emanaret: verum enimvero, quæ Diogitonis fraude pupillis erepta esse atque intercepta penes eum retineri, tam perspicuis convincebatur documentis ut ipse nequiret infitiari, neque a se impetrare neque nostris obtestationibus adduci potuit Diogiton ut super iis in amicorum auctoritate esse vellet, sed conditionum æquitati viam juris in foro petendi prætulit maluitque nullum non genus actionum forensium experiri modo reus fieri, modo accusatoris personam gerere, sed causas inanes et commentitias in forum deferentis, extrema quæque adeo discrimina adire famæque bonorumque amittendorum, quam ut jus et fas præstando hujus accusationis molestia litiumque cum nepotibus exercendarum nexibus expediretur. Quod si ergo planum vobis fecero, judices, avum horum

puerorum Diogitonem eorum tutelam flagitiosius atque crudelius gessisse, patrimoniumque ipsorum furiosiore cum cupiditate concerpsisse quam ullus alius unquam tutor pupilli cujusquam hac in civitate fecit, tametsi cum pupillo nulla sanguinis necessitudine copulatus, rogo vos, judices, ut tum, quatenus jus et fas sinet, his pueris subveniatis: sin autem, quod recepi demonstraturum, id minus demonstravero, nil intercedo, quominus vos illique credatis temere quicquid volet jactanti, et nos posthac in numero improborum habeatis. Sed, quo rem teneatis, a principio inde repetenda videtur: vos mihi docere conanti aures præbete, judices, propitias.

2. Fratres erant Diodotus et Diogiton, iisdem sati parentibus, concordes inter se, nam hereditatem ita cernebant, ut nummis præsentibus una cum supellectile et mundo ex æquo divisis, fundos et reliqua bona immobilia communia possiderent. Tum Diodotus negotiationi animum adjecit, unde facto splendido quæstu cum crevisset opibus, a Diogitone persuasus filiam ejus domum ducit, quæ Diogitoni tum erat unica; ex eaque suscepit par liberorum et filiam quæ mea est uxor. Aliquanto tempore post accidit, ut copiæ navales cum Thrasyllo gravis armaturæ magistro nescio quo essent ablegandæ: illa in militia scriptus inter alios Diodotus, stans in procinctu, uxorem quæ eadem ipsi e fratre neptis erat arcessit, unaque uxoris patrem, qui idem et socer Diodoti et frater germanus erat avusque liberorum a Diodoto ex hac uxore susceptorum, existimans propter tam arctas tam multiplicesque necessitudines haud decere tutorem liberis alium præterquam Diogitonem a se constitui; Diogitoni itaque una cum tabulis testamenti a se conscripti in manus dedit Diodotus ejusque fidei commisit argenti quinque talenta; obligationes quoque, seu syngraphas, ad valorem septem talentorum cum quadraginta minis fœnore nautico creditorum ei monstravit, nec non aliam syngrapham de duabus mille drachmis in Cherrhoneso elocatis. Quo facto, ei præcepta reliquit hæc, si quid humani sibi contingeret ut hoc ex itinere domum redire haud liceret, ut tum Diogiton uxorem cui visum esset nuptui collocaret, addito in dotem talento his de nummis demendo, contributo insuper omni mundo muliebri et supellectile domestica, quam teneret ea diæta in qua plerumque una esse cum uxore atque cubare consuevisset: filia ubi nubilis facta nuptui daretur, ut ei tum in dotem talentum adderetur. Præterea, quo uxor una cum liberis, absente se, haberent unde alerentur, donec aut rediret ab illa expeditione aut excessus sui fama haud dubia ad eos perferretur, in manus dedit uxori viginti minas in argento et præterea triginta stateras aureos Cyzicenos. Quibus ad hunc modum constitutis domique relictis exemplis [seu copiis] illarum rerum a se sic constitutarum, exiit cum Thrasyllo in castra; unde non rediit, Ephesi fato defunctus.

3. Cujus rei certior factus Diogiton excessum illum fratris filiam celavit, et syngraphas quas Diodotus discedens penes uxorem sigillo suo reliquerat obsignatas ab ea auffert, causatus, illis opus sibi esse ad summas æris redigendas fœnore nautico crediti, quod æs a debitoribus redigere non posset nisi syngraphas iis suas redderet. Tandem aliquando, diu post mortem Diodoti uxori liberisque aperit, et sic facta ei sunt justa: primo inde anno uxor et liberi Diodoti in Piræeo commorabantur [in domo, quæ Diodoti fuerat propria]; ibi enim ille copias rerum reliquerat omnium ad victum cultumque necessariarum: his autem deficientibus avus nepotes in urbem remittebat [conductis in ædibus habitatum], eorumque matrem nuptui collocabat, in dotem addens quinquaginta minas, hoc est decem minis minus quam prior maritus ipsi delegaverat. Octavo anno post liberorum natu maximus, puber factus, examine tolerato, ad usum juris civilis tutelamque sui admissus est; quo facto Diogiton eum cum altero fratre ad se arcessitum hujusmodi oratione compellavit: pater vester, ait, hinc proficiscens, viginti minas cum triginta stateribus penes me reliquit. Ego ergo vos adhuc quidem de meo magnis impendiis alui, donec mihi fuit unde erogarem, pensi haud faciens, cujo de peculio insumeretur; nunc autem ipsemet ego egeo: tu ergo, quandoquidem examine peracto vir factus es, quære tute tibimet unde necessaria imposterum habeas.

4. His auditis illi perculsi atque flentes ad matrem pergebant ire, inde cum ipsa ad me, miserabilem in modum consternati lamentantesque quod nunc demum intelligerent se patrimonio prorsus eversos, atque me obtestantes ne se paterer inulto fortunis a patre relictis omnibus denudatos ad extremam paupertatem decidisse, indignamque passos contumeliam ab iis quos omnium minime deceret tam detestabilia fraudis crudelitatisque in se exempla statuere; sed ipsis subvenirem, tam sororis suæ causa quæ mea uxor est, quam ipsorummet. Finem haud inveniam, si luctus et lamentorum enarrare velim acerbitatem, quibus tum domus mea resonabat. Denique mater puerorum me rogare supplex, ut patrem ipsius cum amicis domi meæ colloquio committerem; quo posset (ipsius verba refero), quamquam haud sueta inter viros verba facere, a magnitudine cladium suarum victa, questus suos omnes nostrum in sinum effundere. Adibam ego tum ad Hegemonem, qui Diogitonis hujus filiam [e secunda uxore susceptam] in matrimonio habet; nec non cum aliis amicis communibus agebam, poscens, ut Diogitonem adducerent, ut ad congressum descenderet in quo status rerum discuteretur. Quod recusans initio Diogiton, tandem tamen ab amicis coactus est facere.

5. Congressis itaque nobis, interrogabat Diogitonem filia, quonam animo auderet liberos suos his tractare modis; quorum tu

patruus, inquit, idemque avus es, cum frater sis ejus viri, e quo ego, filia tua, pater, hos peperi. Quod si hominum neminis te neque reverentia neque pudor tenebat, deorum certe te numen absterrere debebat: ille [Diodotus] hinc cum classe discedens, quinque talenta tuæ fidei commissa relinquebat; id quod ego jurejurando confirmare parata sum, quocunque postulabis in fano, jurans per caput horumque liberorum meorum quos utrinque adstare mihi juranti jubebo, et si quos adhuc alios hic uterus effundet. Quanquam ego tam pudoris atque religionis omnis oblita mulier non sum, neque tam pecuniarum amans et cupida, ut te, qui pater mihi es, denudare bonis tuis velim perjurio, cujus et reatus hisce meis liberis omnem vitam necessario sit amaram atque calamitosam redditurus, et cujus conscientia me ipsam cruciatura sit ex hac vita discedentem. Præter illa quinque talenta fidei ejus commissa, arguebat eum adhuc alia septem cum quadraginta minis a debitoribus redegisse, una cum fœnore eorum nautico. Et harum syngrapharum producebat autographa: nam in permutatione habitationis cum e Colytto in domicilium Phædri transmigraret habitatum, liberos suos (aiebat mea socrus) incidisse in pugillares temere abjectos, vel amissos, eosque ad se, matrem, retulisse. Præterea demonstrabat eum centum minas a debitoribus redegisse creditas in hypothecam terrestrem, fœnore solito, nec non viginti minas alias eadem conditione creditas, item supellectilem magni pretii ex ædibus Diodoti abstulisse: consuevisse quoque Diodoto adhuc superstite magnam vim frumenti quotannis e Cherrhoneso ad se advehi, cujus neque rem neque valorem illo exstincto tulissent. Tantam tu tecum habens vim pecuniarum a marito meo relictarum, ausus tamen es affirmare, liberorum horumce meorum patrem ipsis non reliquisse, nisi viginti minas cum triginta stateribus? quam summam æris cum maritus penes me reliquisset, ego, certior de ipsius excessu facta, tibi commisi. Tunc hosce, qui e filia tua tibi nati nepotes sunt, ausus es domo ejicere quam ipsis pater reliquerat, pannuciis obsitos, sordidatos, discalceatos, sine pedissequo, sine stragulis, sine veste, sine supellectile, quorum omnium pater ipsis lectissimam atque lautissimam copiam reliquerat? Jam liberos tuos e noverca mea natos nutris et educas in affluentia rerum omnium beatos; neque invideo, recte facis ita faciens, laudo factum et congratulor: at meos defraudas lædisque, quos inhonoros e domo sua ejecisti, et quantum in te est,

pauperrimos reddere laboras e locupletibus qui sunt natura et jure. Et talium tam turpium tibi facinorum conscius, tamen neque deos reformidas, neque tacitam oculorum meorum reprehensionem metuis? tam es impudens! quæ, cum filia tua sim, te novi tot et tam fœdis criminibus obnoxium; neque fratris meministi, sed nobis omnibus præfers bonorum per nefas partorum possessionem! Hujusmodi convitio aliisque multis similibus probris, quæ tacita prætereo, mulier in patrem invehebatur, quibus nos qui aderamus omnes mirifico et incredibili sensu tum indignationis tum commiserationis atque ægritudinis metusque commovebamur: modo enim in pueros intuentes nos subibat recordatio, quam splendidis e fortunis superioribus quam miserabilem ad egestatem decidissent, et cujus scelere; modo occurrebat quam indignum tutorem pater liberis reliquisset, indignum spe ipsius et nomine fratris ipsoque tutoris nomine; modo metus de sorte nostra liberorumque nostrorum atque miseratio subibat, quorumnam in dentes ungulasque luporum rapacium fortunæ nostræ et liberorum patrimonia essent aliquando fataliter deventura, nobis e rebus humanis exemptis, hoc tam aperto et memorabili documento certiores nos reddente, spectatæ fidei amicum, cui te tuaque tuto committas, repertu esse perquam difficilem; denique, judices, tanta nostros animos, quotquot congressui intereramus, obruebat procella consternationis, ut hiscere non possemus, sed taciti discederemus, lacrymis ora manantes, haud minus, quam illi ipsi, qui hac calamitate icti conciderant. Primo quidem adscendant testes.

TESTES.

6. Quare sobria mente, judices, rogo vos, ut rem quam agitis ponderetis, quid his pupillis, quid toti civitati, quid hujus denique personæ vestræ dignitati debeatis: injurias hi adolescentes acceperunt vestra commiseratione dignas: et interest salutis publicæ vestramque personam decet qui judices estis, ut severitate vestræ sententiæ ad omnes declaretis Diogitonem vobis odio et exsecratione bonorum omnium dignum videri; nam ejusmodi homines pacem publicam turbant, omnia suspicionibus et terroribus implentes. Totum genus humanum hic Diogiton suspicionibus expavefecit et inter se alios ab aliis abalienavit, ut neque adhuc vegeti neque animam extremam agitantes sciant cui confidant, neque majorem fiduciam in proximis consanguineis ponere possint quam in inimicis infestissimis. Videte modo quibus modis sese torserit ut laqueos convictionis effugeret: initio prorsus infitiabatur illas summas æris tulisse, tum obrutus vi veritatis, cum infitiari diutius

nequiret, tandem, o immanitatem cupiditatis et impudentiæ ad rapiendum atque mentiendum projectæ, aiebat, intra octennium in alimenta duorum marium uniusque puellæ impendisse octo talenta cum decem minis. Et, quia nullo modo tam enormis summæ rationem conficere poterat utcunque probabilem atque tolerabilem, eo excedebat furoris, ut in alimenta quotidiana horum trium liberorum quinos obolos imputaret: in calceos et in fullonem atque tonsorem non edidit impendia neque menstruatim neque annatim, sed universum octennii ambitum uno vocabulo complexus, in istiusmodi minutias illo toto tempore ait insumpsisse plus quam talentum argenti. In monumentum horum patri conditum ne quinque quidem atque viginti minas impendit: ut tamen gloriam magnificentiæ atque liberalitatis aufferret sine sumptu suo, quinquaginta minas ait in illud monumentum erogasse; quarum partem alteram dimidiam pupillis imputavit, alteram se contulisse jactat, sordidus idemque vanus. Licetne, judices, ad minutias descendere? Quidni liceat? et loco huic convenit, quo odium hominis sordesque atque cupiditas quanta sit, hoc liquidius perspiciatis. Agnum in Dionysia pro pupillis emptum sedecim drachmis æstimavit in ratione exhibita, quarum item partem dimidiam pueris imputavit, alteram sibi: rem enimvero indignam, de qua nos inprimis ira exarsimus. Credite mihi, judices, enormibus circumventi fraudibus solent leviculis illis et pæne ridendis furticulis non minus commoveri quam furtis illis grandioribus: nimis enim aperiunt atque denudant hæ minutæ fraudes cupidorum flagitiositatem. Reliquos in dies festos et sacra universe computabat in hos impensas quadraginta minas et plus etiam. Brevis ut sim, alias quamplurimas ejusmodi nugas rationi suæ assuerat, quo enormem illam summam æris consarcinaret, quod in hos ait insumpsisse, reapse autem furatus est; quasi a patre liberorum tutor esset constitutus, quo pupillis pro nummis et fundis literas in charta exaratas ipsosque ex opulentis mendicos redderet; et quo puberes facti, litium satis et super haberent super patrimonio cum tutore, qui idem avus quoque patruusque esset, exercendarum, quibus per omnem vitam districti obliviscerentur, inimicorum, si quos pater ipsis inimicos velut hereditate reliquisset, simultates in jure persequi. Atqui justus erga pupillos esse si voluisset, poterat alterutro modo et sibi multarum molestiarum otium facere et pupillorum augere patrimonium; geminum enim modum gerendæ tutelæ præscribunt leges tutoribus, sive valent opibus tutores sive minus: poterat universam substantiam pupillorum alicui redemptori mercede annua elocare, aut prædium emere, illisque e vectigalibus sive prædii sive locationis pupillos alere, excessuque nummorum sortem augere. Sic sine ulla ipsius molestia, facti essent pupilli tam divites, ut de divitiis cum ditissimis quibusque Atheniensium contendere

potuissent. Jam vero ita se gessit Diogiton, ut necesse sit suspicari, nunquam ei in mentem venisse de tempore olim aliquando venturo, quo rationem gestæ tutelæ reddere pupillisque de substantia satisfacere deberet, sed potius eum sperasse, fore ut salvam ipse teneret hanc prædam, interventuro nemine qui dentibus ipsius eam rursus eriperet: existimabat nempe, non pupillos hos, fratris filiæque liberos, ab ipsorum patre heredes patrimonii scriptos fuisse, sed suam cupiditatem atque insatiabilem scelerositatem.

7. Nondum omnia dixi, judices: superest adhuc cumulus improbitatis: arrigite aures. Una cum Alexide Aristodici fratre triremem ducebat cum postestate trierarchi: functionis hujus ut emolumenta perciperet sumptuum exsors, videte quam callide rem instruxerit: Alexidi trierarchatus collegæ minas ait duodequinquaginta mutuo credidisse; hujus æris partem dimidiam pupillis, ceu ex eorum patrimonio insumptam, in ratione tutelæ gestæ retulit, quasi eorum loco atque nomine trierarchatum gessisset, cum jus nostrum civile non modo pupillos ab omni contributione eximat, sed etiam adolescenti primi anni ab ineunte virili ætate contributiones remittat. Hic Diogiton autem, quos sumptus totos ipse solus de suo debebat in trierarchatum insumere, quem suo, non pupillorum, nomine gerebat, tametsi avus esset, tametsi leges vetarent, tamen a filiæ liberis illorum sumptuum partem dimidiam exigit. O immanitatem cupiditatis! quanquam paulo post audietis eum ne intra cupiditatem quidem substitisse, sed ei mendacium quoque atque vanitatem adjunxisse. Verum de hoc statim pluribus dicam: nunc aliud quoddam simile ejus facinus interjiciam. Mittebat aliquando navem onerariam in mare Adriaticum, mercibus oneratam ad valorem duorum talentorum: hac nave e portu solvente denuntiabat pupillorum matri, navigationis discrimen esse pupillorum, non suum; merces ipsorum periculo fortuitis maris committi. Navis hæc illinc revertebatur salva, lucri alterum tantum referens. Quæ tum Diogiton? Navem aiebat suo periculo isse: sic lucrum totum suum esse. Atqui si damna quidem accepta pupillis solis imputabis, quæstus autem soli tibi arrogabis, et in ratione gestæ tutelæ sine hæsitatione scribes impendia ceu facta quæ nulla facta sunt, citissime facillimo negotio ditesces ex alieno. Sed longum sit, judices, tædiique plenum injustitiæ fraudisque genera omnia persequi, quibus Diogiton usus pupillos funditus expilavit. Quare hæc hactenus dicta putate sufficere pro specimine rationis ejus, quam Diogiton gestæ a se tutelæ, quanquam multum et rogatus et cunctatus, vix et ægre tandem exhibuit: ego itaque rationem hanc nactus invito et reluctanti extortam, assumptis testibus, vado ad Aristodicum—nam Alexis ipse frater ejus interea fato concesserat—, hunc Aristodicum ut in foro conveni, percontor,

haberetne in potestate sua rationem trierarchatus ejus, quem frater ipsius Alexis olim cum Diogitone communem gessisset: aiebat Aristodicus habere; imus itaque domum ejus, inspicimus syngrapham, invenimus ibi sic scriptum, Diogitonem Alexidi in sumptum trierarchatus credidisse mutuo viginti quatuor minas. Atqui Diogiton in ratione gestæ tutelæ in trierarchatum a se insumptas scripsit esse quadraginta et octo minas, quarum partem dimidiam pupillis imputavit, quasi hi conferre debuissent, partem alteram ait de suo contulisse. In quo mentitus est, id quod ex hac syngrapha constitit: ne teruncium quidem in istum trierarchatum de suo impendit, quem suo nomine gessit et in quem de suo impendere debebat, sed totum illum sumptum quatuor et viginti minarum, qui in partem ipsius veniebat, de peculio pupillorum furatus est. Quodsi in re, in qua ut testimonium contra se sua manu exaratum superesset, commiserat, unde fraus et furor ejus facillime detegi et argui poterat; nam aut furoris aut impudentiæ excessus est, mala fraude iis in rebus uti, ubi aliorum conscientia intervenit; quæ eum et quanta iis in rebus ausum existimatis, quæ solus sine arbitro tractavit? Adscendite, qui horum mihi testes eritis.

TESTES.

8. Audistis, judices, hos testes: procedam nunc ulterius. Tandem itaque post multas tergiversationes eo redegi Diogitonem, ut fateretur de horum pupillorum patrimonio penes se septem talenta cum quadraginta minis esse: ex his calculum ducam, excludens omne genus redituum quos consentaneum est ex ista summa intra octennium redisse; sed, quæcunque in pupillos impensa sunt, ipsa de sorte deducens: imputabo duobus maribus atque puellæ cum pædagogo atque ancilla sumptus annui tantum, quantum a nullo unquam neque patre in liberos neque tutore in pupillos Athenis impensum esse certus sum, denas minas; sic in dies singulos paulo minus quam ternæ drachmæ veniunt. Hæ denæ minæ conficiunt octennio octies mille drachmas, seu talentum unum et viginti minas: quod si ergo de septem talentis et quadraginta minis, quas Diogiton fatetur a se administratas esse, talentum unum et viginti minæ deducantur, paret relinqui talenta sex cum viginti minis. Neque enim docere poterit Diogiton, illa quæ remanserunt sex talenta cum viginti minis ullo modo sibi perisse; nam neque latrones eripuerunt, neque mulcta pecuniaria ipsi irrogata absumpsit, neque creditoribus reddidit. * * *

LYSIÆ

ORATIO OLYMPIACA.

[Æmylio Porto Interprete.]

1. Æquissimum est, Judices, ob multa quidem præclare gesta Herculis memoriam celebrare; tum præsertim quod primus ipse hoc certamen ad Græciam universam conciliandam instituerit. Ad illud enim usque tempus mutuis inter se dissensionibus urbes ardebant: postquam vero ille tyrannos domuisset et sibi infestos coercuisset, corporum quidem certamen, divitiarum contentionem, et ingenii ostentationem in pulcherrimo totius Græciæ loco instituit, ut nimirum propter hæc omnia eundem in locum conveniremus, alia visuri, alia audituri; credidit enim illum conventum mutuæ Græcis amicitiæ et concordiæ initium quoddam futurum. Hæc ille reputabat: ego vero hæc non reprehensurus aut sugillaturus vel de verbis certaturus huc veni. Puto namque hæc spectare ad sophistas valde improbos et victum quæritantes; hominis vero boni civisque optimi partis esse de maximis rebus consultare, videns sc. Græciam adeo deformatam, multaque illius loca a barbaro occupata et plurimas a tyrannis urbes vastatas. Quæ quidem si per nostram imbecillitatem infirmitatemque passi essemus, sortem nostram ferremus necesse esset: cum vero ob seditiones mutuamque discordiam, quomodo non erit æquissimum his quidem finem ponere, illa vero eliminare ac prohibere, cum noverimus ipsam æmulationem et de gloria contentionem inter viros felices oriri solere, at infelicium esse optima consulere. Undique enim pericula immensa instare videmus: scitis autem imperium esse eorum qui mari dominantur, pecuniarum dispensatorem esse regem; Græcorum vero corpora eorum qui consumi et deleri possunt: naves ipse multas possidet, multas etiam Siciliæ tyrannus. Ut æquum sit bellum privatum deponi, communique sententia saluti prospicere; de præteritis quidem erubescere, de futuris vero metuere, et majores imitari, qui barbaros, dum alienis inhiabant regionibus, suis ipsorum exuerant, tyrannisque expulsis communem omnibus libertatem attulerunt.

2. Præ cæteris autem Lacedæmonios demiror, quonam tandem

animo ardere Græciam patiantur, cum ipsi Græcorum duces sint et principes, idque non per nefas sed virtute propria reique militaris scientia dominatu comparato; soli vero portu careant et muris, sine seditione sint, et invincibiles, et iisdem semper locis utentes: atque ideo sperandum est, perpetuam eos libertatem habituros; cumque in præteritis periculis Græciæ sospitatores exstiterint, futura prævisuros. Non tamen futura ætas hac præsenti melior: neque enim pereuntium calamitates ut alienæ sunt habendæ, sed propriæ; nec exspectandum donec nos ipsos amborum potentia opprimat, sed quamdiu adhuc integrum est, eorum injuriam propulsare oportet. Quis enim non videat, bello intestino et civili eorum potentiam accrevisse? quæ cum non solum turpia sint, sed etiam gravia, eis quidem qui gravissime deliquerunt licentia commissorum data est, Græcis vero nullum ob id supplicium irrogatum * * *

LYSIÆ

DE ANTIQUA REIP. FORMA ATHENIS NON IMMUTANDA

ORATIO.

[Æmylio Porto Interprete.]

1. Cum putaremus præteritas calamitates, Athenienses, satis evidentia monumenta urbi esse, ne posteri nova instituta et aliud regimen peterent, tunc exorti sunt illi qui et mala passos et utriusque reip. fortunam expertos iisdem quibus antea decretis decipere et circumvenire conantur. Idcirco non illos miror, sed vos qui hæc auditis, quod omnium estis maxime obliviosi et tam facile induci vos in incommoda a talibus sinitis, qui casu ejusdem fortunæ cum his qui ex Piræo redierunt fuere participes, animo vero illis qui in urbe remanserunt adhæsere. Ad quid autem exsules reverti oportet, si vos ipsos vestra sententia et decreto in servitutem redigatis?

2. Ego vero, Athenienses, qui neque genere a concionibus excludor neque bonis ulli inferior sum, quique mihi contradicentes utrisque supero, hanc solum urbi salutem esse puto, si omnes cives ad urbis gubernacula admoveantur; quoniam cum et muros, naves, pecunias, socios habuerimus, non solum id spectavimus, ut Atheniensium hæc essent propria, sed et Eubœensibus jus connubii faceremus: nunc vero etiam ipsos cives perdemus? Nequaquam, mihi credite; neque enim cum muris et hæc ipsa nostra auferemus, multos sc. pedestres copias et equestres et sagittarios, quos vos retinentes fortiter et valide remp. administrabitis, inimicos magis magisque profligabitis, et sociis vestris multo utiliores eritis: scitis enim tempore oligarchiæ, nec eos qui terram possiderent urbem inhabitasse, sed et plurimos eorum mortuos esse, multosque etiam e civitate expulsos, quos populus reducens vobis quidem vestram urbem dedit, ipse vero hanc attingere non est ausus. Quamobrem si mihi obtemperetis, neque benefactores, prout potestis, patria exuetis, nec verbis potius quam operibus, nec futuris magis quam præteritis credetis. Præsertim cum eorum recordemini qui pro oligarchia depugnant, qui verbis quidem populo adversantur, reipsa vero vestris rebus inhiant; quas possidebunt, quando vos sociorum præsidio destitutos invadent.

3. Deinde desiderantibus eis illa quæ vobis subjecta sunt, ecqua civitati salus futura est, nisi fecerimus quæ Lacedæmonii jubent? Ego vero his dicere velim, quid populo eventurum sit, si illorum jussa fecerimus? Sin minus, multo laudabilius erit pugnando occumbere quam mortem nobis sententia et decreto nostro inferre. Credo enim si non persuadeam, commune ambobus [Atheniensibus et Lacedæmoniis] instare periculum. Cujus sententiæ et Argivos et Mantinenses qui suum solum incolunt esse video, illos quidem Lacedæmoniis conterminos, hos vero prope admodum habitantes, illos quidem nobis haud plures, hos autem vix tria millia complentes. Sciunt enim se, quamvis sæpe hi in suum agrum sint irrupturi, sæpe etiam sumptis armis illis occursuros, adeo ut periculum illis parum honestum videatur, etiamsi vincent, se servire; si vero superentur, bonis se præsentibus spoliari: quanto melius agant, tanto magis periculum desiderant.

4. Ejusdem et nos aliquando opinionis fuimus, Athenienses, quando Græcorum principatum habebamus; et profecto recte id facere videbamur, quando, regione nostra quæ vastabatur neglecta, putabamus non esse pro ea dimicandum: æquum enim erat eos, qui parva negligerent et pauca, et magnis et multis bonis abstinere. Jam vero cum omnibus illis bello exuti simus, et sola nobis patria sit relicta, scimus hoc vero periculo omnem salutis spem contineri. Sed oportet, recordantes quod olim etiam aliis succurrendo injuria affectis, in terra altera multa tropæa de hostibus erexerimus, etiam viros nos præbere dum pro patria et pro nobis ipsis certamus, diis confidentes et sperantes justitiam cum injuria affectis militaturam. Esset enim acerbum, Athenienses, quando exsules fuimus, cum Lacedemoniis contendere, ut reverteremur; reversos vero iterum in exsilium agi, ne amplius pugnemus. Nonne igitur turpe erit, tantum nos admittere dedecus, ut cum majores etiam pro aliorum Græcorum libertate pugnaverint, vos vero pro vestra ipsorum pugnare non audeatis? * * *

FINIS.

Londini: imprimebat J. F. Dove in area quæ est Divi Ioannis.